

Minton Warren

# TIBERI CLAUDI DONATI

AD TIBERIUM CLAUDIUM MAXIMUM
DONATIANUM FILIUM SUUM

# INTERPRETATIONES VERGILIANAE


PRIMUM AD VETUSTISSIMORUM CODICUM FIDEM
RECOGNITAS EDIDIT

HENRICUS GEORGII

VOLUMEN I

AENEIDOS LIBRI I—VI





IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI LIPSIAE MCMV

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI

## PRAEFATIO.

Tiberii Claudii Donati interpretationes Vergilianas edendas suscepi, non quod in deliciis haberem scriptorem taedii plenissimum, sed quia ad complendum et antiquorum Vergilii interpretum numerum et lectionis in Aeneide apparatum post doctissimorum virorum Thilonis et Hagenii curas hoc solum deesse videbatur. an vero Donatus, quoniam verborum magis quam rerum interpres fuit, semper in editione vitiosa et inhabili delitescet? et varia lectio Vergiliana e Servio et ceteris grammaticis summa diligentia investigata praesto erit, Donatus, qui Aeneidos versus tantum non omnes in commentarios suos recepit, quales eos legerit numquam in lucem proferetur? equidem, cum omnes scriptores veteres qui vetustatem pertulerunt, et optimos et deteriores, dignis nostro saeculo editionibus invulgare instituerimus, quo id iure Donato abnegetur non intellego. nulla erit nec de ipsius merito recte iudicandi copia nec qui ex eo ad nostrum usum fructus percipi possit aestimandi, nisi quid vere scripserit cognitum habuerimus. nam inutilem hodie et neglegendum Donatum esse vereor ne idcirco affirmare soleant, quod doctrinae plenam interpretationem desiderant, qualem nequaquam eum secutum esse iam van der Hoeven[1]) demonstravit. ceterum ne doctrina quidem Donati interpretationes omnino carent idque ipse truncis verbis quibus epilogus nunc terminatur exponere coepisse videtur.

1) van der Hoeven epistola ad Suringarium Leovardiae 1846.

nam et ad rerum cognitionem aliqua contulit ut illud quod 1, 367 de voce Punica „bursalf“ memorat et de verborum apud Vergilium usu aliquando non male disputavit (cf. de „ecce“ 2, 57) et grammaticorum vel interpretationes diversas vel quaestiones[1]) haud raro tetigit. sed plerumque artificiosam i. e. oratoriam expositionem sequitur (cf. 7, 646. 12, 21 al.), ut doceat quid et quo quidque consilio, quam breviter et pulchre, quam plane ac plene, quam prudenter et commode poeta dixerit. non est meum in hac praefatione de interpretatione Donatiana, quam nostrae aetatis vocabulo usus aestheticam recte dixit v. d. Hoeven, ita disserere, ut absolvatur materia: inquirant alii novae editionis subsidiis melius quam antea instructi. sed, ut summatim agam, haec primum demonstrare studet: quam concinne Vergilius in enarrandis Aeneae factis et moribus propositam sibi materiam laudativam tenuerit (cf. prooem. p. 2 et 9, 1. 11, 295. 12, 952 et septimi epilogum); quam constanter Aeneidos acta ad fata (cf. prooem. p. 3 et 1, 1 sqq. 12, 111) et Iunonis odium (cf. prooem. p. 4 et 1, 4—5. 8 sqq. 5, 608. 12, 142 sqq.) rettulerit; quantus sit inveniendi (cf. 12, 930. 952) disponendi (cf. 1, 1 sqq. 494. 5, 730. 7, 39. 519) eloquendi (cf. 1, 49. 2, 773. 784. 3, 61. 7, 41 sqq. 9, 333) artifex; quam recto iudicio personarum et locorum et temporum ubique rationem habeat (cf. 1, 663); quam moraliter i. e. hominum moribus convenienter res tractet (cf. 3, 707. 4, 86. 5, 766. 9, 691); quam sapienter narrationis ordinem proponat et moderetur (cf. 1, 1. 7, 641), interruptum continuet et integret (cf. 1, 305. 7, 243. 11, 184. 597); quam apte transitus faciat et intervenientia inserat (cf. 7, 1. 2, 680. 10, 575); quam eleganter generalitate et specialitate mixta (cf. 11, 647), fabulis et parabolis interpositis (cf. 10, 187. 12, 855) aliisque artificiis

1) de quaestionibus v. libellum meum, die antike Aeneiskritik im Kommentar des Tiberius Claudius Donatus, progr. Stuttg. 1893.

(cf. 6, 601) legentium taedium effugiat; quam subtiliter dicenda praestruat (cf. 1, 354. 670. 677. 5, 507. 11, 649. 803), propositis respondeat (cf. 2, 323) aut non respondeat (cf. 2, 198), ad superiora respiciat (cf. 2, 329. 337. 501. 544); quam oratorie dicta augmentis cumulet, supplementis satiet amplificetque (cf. 1, 600. 642. 730. 2, 171. 10, 261); quam artificiose cum in aliis rebus tum in descriptionibus latitudinem rerum sermonis brevitate complectatur (cf. 1, 494. 2, 3—13. 6, 713. 8, 51. 79. 10, 897. 11, 515); quantam artem ostendat in orationibus (cf. 1, 65. 231) colore praenuntiato (cf. 1, 254. 5, 704. 6, 387. 12, 10. 18), principiis conformatis ad causam (cf. 7, 359. 10, 63. 611), suadendi persuadendi petendi artificiis adhibitis (cf. 2, 387. 4, 31. 10, 282. — 3, 44. 640. — 7, 229. 8, 10. 145. 9, 83. 283. 10, 153), adversariorum argumentis praesumendis extenuandis refutandis (cf. 1, 65. 71. 5, 843. — 11, 420. — 4, 333); quam praebeat locorum communium copiam (cf. 2, 403. 3, 41), quanta optimae dictionis ad imitandum exempla (cf. 1, 49. 6, 858. 8, 13). quae si Donatus suis generibus disposita exemplisque illustrata certis capitibus persecutus esset, sicut paucis locis (cf. 1, 102. 6, 511. 562) temptavit, non dubito quin inter memorabiles scriptores numeraretur. nunc quoniam totum carmen interpretando percurrens quae docere vult passim dispersa et per occasionem adnotata profert proindeque saepe repetit, reliqua, ubi nihil de arte explicandum est, inani loquacitate circumiens reddit, praeterea nimio studio dicta poetae expingendi (cf. quod ipse profitetur 10, 898 et e sexcentis unum exemplum 9, 612—613) et quasi exhauriendi (cf. 11, 588 „persequamur nunc singula, ut dictorum vim reseremus“) in vanam saepe verborum iactationem prolabitur, ipse de fama sua male est meritus, peius, opinor, quam iis quae perperam intellecta inepte interpretatur, licet permulta sint et quaedam gravissima. nihilo tamen minus eos qui in tradenda adolescentibus Aeneide artem poetae sectentur nec omne studium in grammaticis et metricis rebus ostentandaque

doctrina consumant aliquid ex Donati interpretatione commodi hodie quoque capturos esse confido. timidius hoc dicam de altero Donati consilio, quo quid doceat Vergilius non solum de recte vivendi praeceptis (cf. 1, 8. 2, 18. 260. 8, 364. 10, 783. 11, 228. 303) sed etiam de variis hominum artibus et muneribus et de usu vitae (cf. 1, 52. 75. 2, 741. 9, 288. 10, 783. 12, 91. 172 et prooem. p. 5), de diis ac fatis (cf. 2, 213. 8, 398. 10, 466. 11, 536), de rerum natura (vel loco eminenti 6, 723 vel per occasionem 1, 607. 4, 367. 5, 738. 12, 684) exponendum sibi esse opinatur. huius generis multa talia sunt, ut inepta nobis videantur: sed singularis ineptiae Donatum accusare non audebit qui attenderit Macrobio, Servio aliisque auctoribus Vergilii carmina illa aetate pro thesauro omnis sapientiae et doctrinae habita esse. suae autem quemque aetatis modulo metiri praecipua lex est historiae. propter rhetoricam interpretationem ineptum hominem Donatum Heynius dixit. quid? etiamne, credo, Quintilianus ineptus dicetur, qui Homerum omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dedisse praedicat 10, 1, 46—51 cf. 2, 17, 8. 12, 11, 21? recte Heynio v. d. Hoeven temporum hoc, non hominis vitium esse respondit. sed parum illud Heynii Hoppio[1]) fuit, „stultitiam et perversitatem" Donato exprobrat, quod nonnumquam in uno loco exponendo eorum quae alibi apud Vergilium exstent rationem non habeat, quod ipse sibi aliquoties non constet, quod interpretatione sua Vergilio ineptias iniungat: quasi vero eiusmodi vitia non etiam in Servii commentariis occurrant! quid quod eo procedit, ut quaecunque apud Donatum, si non recte, at tamen „scite arguteque excogitata" inveniantur „non ex ipsius ingenio profecta", sed ab aliis petita esse iudicet in eoque praeiudicio tamquam fundamento omnes suas argumentationes exstruat. hoc quam temere conclusum sit vel uno loco 5, 2 comparato intellegas, ubi Donatus

1) Hoppe de Tiberio Claudio Donato Aeneidos interprete dissertatio, Gottingae 1891.

in aquilonis quaestione contra diversam interpretationem suam tam perspicue defendit, ut non potuerit prudentius, nec secus 1, 186. 10, 8. 12, 412 al. ac si quis sententias, ut Serviano verbo utar, bioticas e Donato colligere velit, quas multas passim inseruit, bonam messem faciat. iuvat exempli gratia aliquas transcribere: 6, 435 „nihil fit nisi quod faciendi habeat necessitatem"; 6, 515 „mala in oblivionem venire non possunt"; 7, 340 „plus est in rebus perficiendis velle quam cogi"; 8, 163 „proclive est bonum esse, meliorem vero arduum"; 9, 617 „apparet qui sitis, cum ea quae colitis recensendo convolvo"; 10, 620 „ornamenta maiorum frustra unicuique iunguntur, nisi adicient[ur] propria". talia qui scripserit eum perversi iudicii fuisse nego. iure v. d. Hoeven Donati opus satis eleganter nec plerumque inscite insulseque conscriptum esse affirmat. sed idem cum hanc fere solam utilitatem ex eo percipi dicit, quod conducat ad cognoscendam historiam interpretationis Vergilianae, angustis finibus rem circumscribit. ad ea enim quae supra memoravimus hoc quoque accedit, quod, quoniam Polybii, Claudii Caesaris liberti (Seneca consol. ad Polyb. 8, 2. 11, 5), et patris Statii (cf. Vollmer ad Stat. silv. 5, 3, 159 sqq.) aliorumque scripta perierunt, eius interpretandorum poetarum rationis qua rhetores in scholis utebantur Donati commentarios solum exemplum habemus. ergo ad rhetoricam quoque disciplinam cognoscendam utiles sunt. nam quod Quintilianus inst. or. 10, 5, 4 et 5 dicit: „et ipsis sententiis (poetarum) adicere licet oratorium robur et omissa supplere et effusa substringere; neque ego paraphrasim esse interpretationem tantum volo, sed circa eosdem sensus certamen atque aemulationem", id Donatum summo studio secutum esse videmus. illa sane lege quam a patre suo observatam Statius tradit, ut paraphrasim cum versuum spatiis aequaret, se non devinxit, sed effusam potius ubertatem plerumque affectavit artemque suam cum aliis rebus tum clausulis conformandis ostentavit, adeo ut suo quoque exemplo stilum vere oratorium filio adolescentulo tradere

et commendare voluisse videatur. dum enim Vergilium „rhetorem summum" fuisse demonstrare contendit, illud quoque quod in prooemio p. 4 dicit, „non grammaticos, sed oratores praecipuos eum tradere debuisse", probare studet. haec habui quae monerem, ut de Donato iustius iudicaretur. nolo nostri saeculi homines ad illam existimationem revocare qua aetate Carolina et renascentium litterarum temporibus floruit, sed id ago, ut desinat quasi incognita causa damnari. dummodo exigatur ab eo quod praestaturum se professus est, non neglegendus videtur.

Ti. Claudius Donatus quin diversus sit ab eo Donato quem Servius saepe laudat quique idem est atque Aelius Donatus Terentii interpres post gravissima argumenta quibus v. d. Hoeven hanc quaestionem profligavit hodie nemo est qui dubitet, abolita recoquere non libet.[1]) de vita Donati nihil fere constat, ne id quidem, num Romanus ex urbe fuerit, nisi quod notabile mihi videtur quam dignum viro Romano iudicium de officiis erga rempublicam et de maiestate imperii in prooemio multisque aliis locis prae se ferat. iuris Romani eum peritum fuisse et loci ad ius spectantes, quos v. d. Hoeven p. 48 sq. collegit et nos in indice complebimus, et verba ex iuris consultorum usu in Donati dictionem recepta demonstrant. qua in re quod de verbo „ilicet" 11, 468 dictum est v. d. Hoeven perperam intellexit: nam quod ait „ad-

---

1) Duos Donatos primus, ut videtur, suspicatus est Petrus Crinitus anno p. C. n. 1496, de quo ex libro manu scripto in bibliotheca Monacensi asservato rettulit Mommsenius Mus. Rhen. 16 p. 139. nam postquam codicis Laurentiani, qui in manus eius venerat, supplendae editionis Landinianae causa „meliora" exscripsit, in calce quinti libri haec adnotat: „quamvis videtur opera ludi; non enim omnino doctus hic Donatus. quodsi addivinare licet, putarim alium et ab ipso diversum qui Terentii comoedias sit interpretatus, et fortasse huius est filius dictusque Donatianus". — postea, ut v. d. Hoeven p. 32 memorat, Merula ad Ennium p. 56 eadem ratione ductus propter „obstinatam et morum qui retro et auctorum praetermissionem" Donatum „suppositicium" esse opinatus est. duos scilicet Donatos fuisse ei non in mentem venit.

sumptum fertur ex veteri consuetudine, sicuti retro meminimus, ex more iudicum", non ad amissum quendam interpretationum locum referendum est, sed ad superiorem Donati vitam (cf. „retro" 7, 474): semet ipsum quondam in iudiciis versatum esse dicit, quorum consuetudinis se peritum etiam 1, 506 ostendit. sed ut Quintilianus ab actione forensi ad scholas habendas transisse videtur, si quidem hoc non temere v. d. Hoeven ex verbis illis prooemii p. 4 effici vult „Vergilium non grammaticos, sed oratores praecipuos tradere debuisse".[1]) eodem spectat quod alio prooemii loco p. 6 „Vergiliani carminis lectorem rhetoricis praeceptis instrui posse" dicit. cumque Donatus stilo plerumque ipse usus declamatorio uno loco 7, 359 satis extensam declamationem Amatae conubium Aeneae dissuadentis componere non dubitaverit, recte id v. d. Hoeven hominem prodere rhetoricis exercitiis assuetum contendit. mihi quidem praeceptoris scholastici hoc quoque esse videtur, quod in prooemio p. 5 cum alios „diversae professionis et diversarum sectatores artium" in Aeneide, scilicet suae interpretationis auxilio, inventuros declamat „quod discant", tum „cives optimos et patriae spectatissimos cultores" et „qui se aptent ad deorum cultum futuraque noscenda magisterio eius instrui posse". mirum enim est quantum haec cum iis congruant quae Statius in eadem quam supra memoravi silva v. 176 sqq. de patris sui schola praedicat: „mox et Romuleam stirpem proceresque futuros instruis inque patrum vestigia ducere perstas" et „arma probatus monstrasti Saliis praesagumque aethera certi auguribus" etc. (cf. Vollmer p. 541). a lautioris vitae moribus eum non alienum fuisse cum reliqua Didonis convivii descriptio tum unus locus 1, 638 ostendit (cf. 8, 180). religionis Christianae ne minimam quidem notitiam praefert; nam quod 10, 325 de „execrabili sce-

---

1) quamobrem valde miror quod Schanzius Gesch. d. röm. Lit. IV, 1 p. 162 Donatum, grammaticorum palam inimicum (cf. prooem. 1, 75. 179. 4, 625. 5, 2 al.), inter grammaticos potius quam inter rhetores enumerat.

lestissimorum iuvenum amore“ dixisse putatur „nihil Deo gravius“ esse ab editoribus interpolatum codices docent. at multis locis, quorum praecipuos 1, 28. 442. (740?) 2, 165. 5, 709. 7, 259. 9, 247. 404. 627 v. d. Hoeven collegit (adde 6, 230), veterum deorum cultui addictum se esse ostendit.

Quinto p. C. n. saeculo Donatum non posteriorem fuisse inde apparet quod imperii Romani 1, 12 et morum Romanorum tamquam praesentium mentionem facit: cf. quae de ludis mimis cantibus picturis dicit 1, 741. 5, 65. 128. 132. 144. 662. 7, 172. 8, 287. 343 (alia quaedam exempla, quae Hoppius p. 21 attulit, aut parum idonea sunt aut ab editoribus interpolata). nec latinitate sua ad inferiorem aetatem relegatur, quae ut verborum tumore et eodem semper colore declamatorio stilum illum quem Africanum dici rectissime vetuit Norden (antike Kunstprosa p. 591 sqq.) profitetur, ita a barbarie longe remotus est. nam odiosa quoque illa affectatio qua plusquamperfecto pro imperfecto vel perfecto, indicativo et coniunctivo in quibusdam enuntiatis promiscue utitur modo tantum, non genere Servii aliorumque quarti et quinti saeculi scriptorum morem egreditur (cf. Thilonis ad Servium praefationem p. 72 sq.). et ubi liberius oratio excurrit ut in prooemio, in declamatione Amatae 7, 359, in epilogo eiusdem libri, in epistola ad filium fini subiecta, bonam haud dubie dictionem esse iudicaveris. accuratius qua aetate scripserit definiendi nullam video viam, nisi ut quae inter ipsum et Servium intercedat ratio cum aliqua veri similtudine exploremus. de hac re quod in libello meo p. 4 Burckasium[1]) ita disputasse dixi, ut Donatum Servii commentariis non usum esse nequaquam effecerit, hodie quoque id retineo. nam si multis locis ad ea quae cum Servio convenientia habet alia addit vel locos quosdam difficiles aliter interpretatur ac Servius vel cum additamentis Da-

---

1) Burckas de Ti. Claudi Donati in Aeneida commentario dissertatio, Ienae 1888.

nielinis scholiisve Veronensibus magis consentit vel aliqua quae Servius refellit amplectitur, nihil hinc sequitur nisi eum non ex solo Servio hausisse; quin cum aliis etiam Servio usus sit talia non obstant. extitit Hoppius, qui emendatis quibusdam Burckasii erroribus sua argumentatione idem efficere sibi visus est, ut Donatum Servio usum esse negaret. at qualis est illa argumentatio? quod Donatus septemdecim fere locis e duabus quas memorat interpretationibus alteram praefert, Hoppius id „certissimo documento esse ait, eum (unum aliquem) commentarium habuisse quem exscriberet, plerumque ita, ut postea de suo adderet alteram interpretationem". cautius iudicanti nihil inde sequi videbitur nisi eum interpretationis Vergilianae controversias cognitas habuisse: utrum aliquem inter scribendum ad manum habuerit commentarium an memoria tantum fretus vel adnotationis in exemplari suo Vergiliano copia adiutus earum quaestionum mentionem fecerit non praeiudicatur. alios decem locos Hoppius collegit quibus Donatus duas interpretationes, alteram argutiorem, ineptiorem alteram, dilectu non habito profert. hic „pronam esse ait coniecturam, priorem deberi vetustioribus, alteram Donato, interdum (scilicet ubi neutra inepta est) utramque ab eo descriptam esse". praeiudicatum nimirum, ut supra vidimus, Hoppio fuit nihil quod sani iudicii esset Donatum scribere potuisse. „plures autem inspexisse commentarios neque verisimile est, inquit Hoppius, eum qui ipse profitetur se cursim scripsisse relictis plurimis et qui puerum poetae lectione initiaret hoc consilio, non ut grammaticum ageret, sed ut rhetorem; neque cum Donati indole qualem descripsimus (hominis scilicet stulti ac perversi) talis ratio congruit, ut compositis inter se complurium commentariis probaret omnia et bonum teneret". Donatus si pro suo interpretandae Aeneidos consilio nullas omnino grammaticorum controversias tetigisset, non esset quod miraremur. atqui plurimis tetigit locis, non iis tantum quos Burckasius collegit, ubi aperte aliorum sententias aut refellit aut accipit, sed omnes adiciendi

sunt quibus aliam vel ordinandi vel pronuntiandi vel distinguendi rationem memorat; accedunt ii quibus eum obtrectationem Vergilianam non modo cognitam habuisse sed reliquam de ea memoriam centum amplius quaestionibus auxisse libello meo docui. quo ergo iure eum ex uno commentario[1]) sua hausisse affirmatur? immo vero, etiamsi illud quod 7, 49 dicit „persuaserunt sibi nonnulli ac paene omnes“, in quo diluendo multus est Hoppius, non ad vivum resecandum aut putidius instandum esse facile concedo — nam certe non numeravit! — in eo tamen persevero, commentariorum veterum eum peritissimum fuisse. contempsit grammaticos, utpote qui „nihil conferant quod sapiat“ prooem. p. 1, sed legit eorum commentationes, si non omnes, at multas; non exscripsit unum aliquem, sed ex pluribus quae utilia putabat interpretationi suae inseruit. nec minus multa Donati lectio ex ingenti numero locorum e Vergilio passim ac plerumque congrue adscitorum atque ex plurima Vergilianae dictionis imitatione elucet. nam quod in epistola epilogica „cursim, inquit, scripsi relinquens plurima“, iniuria hoc in suum usum Hoppius convertit. praetermisisse se Donatus dicit, ut sequentia docent, rerum plerumque interpretationem, ut suam saltem verborum explicationem absolveret; de studiis suis, ut ita dicam, praeparatoriis nihil dicit, ergo ne illud quidem quod Hoppius extorquet, se in his parum diligentem fuisse et unius compendii lectione contentum. nam qui filium monet ut, nisi futura patris opera instructus hoc labore supersedere possit, veterum commentarios legat et necessaria vestigata condiscat (epilog. cf. prooem. p. 2), is profecto ipse eos legisse putandus est, qua de re iam v. d. Hoeven p. 38 recte iudicavit. Hoppius autem „ostendere posse sibi videtur Donatum hoc loco de commentariis magnificentius

---

1) hunc Hoppius modo „Servio pleniorem et copiosiorem“, modo „compendium“ fuisse dicit: quae quomodo inter se congruant non intellego.

locutum esse" et, cum se ex compluribus illa collecturum dicat, „istud compendium excerpturum fuisse", de quo fabulatur, „idque etiam, si per se spectes, Donato magis convenisse". nam quod et hoc epilogi loco et 7, 646 se cum de aliis rebus tum de herbarum nominibus in Aeneide addito tertio decimo libro scripturum esse dicat, herbarum autem nomina in illo catalogo septimi libri „frustra requiras" nec tota Aeneide multa herbarum exempla extent, sic de hac re statuendum ait Hoppius, ut Donatus librum aliquem qui „res non solum in Aeneide verum etiam in Bucolicis et Georgicis tractatas" complexus sit, non, ut ipse affirmat, veterum commentarios excerpturus fuisse videatur. at duo sunt in catalogo libri septimi versus 758 et 769 in quibus herbarum a Vergilio ita mentio fit, ut eruditior de iis disputatio potuerit institui, iique sufficiunt, ut Donatus oratorie videlicet id quod dictum est „plenus ac refertus" posuerit; nam ne montium quidem et fontium, si singillatim accipias, catalogus „plenus ac refertus" est, sed coniunctim hoc de omnibus illis rebus intellegendum. in decimi autem libri catalogo nihil de herbis dicit v. 187, quoniam nullae a poeta memorantur. tenetur ergo non Donatus vanitatis crimine, sed Hoppius temeritatis. haec non brevius, ut mallem, exponere potui, quia Hoppius hinc quasi re bene gesta ad illam quaestionem solvendam accedit quae est de ratione inter Servium et Donatum intercedente. iis enim locis quibus Donatus vel de „multorum, quorundam" etc. sententiis agit vel locutionibus „dicunt, fertur" etc. utitur perlustratis et calculis Burckasio rectius subductis in hanc postremo vocem erumpit: „locorum qui ad solum Servium referri nequeunt numerus cum sit (illis qui ad eum possunt referri) triplo fere maior, acta res est, si modo pluribus Donatum usum non esse auctoribus recte statui". esto, si recte. at si, ut ipse in prooemio et in epilogo significat, pluribus usus est, potuit etiam Servio uti idque uno loco 2, 341, quem et Burckasius et Hoppius praetermisit, admodum evidens est. ibi enim Servius haec adnotat:

„Coroebum stultum inducit Euphorion, quem et Vergilius sequitur dans ei 'dolus an virtus, quis in hoste requirat' (390), cum sit turpis dolo quaesita victoria". quod de Euphorione stultitiae Coroebi inventore affert commentatoris alicuius eruditi doctrinam redolet neque in aliis eius fabulae partibus Vergilium Euphorionis auctoritatem secutum esse negaverim: in stultitia certe non secutus est, ut iam Heynius in excursu X rectissime monuit. nam neque stultum Vergilius Coroebum inducit neque verba illa versus 390 stulti hominis esse videntur. est hoc, ut idem Heynius dicit, Servii commentum, qui quod generatim de Euphorionis imitatione legerat suae fabricae argumento illustrare studuit. atqui Donatus ad v. 388 haec adscripsit: „turpe autem non esse insidiis hostem vincere et periculum praesens docere debuit et captum de Graecis exemplum". ergo Servii eum verba suis impugnare vix facere poterimus quin confiteamur. quodsi in hoc uno exemplo eum Servii memorem fuisse concesserimus, fieri hoc potuisse concedendum erit triginta fere illis locis quos ne Burckasius quidem et Hoppius, quamquam opinatis rationibus transversi sunt acti, ad Servium referri posse negaverunt. ex quibus unum memorare satis habeo. ad 2, 9 Donatus adnotat: „quod ait 'et iam nox umida caelo praecipitat' . . . nonnulli sic intellegunt: nox praecipitatur caelo et praecipitat positum pro praecipitatur. sed non ita est" etc. quibus cum verbis si contuleris non tantum quod ad eundem versum Servius adnotat „praecipitat pro praecipitatur, verbum pro verbo, ut diximus", sed etiam quae de hac re latius disputat ad 1, 104, qui locus et Burckasium et Hoppium fugit, Servium a Donato impugnari vel hinc veri simile videbitur. accedit autem quod Donatus in eodem difficultatis genere, ubi Servianam interpretationem evitare posse sibi videtur, 1, 104 „proram avertit" contra Servium legit et 11, 660 „bellantur" per „ipsae pulsantur", ergo passive, non ut Servius pro „bellant" explicat, at 6, 800 eiusdem Servii „turbant: turbantur", quia evitare non potest, ne verbo quidem addito

ipse profert. iam qui mihi assentientur ne illud quidem aspernabuntur quod in libello meo suspicatus sum, Donatum, qui cum aliis locis tum in prooemio inimicum se et contemptorem grammaticorum et magistrorum et commentatorum profiteatur, verbis in principio positis „post illos — reliquisse“ fortasse Servium grammaticum et magistrum urbis et commentariorum scriptorem denotasse. quodsi cum codicis Reginensis correctore, qui quanti faciendus sit infra exponam, in principio prooemii „tibi“ pro „mihi“ legere placeat, res ita se habere videatur, ut Donatus senex, cum filium suum tironem in magistri urbis schola parum ad Vergilium intellegendum profecisse cognovisset, suis interpretationibus damnum resarcire constituerit nec more tantum veterum in libris didacticis, ut v. d. Hoeven p. 35[1] putat, sed hac propria ratione ductus ad filium scripserit. mihi quidem qui omnem scribendi causam ab instruendi filii necessitate petit illo prooemii loco non convenienter de suis magis quam de filii doctoribus cogitare videtur. ceterum non nimis hoc pensi duco, dummodo Donatum Servii commentarios cognitos habuisse concedatur, ne quis forte eum ante Servium scripsisse opinetur. iuniorem eum fuisse necessario sequeretur, si verum esset quod Wagnerus de vulgata et Donatiana versus 12, 412 lectione adnotavit: „illud quidem fere pro certo haberi potest, cum tam memorabilis discrepantiae nulla facta sit mentio apud Servium, hanc ipsam lectionem ‘ipsa manu . . . Dictaea’ esse illo (i. e. Servio) recentiorem“. sed mihi Donatus genuina potius Vergilii verba, non ab aliquo recentiore conficta servasse videtur, quia, ut iam Heynius iudicavit, Donatianam lectionem orationi poeticae multo magis convenire puto. et quoniam senex interpretationes suas confecit, nihil obstat quin natu vel maior Servio fuisse existimetur: aetati Servianae certe adscribendus est.

Duodecim Aeneidos libros totidem interpretationum libris comprehendit; verum ut de personis quoque et rebus in Aeneide occurrentibus filius „patrio potius labore“

instrueretur, tertium decimum librum, qui eam cognitionem ex commentariis veterum collectam traderet, adiungere constituerat (7, 646 et epil.). hunc ne conficeret, cum ipsas interpretationes „incertum metuens vitae cursim scripsisset", morte videtur prohibitus esse (cf. v. d. Hoeven p. 37). de titulo codices consentiunt, nisi quod Laurentianus ($L^{I}$ et $L^{II}$) et Vaticanus Tiberi Claudi scribunt, Reginensis Tiberii Claudii. nos illorum auctoritatem secuti sumus. „interpretationum" nomen Donatus ipse 7, 646 et in epilogo testatur. genuinae quin extent, quamquam nulla earum apud veteres fit mentio, non potest dubitari. ineptias eorum qui eas vel interpolatas vel mutilatas vel suppositicias esse somniaverunt subtili et accurata disputatione v. d. Hoeven p. 21—32 refutavit. redeunt eae fabulae cum ad alios errores tum ad illum principalem quo Ti. Claudium Donatum cum Aelio Donato confundentes huius commentariorum reliquiis a Servio traditis in Ti. Claudii interpretationibus locum quaerebant neque reperiebant. aliud enim est opus, aliud consilium, aliud ingenium. exceptis iis partibus quae temporum iniuria in vetustissimis exemplaribus perierunt (4, 386—621. 6, 1—157. 7, 373—414. 8, 457—730. 12, 620—663. 690—754. 786—846. epilogi finis) nulla nisi verborum iactura facta est (de lemmatis v. infra). interpolationis in codicibus antiquissimis nullum apparet vestigium neque librorum H[1]) et O et U scriptores, qui magnas partes omiserunt, interpolandi temeritatem admiserunt. quidquid in hoc genere peccatum est editores peccaverunt. plane adstipulor iis quae v. d. Hoeven p. 28 dicit: „opus Donati, ut nunc legitur, nullam interpolationis suspicionem, nullam nisi in singulis verbis corruptelae movere potest; aequali tenore decurrit, ubique sui simile est, optime congruit indoli et consilio auctoris ex praefatione cognoscendis". est tamen quaedam priorum librorum cum posterioribus dissimilitudo: eum enim morem quem in primis

1) de quibusdam huius libri additamentis innocuis v. infra.

libris (cf. 1, 147. 159. 180. 2, 176. 608. 3, 104. 194) Donatus tenuit, ut magnum saepe versuum numerum uno lemmate comprehenderet, procedente interpretatione coercuit; item a latiore quae in primis libris occurrit explicatione paulatim recessit; rursus parsimoniam qua in priore parte eos locos qui „nihil habent quod artificiose possit exponi" (7, 646) modo silentio praetermisit modo strictim attigit (1, 35. 52—63. 86—87. 109—110. 112. 124—127. 144—147. 202. 289—290. 299. 301. 625—626. 643. 676. 710—711. 2, 29—30. 216—221. 342—346. 512—518. 3, 142. 191. 211. 238—244. 354—355. 4, 77. 166. 278. 368. 5, 156—161. 194. 598. 6, 271—272. 451—452. 547. 807. 834) in posteriore paene abiecit. omnis autem interpretationum memoria in tribus sita est libris manu scriptis, de quibus nunc deinceps agam.

Laurentianus plut. XLV cod. XV, membranaceus, formae grandis 0,270 × 0,375, quaternionibus viginti, foliis centum et sexaginta, divisis in binas partes paginis continet post titulum „Tiberi Claudi Donati ad Tiberium Claudium Maximum Donatianum filium suum interpretationum Vergilianarum Aeneidos liber I incipit feliciter" prooemium et libros I—V, a verbis „illos qui" usque ad „sepultorem invenire non posset". duo librarii hunc codicem conscripserunt, alter ($L^{I}$) quaterniones septem priores usque ad 2, 494 „caesis quam primum", alter ($L^{II}$) tredecim quaterniones sequentes usque ad finem. de diversis manibus Thilo (Mus. Rhen. 15 p. 149) nihil memoravit idemque falso Bandinium (catal. codd. mss. bibliothecae Mediceae Laurentianae vol. II) secutus litterarum formam Langobardicam dixit et saeculo X (Bandinius XI) attribuit. recte de utriusque librarii manu iudicaverunt editores collectionis palaeographicae Florentinae[1]) (fasc. IV part. I Lat. 37. 38), ad quos me consulentem vir doctissimus Rostagno, bibliothecae Laurentianae professor, benigne de-

1) Collezione Fiorentina di facsimili paleografici illustrati da Girol. Vitelli e Ces. Paoli, Firenze 1888.

legavit. horum ego sententiae, cum ad eam nondum mihi cognitam ipse quoque comparatione Vaticani libri adductus sim, eo minus dubito assentiri. prioris partis librarius in interpretationibus litteris utitur Anglosaxonicis, in lemmatis Vergilianis rubro colore scriptis usque ad fol. 13 uncialibus (uno loco capitalibus rusticis), post fol. 13 iisdem quibus in interpretationibus. $L^{II}$ in interpretationibus formas litterarum Carolinas minusculas semiuncialibus elementis mixtas, in lemmatis, quorum, si ampliora sunt, partem tantum rubro colore scribere solet, unciales adhibet. cum igitur posteriorem partem in Francia scriptam esse pateat, priorem quoque ibidem et eodem tempore confectam esse continuatio docet scribendi qua in versu 2, 494 nulla intercapedine alter librarius alterum excipit. praeterea viri docti Florentini maximam similitudinem manus posterioris cum forma calligraphica scholae Alcuinianae Turonensis esse monuerunt, in qua quem locum Anglosaxones obtinuerint constat. sic ergo statuendum est, priorem partem ab homine Anglosaxone, posteriorem a Francogallo scriptam esse, utramque in Francia saeculi p. C. n. noni parte priore. nam et litterarum habitus auctoribus Florentinis ad nonum saeculum nos revocat et quam ex codice Reginensi haud dubie iuniore temporis efficiemus definitionem in priorem eius saeculi partem. quodsi prioris librarii opus a posteriore eodem tempore ac loco continuatum est, archetypo eodem utrumque usum esse negari non poterit. huius manum in interpretationibus (de lemmatis non habeo quid dicam) Anglosaxonicam fuisse inde conicio, quod in illis prior librarius, cui eae formae familiares essent, multo rarius lapsus est quam posterior idemque unam tantum lacunam 2, 469 de lectione dubitans reliquit, $L^{II}$ permultas. his concessis nescio an illud quoque concedatur, ut archetypum, id quod aetate Alcuiniana saepe accidit, ex Anglia in Franciam delatum esse putemus. desunt in Laurentiano libri quarti versus 386—621 eosque ne in archetypo quidem fuisse ideo statuendum est, quia librarius spatium reliquit, brevius

illud quidem quam pro tanto versuum numero, sed vacuum. sensit ergo lacunam, sed amplitudinem eius non recte aestimavit. nam plures chartas vacuas excisas esse credi non potest, quia, si hoc admittas, quaternionum ratio turbatur. quaeri potest utrum Laurentianus olim duodecim interpretationum libros continuerit an quinque solos. finis libri non impedit quin omnes; nam ultimae paginae folii 160 spatium ipso ultimo verbo „explicit" ita consumptum est, ut „incipit sextus" in principio proximae paginae sequi debuerit. potuerunt ergo, ut in codice Reginensi veri simillimum est, reliqui septem libri olim adiuncti esse, sed perierunt. nam ne forte eos in Vaticanam bibliothecam migrasse et in codice Vaticano nunc extare suspiceris, etiamsi aetas non obstat (est enim eadem fere utriusque codicis), forma libri Vaticani prohibet in altitudinem Laurentianum aliquanto superans et quod in Vaticano paginarum capiti ab ipso librario pro titulo inscriptum esse solet „expositio in Vergilium" atque quaternionum numerus in fine singulorum adpictus est, in Laurentiano neutrum occurrit. correctoris manum Laurentiani libri et prior et posterior pars subierunt. hocne an alio libro Landinus in edendis excerptis usus sit anno 1487 ex iis quae de ea re Angelus Politianus in miscellaneis c. 77 memoriae prodidit: „commentarium Tiberi Donati nunc in manibus habet Landinus — — — grandioribus notatum vetustis characteribus" non apparet. at paulo post anno 1496 Petrus Crinitus, quem supra memoravi, eo usum esse certum est; prima enim quae affert verba „illos qui Mantuani vatis mihi carmina tradiderunt postquam (sic Mommsenius, fortasse post quem = Laur.) illos quorum libris voluminum qui Aeneidos inscribuntur" Laurentianum fuisse demonstrant. memorabile id quoque, quod Crinitus quinque libros Aeneidos in illo codice infuisse testatur, ut iam tum Laurentianum non plures continuisse appareat. haec deinde addit: „ex supellectile Petri Medicei est. hinc commodavit Andreas Martellus, qui cum hoc ipso multa et alia subripuit, ut alias testati sumus.

miratus in hoc sum antiquitatem litterarum: est enim exaratus litteris Longobardis". Antonii Petrei in libris hunc codicem fuisse notulae foliis 1 et 136 adiectae docent: qui quis fuerit aut quando vixerit reperire non potui, civem Florentinum fuisse Bandinius affirmat. „vetustissimum Donati codicem" Florentiae in bibliotheca ducis Etruriae se vidisse Fr. Lindenbrogius testatur (v. d. Hoeven p. 2): quin Laurentianus fuerit non dubito. — contuli codicem Florentiae autumno anni 1901.

Vaticanus cod. lat. 1512, membranaceus, formae grandis 0,270 × 0,410, una eademque manu perscriptus, foliis 236 vel potius, quia bibliothecarius post folium 179 unum numerare omisit, 237, divisis in binas partes paginis libros continet VI—XII et epilogi ad filium initium, a verbis „quia quem"[1]) usque ad verba „etiam in hac". lemmata Vergiliana rubro colore litteris uncialibus scripta sunt ita, ut ea post interpretationes in spatium vacuum inserta esse appareat. saepe enim aut deficiente spatio in marginem extenduntur (paucis locis in margine inferiore supplentur) aut superante intervallum non explent vel distractis litteris aegre occupant. multis locis librarius aut lemmata tota partesve eorum atramento aut interpretationes rubro colore scripsit; rarius in genere litterarum erravit. post lemmata in primo cuiusque interpretationis versu easdem unciales litteras adhibere solet, sed atratas, non miniatas. in ipsis interpretationibus litterarum forma extat Laurentiani prioris (v. coll. Flor. 37) simillima, non plane tamen Anglosaxonica, sed Carolino more quodammodo temperata, unde hunc quoque librum in Francia scriptum esse apparet. eum vetustissimum esse et nono certe saeculo attribuendum viri doctissimi P. Ehrle praefectus bibliothecae Vaticanae et Mercati bibliothecarius a me consulti summo consensu mecum iudicaverunt. sigla et compendia passim, curtata verba, velut „cru" 6, 248 „intermte", 6, 323, saepius in lemmatis quam


1) „q‹ quem" cod., quod Thilo l. c. falso „quae quem" legit.

in interpretationibus occurrunt. paginis, ut supra memoravi, superscriptum est sinistrae „expositio“, dextrae „in Vergilium“. correctoris recentioris vestigia paucis locis inveniuntur. de quaternionibus una cum lacunis referendum est. numerati sunt in fine uniuscuiusque XXXI, quorum primum, cum qui nunc primus extat numero II signatus sit, ex pleno libro deperiisse manifestum est. desiderantur enim ante verba „quia quem“, quae nunc prima leguntur, 157 versuum interpretationes eaeque cum titulo picturato, qui praecessisse putandus est, quaternioni respondent. nam versuum in singulis quaternionibus explicatorum numerus inter 130 et 232 variat, medius est 183. sunt autem inter illos XXXI, quos quaterniones dixi, tres (VIII XVIIII XXX) terniones, tres (VII XVII XXI) septena exhibent folia. accedunt post quaternionem XXXI quattuor folia versus 12, 847—952 et salvam epilogi partem continentia. ternionum primus (VIII) ita comparatus est, ut in ipsum medium lacuna incidat libri septimi, qua cum fine orationis Amatae versuum 373—414 interpretatio periit. incipit autem defectus post imum versum folii 50Bb et redit interpretatio summo versu folii 51Aa. quamobrem, cum versuum singulis foliis explicatorum numerus inter 17 et 30 variet et medius sit 23, duarum chartarum membranam, quae interior fuit, periisse et qui nunc ternio est quaternionem fuisse hac foliorum dispositione demonstratur: 48. 49. 50. 0. 0. 51. 52. 53.



in ternionibus XVIIII et XXX nihil desideratur: casu nescio quo pro quaternionibus irrepserunt. in quaternionibus VII XVII XXI quoniam nihil deest, librarius unum folium vacuum reliquisse putandus est. quod ne incredibile videatur, eundem folii 35 paginam priorem fere totam et folii 138 paginae posterioris dimidiam amplius partem nulla causa vacuas dimisisse moneo. integra autem folia, si vacua erant, excisa esse minime mirum est. haec et fortasse etiam quae continuo tractabimus, si dissolvere

codicis ligamina liceret, facilius cognoscerentur. nam dissimilitudo illa quae solet esse inter latus pilosum membranarum et glabrum nihil hic proficit, quia membranae utpote originis Gallicae (v. Wattenbach, Schriftwesen[3] p. 116 sq.) utrimque abrasae et pumicatae dignoscendi facultatem plerumque non praebent et librarius solitum disponendi ordinem (v. Blass, Handb. d. klass. Alt. Wiss. I p. 343) non observavit. aliquoties enim, ubi discernendi potestas est, quaterniones a latere piloso incipere videmus. ternionis XXX numerus folio 222, XXXI folio 232 in calce adpictus est, ut hic quaternio decem foliorum esse videatur. sed duorum foliorum ordine verborum post folium 232 inserendorum membrana, quae una restat ex quaternione XXXII, per errorem ita post folium 222 inligata est, ut bibliothecarius, qui ligati codicis folia numeravit, 223 et 224 inscripserit adiectis in margine inferiore restituendi ordinis causa litteris FF GG HH. accidit is error, cum iam quaternionis XXXII maior pars periisset. desideratur enim post folium 232, quaternionis XXXI ultimum, interpretatio versuum 44, sequitur verborum ordine folium 223 versuum 25 interpretationem continens, deinceps desideratur interpretatio versuum 66, sequitur folium 224 versuum 28 interpretationem continens, postremo deest versuum 65 interpretatio: hinc efficitur summa versuum 228, qua unus expletur quaternio sic disponendus 0. 0. 223. 0. 0. 224. 0. 0 cum enim ad



finem properans Donatus folio 232 29, foliis 233 et 235 30 versus Vergilianos absolverit, nihil obstat quin huius quaternionis duo folia media 66, duo ultima 65 versus complexa sint. iacturam autem in ipso codice Vaticano factam esse inde apparet, quod tres illi hiatus inter folia integra intercedunt. fuit ergo olim quaternio XXXII, cuius cum extrema charta numerus quoque adpictus interiit. excepit eum ternio; nam post quattuor quae nunc ultima esse dixi folia 233—236 duo suspicor eadem

putredine consumpta esse qua folium 236 adesum est. unum deletum esse certum est, quia epilogus in media sententia abrumpitur; sed si consideres prooemium revocatis ad Vaticani rationem versuum numeris duo folia explere, salvam autem epilogi partem vix dimidiam paginam occupare, eum in alterum folium pertinuisse concedas. hinc ternio, cuius numerus XXXIII cum ultimo folio periit, sic efficitur: 233. 234. 235. 236. 0. 0. fuit igitur codex Vaticanus olim, cum ex librarii manibus prodiit, quaternionum triginta et trium ternionum (XVIIII XXX XXXIII). nam quae in octavo libro a v. 457 usque ad v. 730 pertinet lacuna eam, quia in mediam paginam priorem folii 91 incidit nullo spatio indicata, iam in archetypo fuisse patet. foliorum 234—236 anguli inferiores agglutinatis novis membranae laciniis in formam quadratam redacti sunt. in duobus prioribus nihil ad sensum et ordinem verborum desideratur: membrana ab initio deformis fuisse videtur, id quod saepe in Vaticano occurrit. at ultima charta 236 putredine, ut supra memoravi, et ipsa agglutinandi arte iacturam fecit. imi enim utriusque paginae versus deni crescente deorsum damno mutili sunt. factum est detrimentum, cum iam Harlemensis et Oxoniensis et editorum exemplar extarent aut certe horum archetypus, quem suspicor, ex Vaticano transcriptus esset; nam illorum auxilio sarciri potest. epilogi pars amissa non item: quid post ultima verba „etiam in hac" protinus secutum esse putem supra p. I indicavi. num alterum volumen quinque priores libros continens praecesserit ignoramus. sed cum forma et scriptura picturaque codex Vaticanus adeo excellat, ut inter decora bibliothecae alicuius monasterialis fuisse videatur, ab initio eum truncum fuisse parum probabile est. mirum utique restat cur duodecim libri inaequaliter divisi sint. de communi cum Laurentiano et Reginensi archetypo infra opportunius disseremus. — contuli codicem Romae vere et autumno anni 1901 et vere anni 1902.

Reginensis 1484, cuius nec Thilo nec alius quisquam mentionem fecit, membranaceus, formae maioris 0,275 × 0,350, foliis 198, paginis in binas partes divisis continet libros I—V et decimi versus 1—585. praecedit titulus „Tiberii Claudii Donati ad Tiberium Claudium Maximum Donatianum filium suum interpretationum Vergilianarum Aeneidos incipit liber I". orditur a verbis „post illos", terminatur verbis „complevit sapientis". liber omnium quos consului consensu originis Gallicae una atque eadem manu perscriptus est ductu litterarum secundae codicis Laurentiani parti simili, sed recentiore. forma omnino Carolina minuscula (hastis litterarum sursus eminentium in longum productis) intermixtas habet litterae m formas unciales, litterae n capitales, idque aliquanto frequentius in lemmatis quam in interpretationibus. lemmata nulla re distincta sunt nisi miniatis initialibus litteris, neque id constanter. post finem libri quinti in calce prioris partis paginae B folii 168 „explicit" subscripsit librarius, alteram partem vacuam reliquit, in qua carmen scriptum est de quo inferius agemus. potest igitur „incipit liber VI" cum titulo ut post I III IV coniunctum ornatis litteris executurus oblivione transmisisse, id quod in Laurentiano post I, in Vaticano post X et XI accidit. nec verisimile est libros VI VII VIII ab initio defuisse, cum nonus olim certe infuerit. sequitur enim in priore parte paginae A folii 169 „Tiberii etc. Aeneidos liber VIIII explicitus est incipit liber decimus". ultimi folii 198 pagina B in parte priore post extrema verba „complevit sapientis" octo versus, in posteriore omnes vacuos habet ita, ut quae primo ibi scripta erant postea abrasa esse appareat, sed legi nihil possit. post abrasionem manu secunda et tertia, sed vetustis litteris bis inscriptum est „sic vos non vobis mellificatis". quamobrem, etiamsi abrasionis causam ignoramus, libri tamen decimi finem non talem olim fuisse qualis nunc extet negari non potest. fortasse usque ad finem deductus et undecimo ac duodecimo exceptus fuit. Reginensis codicis partem posteriorem non e Vaticano

fluxisse uno loco aperte demonstratur 10, 524, ubi verba ad intellectum necessaria „alterum quod contemplatione fili esse debuit“ in Reginensi conservata Vaticanus a priore „debuit“ ad secundum aberrans omisit. accedit 10, 496, ubi inepta Vaticani verba „trahentis baltheum“ non exhibet R, et 10, 515, ubi pro absurdis Vaticani verbis „de nova“ et „ex genere“ veram lectionem praebet, et alii non pauci loci quibus meliorem lectionem Reginensi deberi apparatus decimi libri docet. nam ne Reginensem librarium haec suo studio emendasse putes innumeri loci prohibent quibus ineptissima quaeque siccis oculis transcripsit. Vaticanum autem non ex Reginensi descriptum esse cum litterarum genus aliquanto vetustius tum quae omissa in Reginensi Vaticanus habet non pauca ostendunt. at ex eodem exemplari utrumque descriptum esse ingenti vel in bonis vel in malis consensu demonstratur. eadem inter Reginensem et Laurentianum ratio intercedit. primum enim omissa in Laurentiano Reginensis habet haec: 1, 19 „quae“, 1, 186 „per“, 1, 506 „viri“, 1, 526 „pius“, 1, 662 „Iunonis“, 2, 11 „executionibus“, 2, 632 „alii“, 4, 157 „nunc“, 4, 176 „foeda“, 4, 197 „quod“, 5, 2 „et“, 5, 16 „venis“ (velis), 5, 565 „albis“ (incertum est 2, 192 „adseruit“, quia hoc non R ipse scripsit, sed r′ in rasura). deinde Reg. veram lectionem, quam non potest suo ingeniolo librarius ex corrupta Laurentiani effecisse, cum aliis tum his locis exhibet: 1, 637 „ex iugi“, 2, 15 „inbellium“, 2, 44 „tracto“, 4, 121 „ecferre“, 4, 625 „perturbatae“, 5, 497 „a genere“, 5, 729 „de inutilibus“, 5, 730 „in ipsa“. ubi autem aut uterque erravit velut 4, 161 „nimis — nimes“, 5, 364 „cunctis — cuinctis“ aut Reg. solus velut 5, 283 „inquit“, 5, 660 „figura“, facilius hoc ex communis archetypi difficultatibus quam ex Laurentiani perspicua plerumque manu explicatur. quod 1, 591 satis evidens est: nam cum L beneficia ħ ā scripserit, ex his certe R non potuit elicere benefitium autem; at si archetypum statuas beneficiahα̂ habuisse i. e. beneficia haec aut (pro haut ut saepe), et quod L legit

et falsa Reginensis transcriptio facile explicatur. siglum enim illud ħ = autem, quod $L^{I}$ 1, 39 exhibet, se videre opinatus lineola ad beneficia retracta et neglecta ꝺ benefitium autem scripsit. denique si ex Laurentiano fluxisset, cur quae in illo prima manu correcta sunt neglegere soleret cf. 1, 716. 722. 4, 265. 659. 5, 38. 45. 193. 622? lacunarum quoque ratione L excluditur. magnam enim illam quarti libri, quam L vacuo sexaginta versuum spatio indicavit, R, quia non sensit, neglexit. quod fieri potuisse, si Laurentianum ante oculos habuisset, persuadere mihi non possum. paucarum autem litterarum lacunae, quas $L^{I}$ 2, 469, $L^{II}$ multis secundi et tertii libri locis reliquerunt, R non item, facile ita explicantur, ut quae in archetypo obscurius scripta legi non potuerunt L spatio vacuo, R praetermissione absolvisse putetur (2, 783. 3, 213 versa vice). idque uno loco 2, 639 manifestum est, ubi pro „se debilem esse“ L sedeb ........., R se dibi scripsit: plus ergo ex archetypo elicuit, sed nec totum nec rectum. quominus autem Laurentianum e Reginensi descriptum suspiceris eadem obstant quae in Vaticano, et litterarum formae antiquiores et plurima in Reginensi omissa quae in Laurentiano extant (v. apparatum). communem ergo archetypum ut statuamus et summo, quem vel cursim inspicienti apparatus ostendit, consensu et hisce locis adducimur: 1, 105 „aq: — atqu:“; 254 „tantae“; 2, 240 „piat“; 3, 105 communis dittographia; 516 communis aberratio; 578 „semitistum“; 640 „ostendit“; 4, 86 „aprima“; 265 „dicensdo“; 288 „ui“ pro „in“; 362 „irarcentis“; 659 „inultam“; 700 „poscida“; 5, 38 „acoanceptum“; 45 „adserata“; 193 „longis“ (longos); 622 „omisere quas“. haec omnia quaeque infra de compendiis in quibusdam lemmatis adhibitis afferam, nisi quae supra exposui obstarent, ita explicari possent, ut Reginensem ex Laurentiano transcriptum diceremus: nunc, quoniam hoc admitti non potest, una superest explicatio communis archetypi. iam vero cum parum verisimile sit Reginensem e duobus exemplaribus descriptum esse, eun-

dem codicem archetypum et priorem et posteriorem Donati partem continuisse haud temere statuere videmur. eum et litterarum genere et crebro compendiorum usu et truncatis verbis (cf. 3, 497. 10, 231) paulo impeditiorem ad legendum fuisse magna communium errorum docet copia. — Correctorum, praeterquam quod librarius ipse semet saepe correxit, quattuor manus discerni possunt. quorum tertium, qui perraro occurrit, saeculi XIII et quartum frequentiorem saeculi XIV ut nullius ad constituendam lectionem pretii nisi paucis locis non curandos putavi signo adhibito r″. at primus et secundus, quem subsecutum esse inde apparet, quod quaedam a socio correcta retractat, ad recensendum textum egregium auxilium praestant. aetate eos librario ipsi aequales fuisse litterarum et minusculae formae et immixtae maiusculae docent, suntque non pauci loci ubi utrum R ipse an de duobus alter correctionem fecerit discerni non possit. sed gravius est quod alter ab altero longe plurimis locis dignosci nequit. quare eorum adnotationes plerumque communi signo r indicare satis habui eodemque ubi primus iuxta secundum nominandus erat primum, at secundum signo r′ notavi. corrigendi officium uterque cum iudicio et diligentia exercuit, sed prior timidius et circa manifestiora ferme residens. multo potior alter est r′, homo perspicax et qui in intellectum sententiarum penetret, audax in coniecturis atque etiam ubi errat plerumque non absurdus cf. 5, 48 „meritasque“. utriusque manu suppleta inveniuntur quae librarius R omisit, sed aliquanto potior hac quoque in re secundi correctoris cura est cf. 1, 233. 2, 300. 446. 3, 443. 628. 5, 262. 277. haec supplementa cum fere ubique cum Laurentiano consentiant, necesse est ea aut ex archetypo communi aut e Laurentiano petita esse. atqui duo extant loci quibus Laurentianus quoque eadem omisit ad intellectum omnino necessaria et certe genuina, 1, 244 et 2, 65. quid ergo? ex archetypo haec suppleta esse statuendum est proindeque aliis quoque locis bene correcta ad archetypi fidem

referri possunt. at sunt etiam quae sive archetypi manu sive falsa specie sive corrigendi morbo decepti perperam temptaverint cf. 1, 527. 545. 563. 2, 752. 3, 301. 578. 641. 4, 210. 212. 655. 5, 707, sunt alia quae incorrecta reliquerint plurima, etiam omissa ut 4, 40. rarior omnino in decimo libro correctio est quam in libris I—V. nec omnia corrigendi causa adnotata sunt: saepe enim codicis lectione neque erasa neque expuncta neque mutata aut alia in margine adiecto „vel“ (ɫ vel λ) proposita aut aliqua dubitatio addito „quaere“ ($\bar{q}$) significata est. correxerunt codicem, cum iam ligatus esset; nam ad quaternionem undevicesimum per errorem ante duodevicesimum insertum in calce folii 136 B et folii 144 B secundi correctoris r′ manu „verte quaternionem“ adnotatum est. mansit ordinis perturbatio, cum in bibliotheca Vaticana novo involucro liber ornaretur. secundi correctoris r′ vestigia ad aetatem libri accuratius definiendam viam aperiunt. extat enim in folii 168 pagina B, cuius alteram partem vacuam esse supra memoravi, illius procul dubio manu scriptum carmen sepulcrale hoc:

hic situs est abbas H., praeclarus ubique,
  cui genus et mores culmine digna dabant,
Aldrici de fratre nepos, qui praesul amandos
  protexit Senones, nos pius ante pater.
doctus et indoctus merito laudaverit istum;
  sensit enim iustum, sensit uterque pium.
post felix senium vitam cum tempore liquit,
  vivere detur ei semper in arce poli.
luximus hunc, fateor, sed non lugendus habetur;
  gaudia nam pendit huic bene pensus amor.

hoc carmen non ex epitaphio antiquiore descriptum, sed ipsius sepulcri causa factum esse temptamina eadem manu adscripta ad v. 2 „luminis instar erant“ et ad v. 10 „gaudia cum“ docent. scripsit ergo auctor oblato epitaphii componendi munere, dum corrigendo codici operam dat, in pagina vacua versus, qui non minus quam emendationes plurimae eum satis eruditum fuisse demonstrant.

abbatis nomen saeculi illius more initiali tantum littera designatum, quamquam me per litteras rogatus vir doctissimus, qui Servati Lupi epistolas edidit 1888, Desdevises du Dezert, in Arvernorum civitate professor, diligentissima investigatione liberaliter adiuvit, eruere non potui. at patrui eius Aldrici aetas plane constat: natus anno 775 fuit abbas monasterii Ferrariensis, post Alcuinum tertius, ab anno 822 usque ad annum 828, quo archiepiscopus Senonum electus est, obiit 836. quare, quoniam propter Aldricum verbis „nos pius ante pater" Ferrariense monasterium significari necesse est nec potuit carminis auctor, nisi eos qui monumento inscriptum legerent mirifice vellet falli, verba „hic situs est" et „luximus hunc" ad aliud quoddam monasterium referre, defunctum eiusdem monasterii Ferrariensis abbatem ibique sepultum fuisse apparet. in elencho abbatum, quem dat Gallia Christiana vol. XII p. 156 sqq., ante annum 876 nullus invenitur qui cum indiciis carminis congruat. nam qui Aldrico successit Odo, etsi saepe Hodo scribitur, non „post felix senium" sed pulsus ex monasterii praefectura per Carolum Calvum regem amissa dignitate decessit. hunc Servatus Lupus secutus est 842—862, qui nomine ipso excluditur. sed post eius obitum usque ad Albustum, qui anno 876 monasterii Ferrariensis abbas memoratur, qui successerint parum constat. ergo is quem quaerimus aut illis annis 862—875 monasterio praefuisse et decessisse putandus est aut, id quod mihi quidem veri similius videtur, ipse ille Albustus fuisse. nam ut pro Odone Hodo sic pro Albusto Halbustus scribi potuit, cuius nominis forma curtata Halbo in versum optime quadrat.[1]) accedit quod Albustus in Gallia Christiana sic laudatur: „hunc integerrima vita et religione incorrupta commendatum ac vere patris et moderatoris sapientissimi laude dignum ferunt

1) Albusti nomen ex alb et wist compositum esse sicut Arnusti (Ernesti) ex arn (= erin honor) et wist Foerstemannus in onomastico germanico I p 73 et 1625 suspicatur idemque pro Arnusto etiam Harnustum inveniri memorat.

schedae Ferrarienses". haec quam egregie cum carminis laudibus consentiant nemo est quin videat. nec dictio carminis ab illa aetate aliena est; nam „praesul" pro episcopo in Servati Lupi epistolis saepe, „culmen" de dignitate abbatum aliquoties inveniuntur. post Albustum intra eos terminos quibus „Aldrici de fratre nepotis" aetas natura finitur in abbatum Ferrariensium serie nomini quod quaerimus locus non invenitur. quodsi Albustum vel triginta vel adeo quinquaginta annis minorem quam Aldricum patruum fuisse statuerimus, locum intra quinque ultima saeculi noni lustra habebimus congruum morti hominis qui „post felix senium vitam cum tempore liquit". illos igitur intra annorum terminos codicem Reginensem correctoris manum subisse et, quia librarii manus fere aequalis videtur, non multo ante scriptum esse recte existimabimus atque, ut Reginensem posteriori parti noni saeculi, ita Laurentianum et Vaticanum litterarum genere aliquanto vetustiores priori adscribemus. Ferrariensis monachus carminis auctor idemque corrector codicis fuisse videtur; neque enim veri simile est Servati Lupi discipulos, cum suo in numero nullum invenirent qui versus facere posset, alieni monasterii auxilium implorasse. apud Ferrarienses igitur scriptus correctus asservatus, ut videtur, liber postea in reginae Christinae bibliothecam atque inde in Vaticanam venit. teste „recensione manu scriptorum codicum qui ex universa bibliotheca Vaticana iussu Pii VI pontificis maximi pridie id. Iul. anni 1797 procuratoribus Gallorum iure belli seu pactarum induciarum ergo et initae pacis traditi fuere" hic quoque „nro. 442 membr. in fol. max. constans pagg. 198 exarat. saec. X contin. Claudii Donati interpretationum Vergilianarum Aeneidos libros X" (sic!) „ex latinis bibliothecae Alexandrinae seu Reginae Suecorum" traditus est habetque hodie quoque in calce signum reipublicae Gallicae. post Napoleonis cladem in Vaticanam bibliothecam rediit. — contuli codicis libros IV et V totos et decimi quantum superest, praeterea prooemium et primi libri partem annis 1901 et 1902, cum

vero quarto itinere Romam revisere me valetudo prohiberet, reliqua meum in usum contulerunt viri egregii Alfredus Monaci professor et Ludovicus De Stefani litterarum doctor, qui iidem mihi ad examinanda quae in Laurentiano ac Vaticano post collationem dubia extiterunt operam suam navaverunt.

Cunctos interpretationum libros quattuor saeculi XV codices continent, Harlemensis, Oxoniensis, Urbinas, Malatestianus, membranacei omnes, iisque quintus accedit editionis principis „archetypus". duos primos totos contuli, Urbinatis magnam partem, Malatestianum non inspexi. eos in secunda interpretationum parte e Vaticano fluxisse, cum lacunas quas in hoc ortas esse supra demonstravi easdem exhibeant, manifestum est. accedit ut in decimo libro quibus locis a Reginensi dissentit Vaticanus cum hoc consentiant. habent eam quoque lacunam qua quartus liber hiat. hanc quoniam supra iam in archetypo fuisse demonstravi, suspiceris forsitan eos in prima parte ex ipso archetypo transcriptos esse. sed cum supra p. XXVII archetypum totum Donatum continuisse probaverimus, mirum sane videatur, si illos in priore parte hoc, in posteriore alio libro usos esse putemus. accedit quod ubi R veram archetypi lectionem servasse videtur plerumque cum L consentiunt. nec magis ex Reginensis prima parte descripti esse possunt, quia aliqua in illa omissa cum Laurentiano congrua habent et quae in illo meliora extant ut 5, 495. 730 pariter ac Laurentianus corrupta praebent. quamobrem eos ut in secunda parte ad Vaticanum ita in prima ad Laurentianum referendos esse confitendum est. et Urbinatem quidem ex ipso Laurentiano descriptum esse loci quidam demonstrare videntur. primum enim ab „illos" incipit, non a „post illos". deinde cum Laurentianus ad 4, 202 folii 110 paginae A partem priorem verbis „aeternas pe" terminatam in sequenti recte continuaverit „cudumque cruorem" etc., his autem verbis lemmatis finem, quem primo omiserat, „pingue solum et variis florentia limina sertis" tamquam primum paginae versum super-

scripserit, sed signis in ordinem revocatum, Urbinas uno tenore ineptissime scripsit „aeternas perpingue solum — — — sertis pecudumque cruorem". non minus grave est quod 4, 335, ubi in Laurentiano „finit" inter lineas inepte insertum esse in apparatu notavi, quia supra verbum „regit", quod inferius sequitur, scriptum est, Urbinas hoc correctum ratus „finit" pro „regit" posuit. nihilo tamen setius et Urbinatem et reliquos, quamquam a Laurentiano et Vaticano originem habeant, ex his ipsis transcriptos esse nego. sunt enim loci quibus HOU a lectione quae in L vel V extat ita discedant, ut inter se et cum editione i. e. cum libro manu scripto unde facta est consentiant. exempla ex plurimis aliquot cum alibi passim tum in septimo in apparatum recepi, hic satis habeo haec adscribere: 4, 68. 5, 234. 394. 6, 182. 7, 221. 301. 332. 351. 594. 744. 9, 818. 10, 96. gravissimum autem est quod lacunam Vaticani 6, 168 HOU ed. summo consensu expleverunt verbis „se addidit Aeneae". numquam enim mihi persuadebitur quattuor diversos librarios casu in easdem aut mendas aut emendationes venire potuisse. sequitur ergo ut ad commune exemplar recurramus, ortum illud quidem ex Laurentiano et Vaticano, sed cui loci in HOU ed. ab L et V communiter discrepantes possint attribui. eo in exemplari mira quoque illa quae supra ex U enotavi ita scripta fuisse concedas, ut signa correctionis apposita U neglegeret, observarent ceteri. quodsi communem illum codicem, quem littera X significo, emendationibus coniecturis adnotationibus repletum fuisse statuerimus, qualem Reginensem etiam nunc videmus, id quoque facile explicabitur, quod HOU et „archetypus" editionis persaepe cum primigeniis libris L et V non omnes aut consentiunt aut dissentiunt, sed partim. ex tali enim exemplari librarii, praeterquam quod corrigendi libertatem sibi quoque assumpserunt, quod cuique placeret recipere potuerunt cf. 4, 1. 5, 201. 7, 211. 503. 8, 79. 10, 62. nam quominus unum ex illis ceteris pro archetypo fuisse suspicemur multa et magna in unoquo-

que omissa impediunt; idque etiam in editionis exemplar cadit, quia ne omnia quae in ea omissa deprehendimus editorum neglegentiae imputemus ingens ipse numerus prohibet. nec difficile est de codice communi nunc amisso cogitare, quoniam ex ipso Harlemensi ad 4, 385 complures Donati libros tum Florentiae fuisse comperimus. ait enim „hic deficit expositio CCXL carminum, quae non reperitur in aliquo textu huius civitatis: spatium demittemus, si in aliquo loco reperiretur“ (cf. v. d. Hoeven p. 54). accedit quod Vaticanum librum Florentiae, ubi H scriptus est, umquam fuisse nemo auctor est. Oxoniensis autem partem secundam non ex ipso Vaticano descriptam esse infra docebo. ceterum, utcunque res se habet, quoniam in recensendo Donati textu nusquam excepto ultimo Vaticani folio ad hos codices confugiendum est, nihil interest nisi ad stemma constituendum, quod mihi quidem huiusmodi esse videtur:

Archetypus

L V R

X

H · O · U · (M?) · editionis principis „archetypus“.

Iam singillatim de iis referam. Harlemensis bibliothecae publicae 22, membranaceus, formae grandis, foliorum 380, incipit a verbis prooemii „cui licuit universa percurrere“ amissis cum titulo quae praecedebant, terminatur 12, 952 verbo „debebatur“, post quod omisso Donati ad filium epilogo subscriptio sequitur, qua de librarii persona atque aetate docemur. est autem haec: „Vergilianarum interpretationum Eneidos liber duodecimus explicit. deo gratias amen. scriptus autem fuit per me Franciscum Si. Nicolai Berti Martini de sancto Geminiano civem notarium Florentinum de anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto de mense decembris

in civitate Florentina tempore sanctissimi in Christo patris et domini dn̄i Pauli divina providentia pp secundi pontificatus sui anno tertio". lacunae non modo eadem sunt quae in LVR, sed accedunt aliae. nam et 5, 796—807 et 7, 1—3 desunt et in septimo maior pars orationis Amatae cum interpretatione quae sequitur usque ad v. 425 deficit et in duodecimo versus 605—855 desiderantur, multo plures quam in Vaticano, praeterea alia non pauca breviora. additamenta non repperi, nisi quod multis locis, nonnumquam inepte, „idcirco sequitur" interpolatum est. post 9, 211 inserta legitur interpretatio ad 8, 364—368 suo etiam loco perscripta. animadverso errore librarius locum rubro colore circumduxit et in margine adnotavit „haec carmina supersunt et in exemplari sic posita erant". hoc si verum est nec sui excusandi causa a librario ementitum, apparet eum non Vaticano exemplari usum esse. ex hoc codice Ryckius auctore Burmanno secundo (praef. ad Virg.) Donatum edere constituerat. bene accidit quod consilium non executus est: haberemus editionem Fabriciana haud dubie multis partibus emendatiorem, sed Harlemensis erroribus laborantem. nam praeter omissa et addita multa etiam transposuit vel mutavit. eodem v. d. Hoeven usus est. — contuli librum magna cum liberalitate Stuttgartiam transmissum in nostra bibliotheca publica hieme 1902/3.

Oxoniensis collegii Lincolnensis lat. XLIV membranaceus, formae maioris, foliorum 394, recte in catalogo saeculo XV attribuitur. post titulum nunc prope evanidum incipit a verbis prooemii „post illos", desinit in verba epilogi „in hac". quarti libri lacuna multo maior quam in L et R pertinet a versu 253 usque ad versum 622. reliquae lacunae eaedem sunt atque in Vaticano. breviora hic quoque passim omisit, sed rarius quam Harlemensis: omnino in secunda parte O, in prima H melioris notae esse videtur. in duodecimo libro post interpretationes v. 386 et 470, item post lemma v. 904 librarius, dum adiectis inferius quae primo omiserat errorem cor-

rigit, ordinem male turbavit, quod accuratius exponere longum est. 6, 824 post „Camillum“ lemmatis haec habet: „immo Decii phoebi plebei nam plebeiae Deciorum animae ut inquit Satyrus“, tum quae in Vaticano continuo sequuntur „Decii et Drusi“ etc. „phoebi“ librarius ipse expunxit, qua re haec verba non a semet ipso inserta, sed in exemplari inventa esse prodit; idemque ordo ineptus docet, nam contra Donatum scripta („immo“) post „profuerunt“ inserenda erant. in Vaticano nihil huiusmodi extat, unde efficitur ut huius libri scriptorem non Vaticano exemplari usum esse statuamus, sed alio, cuius in margine haec adnotata erant. quis ille Satyrus sit nescio: unum apparet, verborum illorum auctorem doctrinam suam contra Donatum ostentare voluisse. — hunc quoque librum Stuttgartiam benignissime transmissum nostra in bibliotheca contuli vere 1903.

Urbinas 346 bibliothecae Vaticanae, foliorum 387, formae maioris, saeculo XV in membrana subtilissima pulcherrime scriptus hunc titulum habet magnifice exornatum: „in hoc codice continetur expositio Donati super Aeneide Virgilii“. post superscriptum „Tiberii Claudii Donati ad Tiberium Claudium Maximum Donatianum filium suum interpretationum Virgilianarum Aeneidos liber primus incipit foeliciter“ sequitur „illos qui“. sextus liber post verba „ponemus exempla“ v. 579, duodecimus post „sic enim illa dixerat“ v. 471 abrumpitur. alias maiores lacunas fortasse invenissem, si totum librum perlustrassem. eas quibus LVR in IV VI VII VIII hiant hic quoque habet, in XII comparari nequit. breviora librarius, aut oculis aberrans aut quia legere non potuit aut quia non intellexit, plurima omisit, permulta vel temere mutavit vel mendis deformavit, sunt autem etiam quae correcta praebeat. — contuli libros IV V VII X Romae 1901.

Malatestianus bibliothecae Cesenensis II 22, 4, membranaceus, foliorum 321, saeculo XV scriptus, Urbinati affinis esse videtur. nam, etiamsi in 6, 168 cum V, non cum U consentit et sextum librum praeter 1—157 plenum

habet, gravius tamen est quod ipse quoque ab „illos qui" incipit et 12, 471 iisdem verbis quibus U abrumpitur. lacunas librorum IV VI VII VIII (in XII ut U comparari nequit) easdem habet quas LVR. quod enim in VIII versus 175 desiderari catalogus dicit, ad typographi errorem referendum est: desunt plane eadem quae in V, versus 275. nam post lemma „Euandrum — volucrum" 8, 455/6 ut in Vaticano continuo sequitur „scientia futurorum — — gesta laudaret". ex his ultimis octavi libri verbis aliisque quae mihi vir doctissimus Piccolomini bibliothecarius per litteras rogatus transcripsit hunc quoque codicem plurimis mendis laborare vidi.

Venio nunc ad eos codices recentiores qui partes interpretationum continent. saeculi XV sunt omnes et, in quantum comparari possunt, easdem lacunas quas LVR habent. cum igitur ad recensendum Donati textum nihil quod antiquius sit conferant, satis habeo eos breviter enumerare. Ambrosianus H 265, chartaceus, saeculi XV, continet libros I—V, incipit ab „illos", desinit in verba „invenire non possis" (sic!) 5, 871. lacuna quarti libri eadem est quae in LR. infimae notae librum, correctionibus et adnotationibus refertum, ipse Mediolani inspexi. — Farnesinus V B 31 bibliothecae nationalis Neapolitanae, chartaceus, saeculi XV, scriptus „atramento subalbido nec uno charactere", olim in libris Iani Parrhasii, continet libros I—III integros et quarti partem usque ad verba „Iuno optabat Aeneam apud Carthaginem", quae sunt ex interpretatione versuum 4, 110—112, non versus 104, ut in catalogo legitur. hunc librum non inspexi. — Magliabecchianus VII 971, bibliothecae nationalis Florentinae II 1, 66, anno 1670 in libris Thomasii Stroctii (Thomas Strozzi), chartaceus, saeculi XV, foliorum 264, continet libros I—V. incipit ab „ost illos" spatio ad depingendam p relicto, desinit 5, 871 in verba „sepultorem invenire non posset". lacuna quarti libri eadem est quae in LR. inspexi librum Florentiae. — Marcianus bibliothecae Venetorum XIII 52a, chartaceus,

saeculi XV, continet libros I—VI 275. incipit ab „llos" spatio ad depingendam i relicto. lacunae in quarto et sexto eaedem sunt atque in LRV. certiorem me de iis fecit per litteras rogatus vir doctissimus Coggiola bibliothecarius. — Parisinus bibliothecae nationalis 7957, chartaceus, foliorum 209, scriptus anno 1461, continet libros I—V, incipit a verbis „post illos qui" in rasura ita positis, ut primo „illos qui" scriptum fuisse videatur; nam „qui" nunc supra lineam scriptum est; desinit in „sepultores invenire non posset" 5, 871. lacunam libri quarti eandem habet quam LR. — Parisinus bibliothecae nationalis 7958, membranaceus, formae grandis, litteris initialibus pictis alioque ornatu decoratus, foliorum 161, saeculi XV, continet libros VI—XII a 6, 158 „quia quem perdidisset" usque ad 12, 952 „matrimonium debebatur". lacunas sexti, septimi, octavi libri easdem habet quas V, praeterea desunt interpretationes post 9, 771 „iacuit caput" usque ad 10, 121 „ribus defendebantur earum altitudine", quas in codice ipso periisse apparet, hiat enim inter fol. 92B fin. et 93A in. duodecimi lacunae comparari nequeunt, quia extrema codicis pars non plena est. nam post 12, 471 „sic enim illa dixerat" primum pars ex 12, 195—471, quam librarius iam suo loco scripserat, sequitur repetita multis omissis, deinde interpretatio a 12, 471 usque ad 493 „hasta tulit", tum 12, 932 „miserere (sic) si qua parentis — debebatur" 952, postremo adnexa est particula 12, 423—434 „non manu tenentis — dictis quoque composuit". videtur ergo hic liber Urbinati et Malatestiano affinis esse, sed adiectis post 12, 471 undecunque neque ullo consilio interpretationum laciniis. Parisinorum librorum notitiam diligenti curae debeo viri doctissimi Pauli Lejay professoris. — Praeter hos quos tractavi codices mihi quidem ex bibliothecarum catalogis nullus innotuit. de Petri Criniti libro manu scripto supra mentionem feci.

Iam de editionibus agendum est. epitomen cum iisdem ac LRV lacunis Landinus edidit Florentiae 1487 codicibus

usus duobus, ut ait ipse ad 4, 385, ex quibus alterum Politianus, ut supra memoravimus, „grandioribus notatum vetustis characteribus“ tradit. haec epitome in sequentes editiones migravit, primum in Veneticam 1489, deinceps in alias, quas enumeratas invenias in elencho Heyniano, cf. v. d. Hoeven p. 21 sqq. — Pleni Donati editio princeps impressa est Neapoli hoc titulo: „Donati in libros duodecim Aeneidos quae antea desiderabatur absoluta interpretatio“. post ultima verba „in hac“ additum est „huiusmodi finis extat in archetypo. impressum Neapoli per Ioannem Sulzbachium et Matthiam Cancer quarto idus Novembres anno domini MDXXXV“. praefationis loco duae epistolae praemissae sunt, Pauli Flavii ad Aloisium de Toledo, Scipionis Capycii ad Garcilassum.[1]) is enim, Aloisius de Toledo sive Garcilassus, vicarii quondam regni Neapolitani filius, adolescens litterarum studiosus, ut Donati commentarii ederentur petierat a Scipione Capycio, „cuius in manus ex Pontani bibliotheca devenerant“. sed Capycius, „cum esset in iure civili interpretando magnopere occupatus, hanc provinciam Paulo Flavio dedit“. Flavio igitur curante „volumen“ a Capycio ei traditum impressum est et „brevi absoluta impressio opere in multa volumina escripto“. interpretatio Donati in illo volumine, ut ait Flavius, „integra extabat et absoluta“. haec ex epistolis transcribenda putavi, ut codicem ex quo editio princeps confecta est interpretationes cunctas uno volumine continuisse pateret. non potest ergo aut Laurentianus aut Vaticanus fuisse, qui praeterea tum haud dubie Neapoli non fuerunt. idque innumeris editionis erroribus confirmatur quorum in L vel V nulla occasio est, velut, cum 1, 135 in L „id est“ plene scriptum sit, in editione falso „idem“ et versa vice in V „idem“, in editione „id est“ 7, 691, apparet in eius archetypo „idē“ scriptum

1) quod Heynius memorat „utriusque praefationes in Leonardi Nicodemi addizione alla biblioteca Napoletana (sic) da Nicolao Toppi“ extare, in bibliotheca Monacensi eum librum repperi: sunt plane eaedem epistolae, nihil amplius.

fuisse, quod et pro „id est“ et pro „idem“ saepe invenitur. ne autem aut R aut ex libris HOUM aliquis fuisse putetur supra praecautum est. illud vero asserere licet, propter locos communiter ab L et V discrepantes, quorum exempla supra attuli, editorum „archetypum“ eidem familiae adnumerandum esse atque HOUM. „mendis editionem Neapolitanam ita repletam esse, ut Donati commentarii et editi et non editi viderentur“, iure questus est Georgius Fabricius. quam bene ipse de Donato meritus sit mox videbimus. unum addo: quanta pars culpae in Flavio, quanta in scriptore eius codicis haereat, quoniam hic hodie non extat, disceptari non potest. multa in eo omissa, deformata, mutata fuisse ex similitudine librorum HOU suspicandum est. additamenta autem, non dico ea quae emendandi causa breviora inserta sunt, sed haec quae nulla cogente causa interpolata deprehenduntur 1, 346[b]. 506. 4, 221. 6, 579. 647. 8, 323. 9, 487. 818. 10, 325. 11, 126. 678. 750. 12, 878, Flavio crimini danda sunt. eorum maxime notabile 10, 325 Garcilassi patroni adolescentuli gratia confictum puto. — Hanc editionem, quam incognitam Germanis ex itinere Italico secum attulerat, G. Fabricius Chemnicensis annis 1547—1551 una cum Vergilii textu et commentariis Servii Basileae apud Henricum Petri typis imprimendam curavit. vitiosissimam eam esse omnes qui in Donatum operam impenderunt pariter intellexerunt. sed peius se res habet quam vel Thilo praesensit, cum collatis quibusdam Vaticani locis Donatum nova editione vulgatum „longe aliam faciem habiturum esse“ scriberet, vel v. d. Hoeven repperit, cum Harlemensem conferret. nam non modo eorum vitiorum quae in editione Flaviana occurrunt sexcenta Fabricius inemendata dimisit sed etiam nova ipse ingessit non pauca. satis habuit manifestos editionis Flavianae errores aut quos manifestos credebat corrigere idque properanter, indiligenter, saepe inepte, sententia parum perpensa. codicem enim Neapoli tunc haud dubie salvum ab eo non collatum esse omissa ipsa maiora ostendunt; sunt enim numero

circiter 440, quae non supplevit, quaedam ipse deliquit. haec tanta multitudo, quoniam HOU longe plurimis locis integrum textum praebent, fieri non potest ut eiusdem familiae codici, editionis „archetypo", imputetur. quod autem quattuor locis primi libri v. 1. 214. 310. 474 omissa a Flavio Fabricius suppleta habet, facile explicatur, si ea in exemplari quod Neapoli paravit in margine emendata fuisse putes. breviora quae vel Flavius vel Fabricius omisit innumerabilia dixeris. inter omissa locum quoque Sallustii deprehendi 9, 225, mallem historiarum quam Catilinae. additamenta editionis principis tribus auxit Fabricius 1, 346[a]. 2, 429. 12, 101. quaecunque idem, cum in editione Neapolitana aut sana essent aut propius ad verum adspirarent, vel transcribendi neglegentia vel mutandi temeritate vel omittendi incuria corrupit in apparatu notavi. videmus ergo quam vere Hiobus Madeburgus Annebergensis (sic) Fabricii familiaris in epigrammate titulo editionis Fabricianae primae inserto mendas eam non habere praeconatus sit. rectissime iam v. d. Hoeven nullo nisi Harlemensi codice collato „habet", inquit, „innumeras". equidem vereor ne nulli scriptorum antiquorum a primis editoribus tam male consultum sit. nam, ut praetermittam recte scribendi rationem similiaque leviora et frequentem distinctionis perversitatem, decies amplius mille locis editionis lectio corrigenda fuit. quaedam in editionibus quae annis 1561, 1575, 1586 ex prima Fabriciana repetitae sunt emendata invenias, sed pauca sunt et novae rursus mendae irrepserunt. idem de editione dicendum quam Lucius Basileensis anno 1613 curavit cum aliis vitiis tum pluribus omissis notata. post hunc nemo Donatum edidit non sine mea gratulatione, quia cum aliorum sententiis mihi non conflictandum fuit.

De mea editione haec habeo quae praefanda putem. — Interpretationum textum Laurentiani et Vaticani et Reginensis auctoritate constituendum fuisse ex iis quae supra exposui satis apparet. in lectionis varietate adnotanda dilectum habui; nam si omnem recepissem, et infinitum

et inutile opus fuisset et suo iure bibliopola reclamasset. leviora igitur cum alia tum quae ad recte scribendi rationem pertinent pleraque praetermisi, in gravioribus rebus nusquam a codicum auctoritate discessi nisi adnotatione adiecta. emendationes, quae quidem mihi certae viderentur, in textum recepi, alias cum interrogationis signo in apparatu adscripsi, in desperatioribus locis traditae lectioni crucem apposui. in scribendorum verborum ratione cum libros nec singulos sibi nec inter se constare intellegerem, frequentiorem auctoritatem, Vaticani maxime, secutus sum. itaque, ut exemplis utar, cum genetivum „fili" longe plurimis locis, accusativum pluralem adiectivorum, ubi licet, plerumque in „is" desinentem (quamquam Donatus ipse et „is" et „es" admittere videtur cf. 9, 528 et 11, 534 cum 11, 258), praepositiones „ad" ante p in verbo appellandi, „con" ante m et ante l in verbo colligendi semper assimulatas invenerim, haec retinenda putavi; in aliis non assimulandi constantiam praetuli propter frequentiam. Aeneidos versuum numeros in margine lemmatis adscripsi; sed, quia Donatus non raro aut interpretationem lemmati praeponit aut quae suo loco vel praeteriit vel leviter tetigit inferius repetit et plenius tractat aut multos versus uno lemmate complectitur ut maxime in primo, uno autem loco 4, 191 lemma cum interpretatione per hyperbaton, ut ait, divisum anticipat, aliqua reperiendi molestia nonnumquam extat, quam effugere nullo modo potui. lectionem Flavio-Fabricianam mallem omnino praeterire potuissem, sed quia verendum erat ne quis aut eadem aut meliora in ea latere suspicaretur et ego, si tacerem, editorum laudibus obtrectare viderer, dilectum habui ita, ut omissa et interpolata pleraque adnotarem, praeterea ea tantum quae vel utilitate et prudentia vel vanitate et temeritate eminerent. mutatum verborum ordinem, nisi ad intellectum faceret, et alia leviora non recepi. oneratior enim Donatus est quam ut saburra egeat. multi editionis errores distinctione adhibita consentanea pro absurda corrigi potuerunt. —

In lemmatis autem constituendis non parva difficultas occurrebat. saepe enim accidit ut in his contraria legantur iis quae in interpretatione explicantur. quid hic iudicandum est? an idem quod iam Heynius, etsi parum certo loco, 8, 187 statuit, ex interpretatione quid Donatus legerit cognoscendum esse? in hoc genere locorum ex plurimis gravissimus est 12, 412. nemini enim credo persuasum iri Donatum „dictamnum genetrix Cretaea carpit ab Ida" in lemmate, ut traditum est, scripsisse, cum eam lectionem haud ambigue impugnet, at altera „ipsa manu genetrix Dictaea carpit ab Ida" per totam interpretationem pro fundamento utatur et multus sit in explicando quod est „manu" et „Dictaea". nec minus evidenter 9, 786 ex interpretatione apparet Donatum „deorum" legisse, non „parentum", quod Vaticanus et editio in lemmate praebent, itemque 5, 775 al. impeditior locus est 10, 18, ubi lemma „rerumque" habet, interpretatione „divumque" explicatur: „divumque" recepi quamquam etiam 4, 675 „rerumque" codice confirmatur; potest enim in quarto aut Donatus ex memoria solitam lectionem secutus esse aut, si illic quoque „divumque" scripserat, librarius mutasse. hoc enim certe factum est in loco ad 12, 412 ex 4, 513 adscito, ubi, cum Donatus haud dubie „messe" scripserit, quia „messis tempore" explicat, librarius „messae" posuit secundum traditam in libris Vergilianis rectamque lectionem, locus ipse in quarto amissus comparari nequit. dubium non est quin lemmatis lectio corrigenda sit, sicubi vel metro damnatur ut 3, 526. 8, 150. 10, 693. 11, 129. 498 etc. vel metri ac sententiae ratione ut 4, 256. 6, 363. 528 vel alio loco veram lectionem testante ut 4, 106. 5, 662. sed hoc quoque in numero difficilis locus est 11, 886 ubi, licet „et duro sub Marte cadentum" metro repudietur, dubitari tamen potest utrum cum Fabricio „duro et" emendandum an diversum lemma quod libri Vergiliani praestant substituendum sit. est enim profecto ubi Donatus a tradito Vergilii textu discedat modo meliorem lectionem praebens ut 5, 814. 11, 345

modo eam quae dubitari possit an melior sit ut 1, 342. 11, 768. 12, 632 (v. 4, 675) modo, quod quidem frequentissimum est, deteriorem ut 11, 259 „damus“ pro „manus“ modo falsam ut 7, 193. cautio etiam illis locis adhibenda est ubi ex duabus Vergilianorum librorum lectionibus sensu vix diversis altera in lemmate, altera in interpretatione traditur. potest enim Donatus, id quod amat cf. 6, 389 „quid venias“ — „cur venias“, 7, 422 „sceptra“ — „sceptrum“, 8, 106 „tura“ — „dona“, per variationem explicasse altera lectione in hunc usum advocata: huiusmodi loci sunt 7, 436 „undam“ — „undas“, 8, 70 „sustinet“ — „sustulit“, 10, 819 „sinus“ — „sinum“, 11, 24 „quae“ — „qui“ etc. potest etiam ex ipsa Donati interpretatione varia lectio in aliquos Vergilii libros irrepsisse, quod nescio an recte suspicatus sit Wagnerus 11, 135, ubi lemma „alta“ habet, interpretatio „icta“ addit; nam si Donatus „icta“ legisset cum libris deterioribus, cur superfluum „alta“ in eadem interpretatione apponeret? quare, quamquam aliquando ut 6, 746 interpretationem secundum lemma emendandam esse patet, unum tamen ex his quae exposuimus apparet, lemmatum, ut tradita sunt, fidem incertam esse, quod quidem vel uno loco 7, 4 „signant“ — „signat“ satis probatur, et ubicunque vel apertis interpretationis verbis vel aliis magnis causis ad alteram lectionem vocemur supremam illam legem valere emendandorum ex interpretatione lemmatum. confirmatur hoc eo quod lemmata saepe non plena esse videmus, non dico eos versus qui, quia non explicantur, iure omissi sunt velut 1, 124—127, sed eos qui explicantur et desunt. talibus locis, quorum multos iam in editione expletos videbam, supplere lemma adiectis cum uncis quae desunt non dubitavi. Donatum enim, qui loquacitate senili verba Vergilii in cassum repetere soleret, interpretationibus lemmata trunca praefigi voluisse persuadere mihi non poteram. nec desunt loci ubi omissa lemmatis pars inferius repetatur, tamquam supra adsit cf. 2, 774. 6, 851. qua in re illud etiam attendendum

est quod de integrandis quibusdam lemmatis ad 1, 25 exposui. omnino supervacanea sunt ea lemmata quae post interpretationem ante sequentia repetuntur ut 3, 628. 4, 170. 7, 441. 10, 783. 12, 374: sed, quia intellectui non obsunt, nihil hic mutandum putavi. iam vero si quaeritur quomodo hae difficultates in lemmatis constituendis ortae sint, viam mihi videor invenisse qua lux afferatur. nam defectus in Vaticano quidem, in quo lemmata post interpretationem inserta esse supra diximus, inde multis locis explicari potest quod spatium necessario brevius relictum erat. at in Laurentianum et Reginensem hoc non convenit, cum horum librarii lemmata interpretationibus una scriptione continuaverint in his ergo aut quae deficiunt neglegentia omissa esse aut, quoniam omittendi vitium in interpretationibus perraro deprehenditur, aliam subesse causam necesse est. quid ergo? iam in archetypo multa lemmata aut omissa aut semiplena fuisse credendum est et haec defectuum explicatio etiam in Vaticano passim admittenda. atque Laurentiani quidem in parte priore compendiorum in lemmatis non desunt exempla: nam 1, 33 pro „Romanam condere gentem“ scriptum est „ro̅ c̅ g̅“, 1, 66 „f e t“ pro „fluctus et tollere“, 1, 75 „prole p“ pro „prole parentum“ aliaque similia 1, 91. 95. 105. 107. 111. 208, quae describere longum est. accedit quod idem librarius 1, 81 post „haec ubi dicta“ adicit „et cetera quae sequuntur“, 1, 100. 118. 191. 207 autem abrupto lemmati verba extrema cum „usque“ addit. haec ille, qui ex quattuor cum quibus res nobis est librariis longe diligentissimus reperitur, profecto non ausus esset, nisi in archetypo ipso occasionem invenisset, idque inde confirmatur quod omnibus his locis R eadem compendia habet. eadem porro via regredientes ad Donatum ipsum devenimus, quem ne quis forte nulla omnino lemmata scripsisse suspicetur vel id obstat quod ea saepe verborum structura cum interpretatione sua contexit cf. 1, 329. 4, 268. 5, 854. 7, 68. 8, 166. 11, 615 eaque de causa aliquando aut paululum mutat cf. 3, 99. 4, 301. 9, 278.

10, 160. 227. 890 aut ita reddit, ut interpretatione hausta videantur cf. 1, 304. 5, 164—170. quodsi statuerimus Donatum propter ingentem scribendi molem in lemmatis ad compendia et verborum et versuum confugisse, eum autem qui edendi autographi curam suscepisset supplenda ex aliquo Vergilii exemplari lemmata librario mandasse, et defectus multorum lemmatum et frequens eorum cum interpretationibus dissensio facile explicabitur. eiusmodi enim in homine omni generi incuriae locus datur latissimus, ut eum et praetermisisse explenda et discrepantia neglexisse credi possit. notum est levissima quaeque indicia in arte critica magnarum rerum argumenta praebere posse. talis in hac quaestione locus est 11, 369, ubi pro „concipis" in V scriptum est „concipisset" adsumpto videlicet „et" ex lemmate quod inferius sequitur. hoc certe nec Donato, nisi prorsus elleboro dignus existimetur, imputari potest nec librario medii aevi, quem operaria detentum scriptura ultra interpretationem subsequentem proximum lemma prospexisse verisimile non est. at librarius antiquus, cui id muneris obtigisset, ut autographi compendia secundum exemplar Vergilianum expleret, facile „concipis et" pro uno verbo legere et „concipisset" scribere potuit, ut „accipi" pro „accepi" et similia saepe inveniuntur. eodem modo „omisere quas" in LR 5, 622 et „extructosque" post „querno" in V 11, 65 et alia irrepsisse videntur. illud quoque moneo, verborum scribendorum rationem nonnumquam aliam esse in lemmatis atque in interpretationibus, velut bracchium — brachium, cominus — comminus, humeri — umeri, pharetra — faretra, sumsi — sumpsi, tento — tempto. — Lemmata inclinatis litteris imprimenda curavi; ubi aut integra aut partes eorum iterantur non distinxi. locos quos Donatus e Vergilio aliisque advocat signis notavi. non vereor ne quis me Donati interpretationes scholiorum in modum intervallis discerpere debuisse putet. neque enim scholia scribere voluit, sed interpretationem continuam, idque et contextis, ut supra memoravi, cum interpretationibus lem-

matis et insertis „ait“ vel „inquit“ ipse passim indicavit. quamobrem scriptionis tenorem ibi tantum interrumpendum putavi ubi carminis partes ut incideretur poscebant. — Sigla adhibita sunt haec: L codex Laurentianus, $L^{I}$ eiusdem pars prior, $L^{II}$ posterior; V codex Vaticanus; R codex Reginensis, r correctores eius aequaevi, r′ eorum secundus ubi discernitur, r″ posteriores; H codex Harlemensis; O codex Oxoniensis; U codex Urbinas; M codex Malatestianus; X exemplar quod per coniecturam stemmati inserui; ed. editiones Flavii et Fabricii ubi consentiunt; edI editio princeps Flavii; edF editio Fabricii prima, qua in collationibus faciendis usus sum; ed. post. editiones Fabricii posteriores et Lucii. — Indices duos addam, alterum latinitatis Donatianae, alterum nominum ac rerum.

Prodeat ergo Donatus suis voluminibus comprehensus, a squalore diuturno purgatus, solita Teubnerianae officinae munditia excultus ita, ut et legi possit et intellegi.

Viris egregiis quorum vel opera vel auctoritate adiutus sum gratias ago maximas.

Stuttgartiae mense maio 1905.

# TIBERI CLAUDI DONATI

## AD TIBERIUM CLAUDIUM MAXIMUM DONATIANUM FILIUM SUUM

# INTERPRETATIONUM VERGILIANARUM

## AENEIDOS LIBER I.

[Post] illos qui Mantuani vatis mihi carmina tradiderunt postque illos quorum libris voluminum quae Aeneidos inscribuntur quasi quidam solus et purior intellectus expressus est silere melius fuit quam loquendo crimen adrogantis incurrere. sed cum adverterem nihil magistros discipulis conferre quod sapiat, scriptores autem commentariorum non docendi studio, sed memoriae suae causa quaedam favorabili stilo, multa tamen involuta reliquisse, haec, fili carissime, tui causa conscripsi, non ut sola perlegas, sed ut conlatione habita intellegas quid tibi ex

---

*Aeneidos liber I incipit feliciter* L *feliciter* om. R.

---

1 *illos* LU *post illos* RO ed. quoniam *i* in L initialis litterae instar ornamentis insignita est nec credi potest librarium primum verbum omisisse, archetypus *post* non habuisse videtur, R, qui alia quoque correxit, per coniecturam adiecisse, X utramque lectionem exhibuisse. potest enim Don. figura ἀπὸ κοινοῦ usus esse, quam 2, 507. 4, 215. 9, 331 adhibet ad exemplum Vergilii 7, 296. 9, 427 (cf. Forbiger ad 5, 512). quamobrem *post* uncis inclusi. | *mihi* LR *tibi* in marg. pro coniectura r recte, ut opinor, cf. praef. 2 *postque* R *post quem* m abrasa L. | *voluminum qui* LR. | *quorum* — 3 *inscribuntur* partim om. partim mut. ed. 4 *fuit* LR *erat* ed. 8 *stilo* LR *studio* ed. | *involute* ed.

illorum labore quidve ex paterno sequendum sit. non enim aut illi omnia conplexi sunt, ut res ipsa indicat, aut ego tanta conposui quae te possint ad pleni intellectus effectum conpetenter instruere. quocirca, ut dictum est, lege omnia et, si forte nostra aliis displicebunt, tibi certe conplaceant quae filio pater sine fraude transmisi.

Primum igitur et ante omnia sciendum est quod materiae genus Maro noster adgressus sit; hoc enim nisi inter initia fuerit cognitum, vehementer errabitur. et certe laudativum est, quod idcirco incognitum est et latens, quia miro artis genere laudationis ipse, dum gesta Aeneae percurreret, incidentia quoque etiam aliarum materiarum genera conplexus ostenditur, nec ipsa tamen aliena a partibus laudis; nam idcirco adsumpta sunt, ut Aeneae laudationi proficerent. hoc loco quisquis Vergilii ingenium, moralitatem, dicendi naturam, scientiam, mores peritiamque rhetoricae disciplinae metiri volet, necessario primum debet advertere quem susceperit carmine suo laudandum, quantum laborem quamque periculosum opus adgressus sit. talem enim monstrare Aenean debuit, ut dignus Caesari, in cuius honorem haec scribebantur, parens et auctor generis praeberetur; cumque ipsum secuturae memoriae fuisset traditurus extitisse Romani imperii conditorem, procul dubio, ut fecit, et vacuum omni culpa et magno praeconio praeferendum debuit demonstrare.

Dicamus ergo quae ipsius Aeneae personam deformare potuissent; nullum enim Vergiliani carminis apparebit ingenium, nisi in persona suscepti herois fuerint enumerata contraria. incertum quippe esse non potest Aenean sic ex Asiae partibus recessisse amissa patria, quam defensare

1 *labore* transpos. ed. 10 *laudandum* LR *laudativum* ex 11, 295 emend. v. d. Hoeven p. 31. 11 *miro artis* pro mira arte, quod infra legitur. | *ipse* R *ipsi* L *ipsius* ed. 12 *etiam* om. ed. 13 *ipsa* om. ed. 16 *dicendi notitiam* ed. 19 *opus* LR *carmen* ed. 20 *Caesari* L *Caesare* R *-ris* r. 22 *secutorem* L *secut(u)ore* R *secuturae* r (cf. 9, 446 *secutura posteritas*) om. ed.

non potuit, perditisque opibus regni, tanta et illic apud Ilium et cum genitali solo truderetur esse perpessum, ut cuivis credibile esse possit talia illum non fuisse passurum, nisi iure deos omnis habuisset infestos, quod est procul dubio criminosum, et qui sic vitam suam duxerit, ut displiceret omnibus superis, nullumque fautorem, ne ipsum quidem avum suum Iovem habere valuerit....... purgat ergo haec mira arte Vergilius, et non tantum collecta in primis versibus, ut mox apparebit, verum etiam sparsa per omnis libros excusabili adsertione, et, quod est summi oratoris, confitetur ista quae negari non poterant et summotam criminationem convertit in laudem, ut inde Aenean multiplici ratione praecipuum redderet unde in ipsum posset obtrectatio convenire. itaque conponit, non, ut alii putant, carminis caput, sed, ut nos adserimus, carminis thema tanta subtilitate artis, ut in eodem, hoc est in eius brevitate, latitudinem magnam futuri operis demonstraret. commendat in prima propositione carmen suum personamque eius et gesta quem purgandum laudandumque susceperat simulque partitur quid fato, quid extra fatum perpessus sit, subtiliter monstrans quae accidunt fato nullius posse viribus superari, perindeque non esse illius crimen, si expugnare fata non valuit, illa vero quae extra fatum inponebantur adversantibus superis et Iunone patientia et virtute animi transmisisse. nullum interea Aeneae speciale meritum fuisse ostendit, ut Iunonem primitus, dehinc omnis deos sentiret inimicos. nam et Iunonem strictim in themate ipso, latius autem in carmine frustra adversus Aenean inimicitias suscepisse et deos

---

1 *perditisque* LR *que* om. ed. 3 *illum* LR *Ilium* ed. 7 post *valuerit* lacunae signa posui, quia *et qui* cum antecedentibus coniungi non potest, sed ad apodosin spectat hanc fere: eum non dignum auctorem populi Romani videri. 12 *summota// criminatione//* R cum ras. 16—17 *hoc est* LR *est* om. ed. 19 *eius* LR *suam* ed. | *quem* LR *eius quem* ed. 22 *virtutibus* ed. | *perinde quod non esset* ed. 27 *primitus* LR *prius* ed.

ceteros prodidit, non quasi scaevis Aeneae meritis excitatos, sed reginae suae qualicumque studio obsecutos, in quo ipso subnexuit etiam illam divisionem, ut dicturum sese promitteret quae Aeneas idem in terra, quae in fluctibus adversa pertulerit. purgata persona quam propria defensione Vergilius tuebatur, quod ad oratoris officium pertinebat, diversae partis hoc est inimicae fuerat deformanda; huic enim et saevitiae crimen obiecit et diuturnitatis retentarum inimicitiarum adposuit culpam addens in fine thematis ingentem invidiam, scilicet Romani imperii felicitatem emersuram non fuisse, si Aeneas, auctor eius et conditor, Iunonis factione ad plenum fuisset oppressus.

Haec te summatim, fili, nosse convenerat, nec arbitreris me circumitione usum. cum enim adverterem tirocinia tua novitate ac brevitate expositionis instrui non posse, aliquantum evagari debui, ut etiam ipse quasi quoddam thema futurae interpretationis praemitterem, melius existimans loquacitate quadam te facere doctiorem quam tenebrosae brevitatis vitio in erroribus linquere quem provectum cupio cuique hoc mei laboris opusculum peculiaris animi quasi quoddam hereditarium munus in iura transmitto. ac ne forte nescias quid tibi commodi ex hac traditione possit accedere, paucis accipe. si Maronis carmina conpetenter attenderis et eorum mentem congrue conprehenderis, invenies in poeta rhetorem summum atque inde intelleges Vergilium non grammaticos, sed oratores praecipuos tradere debuisse. idem enim tibi, ut aliquibus

1 *scaevis* LR in *saevis* corr. r *scaevis* — 2 *obsecutos* corrupit ed. 3 *in quo — divisionem* om. ed. | *dicturum* LR *dictum est* ed. 7 *pertinet* ed. 9 *culpam* om. ed. 14 *fili* om. ed. | *conveniat* ed. 15 *circuitione* R (ut V 12, 25, at 1, 254 *circumitione* et 3, 85 *circumitu*) *circumventione* ed. 16 *novitate ac* LR ed. *novitatis causa* Hoppius. 17 *aliquantulum* ed. | *evagari* LR *augeri* ed. | *etiam* LR *iam* ed. 18 *thema* LR *praeludium* ed. 21 *profectum* LR ed. *provectum* nos. | *cupido* ed. | *hoc* om. ed. 22 *et iura* LR ed. *in iura* nos cf. 12, 938. 28 *debuisset* LR corr. r ed.

locis exempli causa posuimus, artem dicendi plenissimam demonstrabit. amato eum, qui multorum diversorumque scripta conplexus est, erit operae pretium non errare per plurimos; et si id placebit, laudabis eum cui licuit universa percurrere, qui se diversae professionis et diversarum sectatoribus artium benivolum praebuit peritissimumque doctorem. habet denique ex eo nauta quod discat in officiorum ratione, habent quod imitentur patres et filii, mariti et uxores, imperator et miles, civis optimus et patriae spectatissimus cultor, in laboribus periculisque reipublicae optimum quemque et apud suos primum fortunas et salutem suam debere contemnere. magisterio eius instrui possunt qui se aptant ad deorum cultum futuraque noscenda. hic habent imitandam laudem qui inlaesas amicitias amant, habent quam metuant notam qui fluxa fide aut amicum fefellerint aut propinquum. docet quales esse debeant homines quorum praesidia in necessitatibus postulantur, ne adrogantiae aut inhumanitatis crimen incurrant; non erubescendum, si potior inferiorem roget, cum fuerit necessarius. postremo quoniam non possumus Maronianae virtutis omnia narrata percurrere, exempli causa ista dixisse sufficiat. facilius enim cetera legendo et considerando reperies, si praedicta fueris adsecutus. omnia certe quae ex eo nunc adripere placuit, suis quibusque locis explicando tractabimus.

Nec te perturbent inperitorum vel obtrectatorum Vergiliani carminis voces inimicae. scio enim nonnullos calumniari quod sententias suas Vergilius velut contraria sentiendo dissolvat. in iis quippe reperiuntur qui relictis perspicuis rebus argumentis velint contraria ipsa firmare, atque ita adsertionibus suis ostendunt sese ab vero intel-

---

2 *eum* LR *eo* ed. 10 *laboribusque* ed. | *periculisque* om. ed. 14 *hii* LR *hic* ed. 16 *propinquum* L ed. *propinus cum* R. 20 *necessarius* LR (cf. 1, 64) *necessarium* ed. 21 *narrata* LR *numerata* ed. 24 *ex eorum* LR *ex eis* ed. *ex eo nunc* nos. 27 *enim* om. ed. 29 *dissolvat* LR *-vit* ed. | *iis* LR *his* ed. 31 *adsertionibus* L *insertionibus* R *fictionibus* ed.

lectu longe esse discretos. Vergilius enim si dixit deos esse et rursum non esse memoravit, alio autem loco posuit esse, sed nihil curare, alio vero esse et curare quae homines agant, esse fatum et non esse, stata die homines mori et interdum ante praefinitum tempus extingui, sentire aliquid mortuos vel nihil esse post mortem, non adserentis officio ductus est, sed pro tempore, pro persona, pro loco, pro causa aut adstruxit ista aut certe dissolvit. denique, si ad propositum thema redeamus, inveniemus Vergilium id esse professum, ut gesta Aeneae percurreret, non ut aliquam scientiae interioris vel philosophiae partem quasi adsertor adsumeret.

Interea hoc quoque mirandum debet adverti, sic Aeneae laudem esse dispositam, ut in ipsam exquisita arte omnium materiarum genera convenirent. quo fit ut Vergiliani carminis lector rhetoricis praeceptis instrui possit et omnia vivendi agendique officia reperire. restat ut ante disputationis interioris ingressum etiam hoc debeat nosci, ordinationem operis sui sic conlocasse Vergilium, ut posteriora primitus et prima posterius poneret; nam Siciliensi in parte naufragium descriptum non inter primos labores Aeneae numerabatur, usque adeo ut ipse idem diceret (1, 29): „iactatos aequore toto Troas, reliquias Danaum atque inmitis Achilli, arcebat longe Latio multosque per annos errabant acti fatis maria omnia circum“; et ex Aeneae persona (1, 198): „o socii, neque enim ignari sumus ante malorum, o passi graviora, dabit deus his quoque finem. vos et Scyllaeam rabiem penitusque sonantis accestis scopulos, vos et Cyclopea saxa experti“; et ex persona Didonis (1, 755): „nam te iam septima portat omnibus errantem terris et fluctibus aestas“. haec ergo quae posterioris temporis fuerunt posuit

4 *stata* L (*tu* superpos. man. II) R *statuta* ed. 7 *et pro* L (in *set pro* corr. man. II) *et* R *sed* r ed. 8 *adstruxit* LR *abstraxit* ed. | *ista* om. ed. 14 *ipsam* L *ipsa* R ed. | *omnium* LR *omnia* ed. 17 *dispositionis inferioris* ed. 28 *squilleam* LR. 32 *fuere* ed.

prima et in aliud tempus superiora distulit, ut in convivio Didonis narrarentur, ne, si prima ponerentur, odiosum foret haec eadem inquirente Didone repetere, quae vitandae prolixitatis causa semel dici convenerat.

Interpretabimur igitur quod diximus thema, cuius prima pars est *arma virumque cano:* in hac brevitate et angusta propositione multa conplexus est; nam et proposuit et divisit et in eo ipso sese commendat, quod non ludicra vel turpia ut alii, sed spectata elegerit ad scribendum, arma scilicet, hoc est scutum et alia quae Aeneae Vulcanum fabricasse perscripsit, et virum, non ut sexum significaret, sed virum qui talia arma, tam magna, tam pulchra habere vel gestare potuerit, virum qui Romani imperii auctor et conditor esse meruerit, virum qui Iunonis inimicitias et factionem deorum omnium superaverit, virum qui terra marique iactatus multa adversa tolerando ac ferendo transmiserit. hoc loco plerique arbitrantur errasse Vergilium, ut primo rem, deinde personam poneret; qui si Sallustium (hist. I 1 M.) considerarent liberum a ratione metrorum sic historiam coepisse, ut primo rem, dehinc populi Romani personam poneret, numquam Vergilium criminarentur, quem constat in propositione liberam ordinandi habuisse licentiam, exequendi vero alium ordinem adhibuisse. nam quod ait cano, quasi iam carmine conpleto loqueretur, ostendit ex aperto thema esse, quod plenum atque perfectum futurae conscriptioni carminis praeparaverat. cano bis accipitur, cano arma, cano virum, sed armorum descriptionem primo propositam sequenti disputationi servavit et coepit a gestis viri adiun-

3—4 *quae vitandae* L *quae evit-* R. 5 *interpretemur* ed. 8 *dividit* ed. 11 *et virum* LR *et* om. ed. 13 *potuit* ed. 14 *esse meruerit* LR *e. debuerit vel m.* ed. 15 *factionem — superaverit* temere mut. edF *virum — superaverit* om. edI. 16 *virum* — 17 *transmiserit* post *meruerit* transpos. edF. 19—20 *a ratione* R *oratione* L. 21 *dehinc* LR *deinde* ed. 24 *tribuisse* LR edI *tenuisse* edF *adhibuisse* nos. 29 *servabit* LR corr. r ed.

gens haec secundae propositioni, ne hiulcam faceret narrationem. sequitur altera cum propositione divisio, ut ostendat quid Aeneas fatali ratione, quid extra fatum perpessus sit; nam fuit fati ut perdita patria sua ire ad Italiam et in eam venire cogeretur. quo loco Vergilius Aenean perditae civitatis crimine absolvit; nulla enim culpa est defensare nequisse quod fataliter interisse dubitari non poterat. simul monstrat non poenam fuisse quod Asiae finibus exclusus Aeneas amisso genitali solo quasi exul trahebatur in alienas terras, sed gloriam. optimum quippe est idcirco parvum perdere unumquemque, ut minore percussus detrimento maioris rei emolumenta conquirat. certe et illud sentiendum, non malo fatorum voto Iliensi imperio excidium extitisse, sed ne esset quod in Asiae partibus eum detineret qui constituendo Romano imperio dignus auctor et conditor parabatur. ergo quod ait *Troiae qui primus ab oris Italiam fato profugus Laviniaque venit litora,* fatorum id ratione contigisse non dubium est. sed quaerendum est cur posuerit Laviniaque venit litora, cum nondum fuisset hoc loci nomen, eo scilicet tempore quo Aeneas venit ad Italiam. non ergo iam tunc fuerant Lavinia litora, sed tunc cum gesta veteribus saeculis Vergilius replicabat. alia Vergilio fit causa, quia dixit primum venisse Aenean ad Italiam, cum constet etiam alios eo esse pervectos, antequam Aeneas Italiam tetigisset: et verum est, sed non ad eam Italiae partem in qua sunt Lavinia litora. ergo et primus fato, quia alii ex eventu ad Italiam fuerant delati, Aeneas vero conpulsus, quia, sicut multis locis est positum, aliam terram tenere non poterat cui fuerat decreta Italia in ea parte in qua ab eo Lavinium oppidum conditum est. ergo colligitur intellectus, ut fato non

1 *praepositioni* LR *propositioni* r edI: cf. quod spectat Donatus 7, 37 *novum exordium carminis.* 6 *perditae* LR *proditae* ed. cf. 2, 199. 12 *ut minore* L ed. *ut* om. R. 17 *primis* L. 18 *Laviniaque* LR *Lavinaque* r ed. 24 *fit* LR *fuit* r ed. | *quia* LR *qua* ed. 32 *ut fato* LR *scilicet* interpos. ed.

semel accipiatur, ut sit fato perdidit patriam fato exclusus, fato pervenit ad Italiae partem in qua vocitari coeperunt Lavinia litora. *multum ille et terris iactatus* [*et alto*]: aliam tenet cum propositione divisionem; nam specialiter scripsit in carmine suo quae in terris, quae in pelago perpessus sit Aeneas et haec ipsa adserit extra fatum fuisse addendo *vi superum.* vis enim non est nisi cum fit aliquid extra leges, hoc est contra fatum. ut autem ex hoc quoque excusaret Aenean, qui nihil tale de superis meruerat, addidit *saevae memorem Iunonis ob iram,* hoc est non propter Aeneae aliquam culpam haec superos fecisse, sed ut obsequerentur studio et voluntati Iunonis, cui utpote reginae universi in quam vellet partem consentire debuerant et idem velle quod illa praesumpserat. purgatur ergo etiam ex ista parte Aeneas: restat ut ipsam quoque Iunonem frustra adversus ipsum odium suscepisse monstremus, in quo ipso non tantum purgatio est susceptae personae, verum etiam deformatio Iunonis, quam e diverso poeta constituit; ait enim saevae memorem Iunonis ob iram. non enim saevam potentem dixit, ut alii volunt, sed revera saevam, quae persequeretur innocentem et eum qui nihil admisisset et esset deorum omnium perindeque ipsius quoque Iunonis antistes et cultor. onerat eam etiam alterius criminis invidia, quod inimicitias ipsas nulla ex culpa susceptas diutissime ac tenaciter retineret, perindeque indicavit honestis et probis etiam iustarum inimicitiarum longaevam non convenire memoriam. hunc locum apertius notat in quinto libro (781): nam cum Venus apud Neptunum de ipsa Iunone quereretur, ait inter cetera „Iunonis gravis ira neque exaturabile pectus, quam nec longa dies pietas nec mitigat ulla“. concludit mire thema ipsum et omnem adversus Iunonem invidiam conpetenter exaggerat dicendo *multa quoque et bello passus, dum conderet urbem infer-* 5

1—2 *exclusus* LR *expulsus* ed. 4 *et alto* deest in LR sed explicatur. 7 *addendo* LR *adde* ed

*retque deos Latio, genus unde Latinum Albanique patres atque altae moenia Romae,* ut etiam tunc bello Aeneañ adpetisset, cum civitatem in Italia conderet, cum inferret deos Romano imperio et statui publico profuturos, contra quae si obtinuisset Iuno, nec Latinum genus nec Albanos principes neque ipsam Romam emersuram fuisse perindeque nec ipsum Caesarem Romani imperii culmen habiturum. dum conderet urbem: de hac dictum est (7, 290) „moliri iam tecta videt, iam fidere terrae". cuius dolore commota Iuno excitavit per Furiam bellum. proposito nova inventione themate, in quo non solum quae esset dicturus ostendit verum etiam multiformi ratione divisionis usus est, commendavit carmen suum et Aeneae personam omni liberam crimine demonstravit, Iunonem, quam ex diverso posuit, multis modis gravi perfudit invidia. ipsum adgreditur ab invocatione Musae sui carminis caput, cui nisi instruendi lectoris causa thema praemisisset, perdidisset profecto gratiam laboris sui, cum quid lecturus esset lector ipse nesciret. interea proposito themati non mirandum est in omnibus non respondisse Vergilium; cum enim libros suos disposita ordinatione perscriberet, fine vivendi circumventus intentionem professionis suae conplere non potuit; nam Albanique patres atque altae moenia Romae non scripsit.

Exposuimus thematis textum, iam nunc ad originem carminis caputque redeamus, ut ostendamus Vergilium poetarum more quod erat scripturus ab invocatione Musae coepisse. *Musa,* inquit, *mihi causas memora, quo numine laeso quidve dolens regina deum tot volvere casus insignem pietate virum, tot adire labores inpulerit?* rogatur Musa, quoniam deam nihil latere convenerat, ut odiorum Iunonis adversus Aenean diceret causas (nullum enim iustum odium est nisi quod delinquentis praecesserit culpa),

2 *ut etiam* LR edI *quod etiam* edF. 4—5 *contra quae* LR *contraque* ed. 8 *dum conderet* om. ed. 13 *et Aeneae* — 15 *invidia* temere mutavit ed. 18 *lecturus* LR *dicturus* ed. 21 *perscriberet* LR *praescr.* ed. 23 *nam* om. ed.

utrum aliquod numen vel ipsam Iunonem laesisset Aeneas, ut, cum nulla esset inventa, confirmaret Iunonis saevitiam. ideoque opposuit insignem pietate virum, ut ostenderet innocentem tot volvere casus [insignem pietate virum tot adire labores inpulerit] et, quod fuit gravius, insignem pietate virum, hoc est deorum cultorem et spectatae vitae hominem. quo loco possumus conicere quid factura esset delinquenti, quando sic adflixit innoxium. quae omnia sic in unum rediguntur; nam irasci, cum irascendi causa non suppetat, et non satiari innumeris tormentis alienis et gravissimis casibus saevitia est non ferenda. quod autem in themate posuit saevae memorem Iunonis ob iram, hic quoque confirmat. interea hoc dicendo instruit homines ad bonam vivendi rationem. bonum enim virum iustus dolor debet commovere et sic nec in ultione sit inmoderatus nec ipsas quamvis iustas inimicitias diutius in animo retentet. hoc hominum genus meliore testimonio Sallustius prosequitur et contrarios occulte reprehendit dicens (Cat. 9, 5) „et accepta iniuria ignoscere quam persequi malebant“. quantum ergo reprehendenda est Iuno, quae nec accepit Aeneae iniuriam et sic persecuta est innocentem! etiam diu inimicitias tenuit nulla praecedente offensione susceptas nec tot poenis et cruciatibus insontis potuit satiari. *tantaene animis caelestibus irae?* in deorum mentibus lenitas ac miseratio et pronum ad benefaciendum votum esse convenit. inde Vergilius admiratur, cum dicit tantaene animis caelestibus irae, quia nec frustra irasci debent nec commotionem suam in-

---

1 *utrum aliquod* LR *verum quod* ed. 3 post *opposuit* quae sequuntur usque ad 5 *gravius* om. ed.: ex quibus quae uncis inclusi per dittographiam irrepsisse patet. 8 *omnia sic* L *omnia et sic* R *et* del. r. 11 *saevitiae si* L *saevitiae s//* R *saevitia est* r ed. 15 *et sic nec* L *et sic ne* R *nec* om. ed. | *inmoderatus* LR *moderatus* ed. 17 *retineat* ed. 18 *persequitur* ed. | *occultae* LR corr. r ed. 19 *accepta iniuria* LR = Sall. *ini. acc.* ed. 25 *miseratio* LR *misericordia* ed.

moderata ultione pensare, ne gravius reprehendatur in diis quod in hominibus displicet.

. Post invocationem, quam non in adiumentum sui carminis, sed in favorem suscepti sui Vergilius posuit, incipit causas enumerare, quas lector vel auditor advertens inter initia ipsa cognoscat et Iunonem saevam et deos ceteros malo studio eiusdem Iunonis non recte adsensos et Aenean non sua culpa perpessum esse quae passus est. *urbs antiqua fuit:* primam et principalem causam odiorum Iunonis dicit, quam contra dispositionem fatorum susceperat Iuno, ut quod nunc Roma imperium tenet non ipsa, sed Carthago habuisset. sed angebatur fortissimo scrupulo et futurorum gnara sciebat fatorum ratione inpediri nisus suos, quod emersurus foret ex sanguine Troianorum qui opes eiusdem Carthaginis perderet, ideoque cupiebat Troianos extingui, ne ad illius tempora Troiana successio perveniret cui Carthaginis debebatur excidium. ecce ipsa principalis causa Aenean specialiter non tenet in crimine. ceteras videamus quas incidentis enumerat, quae ne ipsae quidem possunt eius innocentiam maculare. hae tamen enumerantur ad iniquitatem Iunonis exprimendam. ceterum sola illa Carthaginis fuit quae inimicam in odium Troianorum vehementer urgebat, ceterum si aliae non essent, necesse erat incitari ex illa sola Iunonem, ut quod instituerat adversus Troianos exerceret. sed propterea aliae sunt causae propositae, ut, cum omnes fuerint ab Aeneae speciali culpa discretae, et ipse Aeneas purgetur melius et Iunonis factio conatibus iniquissimis noscatur esse suscepta. laudatur hic Carthago, dum situs eius et cetera describuntur, ut ostendatur emergens Romanum imperium multiplici ratione opprimere potuisse, vel maxime fulta favore Iunonis praesentis. urbs antiqua fuit, *Tyrii tenuere coloni, Carthago, Italiam contra Tibe-*

---

11 *Roma* LR *Romanum* ed. 13 *gnara* LR *genera* ed. 14 *nisus* LR *conatus* ed. 21 *hae* LR *haec* ed. 22 *inimica* ed. 27 *fuerint—et* temere mut. ed. 30 *Romanorum* ed.

*rinaque longe ostia, dives opum studiisque asperrima belli:* antiquam debemus accipere non magnam, ut nonnullis videtur, sed prolixi temporis, ut annositate ipsa roborata sit atque firmata perindeque potuerit Romanum imperium nascens longaevis viribus premere. Tyrii tenuere coloni: ut praeter incolas aucta sit etiam accessione Tyriorum. laudatur etiam a loco ac situ: Italiam contra Tiberinaque longe ostia; a fortuna: dives opum, hoc est cui substantia propria non deesset nec quaereret alienam; a natura et moribus: studiisque asperrima belli. hanc igitur parabat aemulam Iuno, cui omnis ad inferendum bellum Romano imperio patebat occasio, Iunonis favor, locorum proximitas, substantia rei familiaris, bellatorum numerus et fiducia naturalis et innatum studium dimicandi. *quam Iuno fertur terris magis omnibus unam posthabita coluisse Samo: hic illius arma, hic currus fuit, hoc regnum dea gentibus esse, si qua fata sinant, iam tum tenditque fovetque:* tanta obstinatione Iuno contra Romanum imperium nitebatur faciens pro Carthaginis opibus, ut omnibus eam terris et ipsis quoque genitalibus praeposuisset. denique insignia numinis sui et omne quod poterat in ea conlocaverat. *progeniem sed enim Troiano a sanguine duci audierat, Tyrias olim quae verteret arces:* vertere hanc habet intellectus expressam rationem, ut nihil post excidium supersit: denique sic et alio loco ait (237) „quae te genitor sententia vertit?" hoc est sic mutavit, ut nihil pietatis remansisset in sensibus Iovis; item alio loco (2, 624) „tum vero omne mihi visum considere in ignis Ilium et ex imo verti Neptunia Troia", quoniam constabat nihil eius remansisse post flammas. haec ergo, ut dictum est, principalis fuerat causa, quae etiam si sola existeret, sola posset adversus

11 *aemulari* ed. 12 *favor* LR *furor* ed. 16 *huic illius* LR *hic i.* r. 19 *Romanorum* ed. 23 *troiana sanguine* LR corr. r. 29 *alio — vero* om. ed. 31 *ergo* om. ed. 32 *causa* om. ed. ante *fuerat* inseruit ed. post. | *quae* R ed. om. L. | *extaret* ed.

Troianos animum Iunonis urgere: faciebant aliae cumulum et odium ex priore causa susceptum magis ac magis augebant. hoc ostendit poeta dicendo *id metuens:* ut firmaret quod diximus, fuisse unam et principalem causam quam primo loco posuit. incipit iam alias dicere: ait enim *veterisque memor Saturnia belli, prima quod ad*
25 *Troiam pro caris gesserat Argis, [necdum etiam causae irarum saevique dolores exciderant animo: manet alta mente repostum iudicium Paridis spretaeque iniuria formae et genus invisum et rapti Ganymedis honores]:* ut ostenderet Iunonem pernicioso studio laborare ne Troianis contingeret inpune evasisse post excidium Troiae vel viribus reparatis adversus Graecos armari, quos Illiensi bello confoverat, vel finis obtinere Italiae, propter Carthaginis meritum, addidit subinde aliam causam miro artis ingenio, ut ex uno Paridis facto non unum, sed et aliud crimen videretur exortum, quae quidem vexarent Iunonis animum, non tamen quae adscribi Aeneae merito potuissent. sic enim plurali usus numero unam causam duplicem fecit; nam cum Iuno in iudicio Paridis offensa sit, quod in malo aureo minorem praetulit deam, quaesivit ingenium dicentis aliam, cum dicit iudicium Paridis spretaeque iniuria formae, ut iniquum non suffecerit iudicium Paridis, qui potiori, hoc est reginae deorum omnium praetulit inferiorem, accesserit et formae iniuria. malum quippe aureum dicitur inscriptum fuisse „hoc munus formosior habeto“. cum ergo datum fuisset Veneri, dupliciter offensa est Iuno, ut, cum esset soror Iovis et con-

---

7 *Argis* lemmatis finis in LR: sed quoniam sequens interpretatio primum v. 27 tractat, deinde 25, tum 26, postremo 28, apparet Donatum totum adscriptum voluisse et membra, ut disputandi ordo ferebat, particulatim arrepta more suo repetivisse: quamobrem ut aliis similibus locis lemma supplevi.
14 *fine* LR *fines* r ed. 16 *et* om. ed. 18 *merito* om. ed. 20 *facit* ed. | *nam* LR *unam* edF. 21 *quaesit* LR *quaesivit* r *quasi sit* ed. 22 *iudicium* — 23 *formae* LR edI pro hoc versum 25 substituit edF. 23 *sufficerit* LR corr. r *sufficeret* ed. 28 *et coniunx* om. ed.

iunx, natu maior, regina deorum, cum iniuria famae suae obtinere nequiverit. causae ergo irarum fuerunt, sicuti dictum est, in iudicio mali aurei duae: una quia non obtinuit, altera quia pulchrior iudicata est Venus. ira pertinet ad illam partem, quia non vicit, saevi autem dolores ad iniuriam formae revocantur. gravissime quippe feminae offenduntur, si foedae iudicentur. denique satiat ipsam partem Vergilius dicendo manet alta mente repostum iudicium Paridis spretaeque iniuria formae, ut non tantum irata videatur quod victa est quantum in illa parte quae ad iniuriam formae pertinebat. manet ergo quod dixit ad omnia pertinet, repostum vero ad iudicium Paridis, iudicium scilicet corruptum libidinis praemio, Paridis vero sic accipiendum, ut convicium sit, non hominis nomen, scilicet quasi abiecti, quasi venalis, quasi vulgaris et inhonesti. manet alta mente iniuria formae: hoc loco doctores falluntur; nam tradunt iniuriam formae sic extitisse: dicunt enim Antigonam Priami filiam ingressam Iunonis templum formam corporis sui praetulisse simulacro deae. quod contra est; nam melius est intellegere quod Vergilius habet quam fabulosa sectari, ut iniuria formae Paridis sit, non Antigonae. addit et genus invisum, ut ad principalem causam gementis aestus reduceret, et rapti Ganymedis honores, propterea quod turpiter amatus sit a Iove. hoc loco foedum est intellegere aliquid de zodiaco circulo in quo Ganymedes dicitur conlocatus, ne infames et effeminati inter sancta sidera numerentur et sentiamus quod poeta non dixit. exposuit omnis causas et ostendit universas alienas ab Aenea atque, ut posterius dictas ostenderet incidentis, ait *his accensa super,* hoc est his accensa super illam quae fuit propter excidium Carthaginis. et bene dixit accensa; ignis

---

7 *foede* LR *foedae* r ed. 12 *repostum vero ad* om. ed. 15 *scilicet* — 16 *inhonesti* omittendo et interpolando corrupit ed. 18 *extitisse* om. ed. 22 *adde* ed. 26 *de diodiaco* LR corr. r ed. 28 *numerentur* LR *sint numerati* ed. 30—31 *his accensa* om. ed.

enim non accenditur, nisi ex nutrimentis habuerit adiumentum. incipit nunc narrare labores Aeneae et casus referens non prima, ut in themate exposuimus, sed sequentia. constabat enim ipso tempore quo in Tyrrheno mari navigabat Aeneas annum septimum currere ab excidio Troiae. denique ipse poeta sic posuit, ut ostenderet multa praecessisse, quae non praetermittentis animo siluit, sed ratione ordinati carminis; servavit enim haec ad Di-
30 donis convivium. *iactatos aequore toto Troas, reliquias Danaum atque inmitis Achilli, arcebat longe Latio:* haec omnia ad exprimendam Iunonis iniquitatem posuit, ut satiaret odiorum unam et solam fuisse Carthaginis causam, qua exagitata nec misereri sinebatur nec deserere intentionem suam: quae quoniam noverat expugnari se ratione fatorum nec posse obtinere, cupiebat saltem ab iis terris eos longe admodum separare quibus per posteros Romanum debebatur imperium. atque ut simul iniquitatem Iunonis ac saevitiam demonstraret, ait iactatos aequore toto Troas, reliquias Danaum atque inmitis Achilli, arcebat longe Latio. noverat enim contra rationem fatorum sese certare, qua causa vel propellere cupiebat Troianos a terris Italiae, quos ad plenum superare non poterat. inde factum est ut nec miseratione moveretur, ut iactatos toto mari et eos qui ex infinito numero ad paucos fuissent redacti quosque e manibus saevissimorum hostium fortuna servaverat insidiis non deficientibus obtereret. quod autem posuit reliquias Danaum, exprimitur crudelitas inimicae, quae tot cladibus satiari non potuit, et adquiritur Aeneae laus maxima, quod de reliquiis Troiae Romanum quaesivit imperium, perindeque poeta con-

---

1 *ex trimentis* R. 2 *nunc* LR *vero* ed. 6 *Troiae* om. ed. 8 *ordinati* LR *observati* ed. | *servabit* LR. | *enim* om. ed. 13 *quae* LR ed. *qua* nos. | *miserere* LR corr. L ipse r. | *sinebatur* LR *sinebat* ed. 15 *cupiat tamen* ed. 16 *admodum separare* LR *arcere* ed. 18 *ae saevitiam* R *e s.* L *ac s.* r *et s.* ed. 21 *vel* om. ed. 28 *inimicitiae* ed. | *tot* om. ed. 30 *quaesit* (ut supra) LR *-ivit* r. | *perinde quae* LR corr. r.

firmat Aenean defendere potuisse integris opibus patriam suam, si fata non obstitissent, cum adserit in alienis terris eum de reliquiis imperium quaesivisse. *multosque per annos errabant acti fatis maria omnia circum: tantae molis erat Romanam condere gentem:* ne fatorum ratione passi videantur quae contra fatum Iuno faciebat, sic ordinatur sensus narrantis: ad condendam Romanam gentem multos per annos errabant maria omnia circum. tantae molis erat Romanam condere gentem; magna enim sine magno labore condi non possunt. laudatur hic quoque eorum virtus qui nec malis frangebantur nec diuturnitate temporis et omnia fortiter tolerabant, ut superatis adversis ad retentionem debiti imperii pervenirent.

*Vix e conspectu Siculae telluris in altum vela dabant* 35 *laeti:* ordinatur sensus sic: e conspectu Siculae telluris in altum vela dabant vix laeti; perierat enim in Sicilia Anchises et proxima erat Italia. dolebant Anchisis casum, laetabantur autem quod haut procul esset Italia. temperavit igitur utrumque Vergilius et expressit utrumque, ut diceret vix laeti. *cum Iuno aeternum servans sub pectore vulnus haec secum:* cum enim advertisset Iuno Troianos de proximitate Italiae gratulari, vulnere animi quod perpetuum retinebat magis magisque coepit urgeri. exclusa igitur ab inventione nocendi, exclusa loco et tempore sic animi sui dolores et gemitus intimis sensibus enumerabat: *mene incepto desistere victam?* qualis vetus et pertinax inimica cogitationes habere debuerit non sine rhetorica disciplina poeta conposuit. inducturus enim saevientis deficientis inventiones ad nocendum inducto comparativae qualitatis statu per aliena exempla nocendi consilia inventa commemorat. conparat ergo Iuno personas cum personis, hoc est suam et Minervae, Troianorum et Graecorum, inimicitiarum quoque causas confert, Graecorum

1 *integris opibus* om. ed. 3 *eum de reliquiis* om. ed. 9 *magna* — 10 *possunt* om. ed. 12 *ut* — 13 *pervenirent* LR *et* — *prorumpebant* ed. 30 *alienae exempla* LR. 31 *cum personis* om. ed.

poenam Minerva irascente conpletam cum Troianorum suppliciis, quae obtinere non potuerunt, enumerare non cessat: quae omnia plenius per singula disseremus. mene, inquit, in pronominibus est magnum dicendi pondus, ut quod non apertius dicitur intellegatur: mene ergo, hoc est reginam deorum et sororem Iovis et coniugem, sicut infra, cum dolores suos persequeretur, aperuit dicendo „ast ego quae divum incedo regina Iovisque et soror et coniunx“. hoc est mene quod est ast ego; intellectus enim pronominum ipsorum unus est. incepto desistere victam: incepta sunt dispositiones et destinationes animorum, sicuti Sallustius ait (hist. I 74 M.) „nam talia incepta, ni in consultorem vertissent, reipublicae pestem factura“. dolet ergo intentionem suam sine effectu defecisse nec superesse iam nocendi consilium vel tempus. interea bonorum est incepta deserere, si tamen aut prece flectantur aut sponte ignoscant. haec dolet utramque se occasionem perdidisse et incidisse quod doleret, cum ludibrio scilicet, ut superata discedat. inde est quod ait *nec posse Italia Teucrorum avertere regem?* hoc est dicere si perdere non potui, debui vel superare Teucrorum regem. Italia producte proferenda est, ut sit ab Italia deducta praepositione; ut est alio loco (263) „bellum ingens geret Italia“, hoc est in Italia, ita hic intellegendum ab Italia. adgreditur conparationem poenarum, ut qui perire non potuit vel secerneretur a terris Italiae. fit et numeri con-

---

3 *omnia* om. ed. 13 *ni in consultorem vertissent* L *ni in consultorem venissent* R *n. i. c. vertissent* r *ni in* om. ed.: at 4, 314 (316) *ni inconsulto revertissent* LR ed. *ni in consultorem vertissent* r: haec vera Sallustii verba esse Linkerus quoque et Dietschius et Maurenbrecherus viderunt; quae de varia codicum lectione Maur. affert sola Harlemensis auctoritate nituntur ex iis quae v. d. Hoeven p. 46 scripsit petita. | *pastem* R corr. r. 16 *incepta deserere* LR *incepto desistere* ed. 17 *haec* LR *hoc* ed. 19 *discedat* LR *-deret* ed. | *nec* lemmatis initium LR *desistere victam non* ed. 22 *ferenda* LR *proferenda* ed. | *est* om. ed. 24 *ita* LR *ita est* ed. 25 *adgreditur* LR *aggreditur et* ed. 26 *et fit et* edF.

paratio, ut, si plures non potuit opprimere, vel iuxta unum obtineret Aenean. sciebat enim stirpi eius deberi Romanum imperium et Carthaginis eversionem. *quippe vetor fatis:* venit ad conparationem suam et Minervae. si enim fata inpediebant ne obtineret Iuno, nec Minervae, quae fuit inferior, permitti debuit ut quod vellet efficeret. sic ergo dixit *Pallasne,* quae non esset tanti meriti nec tantae potestatis, *exurere classem Argivum atque ipsos potuit submergere ponto?* haec est conparatio poenarum et personarum: Minerva potuit et navis Graecorum et Graecos ipsos exurere, ego unum nec occidere potui nec avertere ab Italia. exurere plus est quam urere; urere est enim laedere aliquid flammis, exurere autem penitus abolere incendio. hoc loco et omni occasione confirmat poeta Aeneae stirpi fuisse decretum imperium Italiae, cum de solo inducit Iunonem loquentem quippe vetor fatis. venit rursus ad conparationem suam et Minervae, simul etiam ultro sibi obiectat quod sciebat obici posse: quod est in causa artificiosum, ut proponas ultro atque dissolvas quod potuit formidari, ne praeteritum vel certe suppressum dicatur purgationis desperatione transitum. Pallasne exurere classem Argivum atque ipsos potuit submergere ponto? in ipsa conparatione persistens utitur argumento a minore ad maius. minor enim fuerat Minerva aetate et potestate, cui si fata cesserunt, ut in eos quos oderat poenas exereret, multo magis aetate praecedenti Iunoni, sorori et coniugi Iovis, reginae quoque deorum omnium, debuerant nocendi sinere facultatem. fit conparatio alia qua dixit *unius ob noxam et furias Aiacis Oili ipsa Iovis rapidum iaculata e nubibus ignem disiecitque rates evertitque aequora ventis, illum expirantem transfixo pectore flammas turbine corripuit scopuloque infixit acuto:* illla propter unum multos

4 *suam* LR *sui* edF. 8—9 *inmergere* LR at infra *submergere.* 9 *et personarum* om. ed. 14 *et* LR *ex* ed. 17 *suam* LR *sui* edF. 20 *formidare* ed. 25 *exereret* LR *exerceret* ed. cf. 407. 27 *debuerat* ed. 28 *quam* LR *quum* ed. *qua* nos. 29 *Oilei* ed.

cum ipsis navibus perdidit, ego in plurimorum offensa unum ab Italia avertere non possum? hic quoque laus exprimitur Aeneae, cuius tantum meritum fuit, ut eius felicitatem Iuno cum omnibus diis non valuerit superare. cum igitur diceret quippe vetor fatis, addidit, ut dictum est, exemplum Minervae Graecorumque ab ea perditorum existimans in eorum interitu fata esse permutata, ut licuerit volenti inferre perniciem quam fata non sinebant. maiorem dolorem Iunonis adsignat, quod in eodem fato Minervam monstrat tantum in suis doloribus potuisse, ut in ultione sua etiam fulmine Iovis usa videatur, poenamque ipsam sic exprimit, ut delicti ipsius defendat auctorem, quae defensio iram Iunonis exaggerat. qui enim potuit defendi iniuste gravissimum supplicium pertulit, multo magis socii eius qui cum navibus perierunt unius noxa. interea pro arbitrio suo et pro praesumpta Carthaginis causa vult cum rege suo, hoc est Aenea, reos tenere Troianos, qui nihil etiam ipsi commeruissent. videamus nunc quemadmodum Aiacis excuset offensam, ut magis sese dolendo adfligeret, si in eo facto acerbitas poenae conpleta esse videatur in quo non fuit gravis delicti vel culpae substantia. furias, inquit, Aiacis Oili: Aiax ingressus templum Minervae incestatus caede et hominum sanguine, quia amore Cassandrae tenebatur ac per hoc nesciebat quid mali committeret, ab ipsis altaribus tractam stupro sacram virginem violavit et, quod erat gravius, sub ipsis oculis Minervae. defenditur iste veniali statu: factum enim manifestum non purgatur, nisi hoc genere, ut dicatur si deliquit Aiax, non erat suae mentis nec sui consilii; furebat enim, hoc est amabat, quod pathos, ut dictum est, venialiter defenditur. quicquid enim per

4 *felicitatem* LR *facultatem* ed. 7 *in eorum interitu* LR *meorum in te* edI *eorum in se* edF. 9 *sicque* ante *maiorem* interpol. ed. | *facto* R. 11 *sua* LR *sui* edF. 14 *iniustae* LR corr. r ed. 16 *noxam* LR *ob noxam* r ed. *noxa* nos ad antecedentia retrahentes. 22 *Aiacis* om. ed. 24—25 *ac per hoc* LR *atque per haec* ed.

pathos ipsum admittitur non adscribitur homini qui maiore vi coactus aliquid efficit quod contrahat crimen. Aiacis ergo factum levius facit, ut ostendat veluti graviora peccata Troianorum, quae non erant. denique cum enumeraret poeta superius incidentis iracundiae causas, alios dixit deliquisse, qui illo tempore quo Aeneas cum suis navigabat non adfuerant. denique nec Paris praesens fuit nec Ganymedes, quorum ex facto utique non debuit alios opprimere qui nihil admiserant. in facto tamen Minervae consideratur irascentis iniusta sententia, quae non tractavit innocentium in illa poena consortium, dummodo cum illorum licet iniusto supplicio perderet inimicum. disiecitque rates, ne, si forte alicui contigisset evadere, haberet navigandi subsidium. evertitque aequora ventis alieno imperio usa, hoc est cum Iovis fulmen arriperet, et imperium Neptuni sumpsit habuitque in ventos iubendi potestatem qui alterius imperio regebantur. exprimitur hic magis ac magis irascentis Minervae violentia, cum Aiacis ipsius demonstratur interitus, unde Iunonis animus torquebatur. perditis enim Graecis navibus et innoxiis hominibus naufragio pressis debuit auctoris offensae gravius supplicium demonstrari, ne reus cum insontibus una parique poena videretur adflictus. illum, inquit, expirantem transfixo pectore flammas turbine corripuit scopuloque infixit acuto. illum quod dixit et eius nomen suppressit, hoc est quod plurimis locis diximus, magnum intellectum ex pronominibus nasci; nam dicendo illum hoc vult intellegi: illum temerarium, illum inconsideratum, illum sacrilegum, illum profanum, illum qui in templo deae, in templo virginis, ante ipsas aras, in conspectu numinis regiam sacerdotem intactam stupro violavit. expirantem transfixo pectore flammas, sine dubio flammas cum anima expirantem, transfixa scilicet fulmine ea corporis parte qua percussa

---

6 *illo* LR *eo* ed. 12 *licet* om. ed. 14 *evertitque—ventis* supra post *rates* inseruit ed. 16 *su* LR *sumpsit* nos *surripuit* vel *arripuit* r in margine *fratris sui* ed. 33 *transfixo* LR ed. *fulmine* L *in f.* R om. ed. | *partis* LR corr. r ed.

facilius uniuscuiusque interitus provenit. turbine corripuit scopuloque infixit acuto; figi enim non potuit nisi ingenti turbine, cum pondere atque magno actu saxo fuisset inlisus. et hoc ad irascentis animum pertinet, ut, cum in acutum scopulum etiam modesto fluctu iactatus haerere potuisset, adderetur maior vis, quo facilius fieret quod volebat offensa. hic etiam illud intellegi potest, idcirco eum infixum scopulo, ne delatus fortassis ad litus sepulturae saltem beneficium reperiret. haec igitur suppliciorum genera propter acerbitatem Iunoni displicent, quae volebat Aiacem potuisse defendi, quo magis sese excruciat insontem furore peccasse diiudicans et arbitrata crimini obnoxios tenendos esse Troianos, qui non erant rei. concludit mire conparationem ipsam a persona sua dicens *ast ego*, et quam vim pronomina teneant ipse poeta monstravit, cum sequentia necteret. ait enim *quae divum incedo regina, Iovisque et soror et coniunx.* ostendit ergo quid sit quod dixit ast ego, scilicet quae omni genere Minervam praecedo. reginam enim constabat ceteris esse potiorem accedente eo quoque quod, etiamsi nullam reginae haberet potestatem, deberet ab eo qui frater esset et maritus aliquod meritum consequi. constat enim mulieres a maritis adquirere dignitatem, si magni sint et in summo honore aut potestate fuerint, per maritum autem cadere, si nullius fuerit dignitatis. cum igitur et ipsa esset regina et deorum rex esset qui ei et mariti consortio et germanitatis vinculo teneretur, vehementissime movebatur, quod desiderata non valeret inplere. ut autem omnia rationis suae in unum colligeret, utitur anacephalaeosi. nam mene quod in capite posuit, hoc est ast ego; quod dixit in principiis incepto

---

2 *ingente* LR corr. ed. 3 *actu* LR *ictu* ed.: sed Don. Vergilii exemplum 12, 687 secutus esse videtur. 5 *molesto* ed. 11 *peccasse* L *peccare* R corr. r. 18 *rerum* post *genere* interpol. edF. 22 *constabat* LR *constat* ed. | *a maritis* LR *amantis* ed. 24 *cadere* LR *accedere* ed. 26 *et* post *consortio* om. LR add. ed. 28 *omnia* om. *rationem suam* scripsit ed.

desistere victam nec posse Italia Teucrorum avertere regem, hoc est quod memoravit *una cum gente tot annos bella gero.* Graeci enim cum Aiace, mox ut Minerva irata est, uno ictu perierunt. conplectitur ergo inter dolores suos etiam hoc, quod ipsa quasi cum aequalibus bello contendens et per infinitos annos continuas inimicitias exercens obtinere non potuerit. recte autem posuit bella gero, quasi cum resistentibus, quasi cum iis qui sperarent de Iunone victoriam. denique ut hoc probaret, ait *et quisquam numen Iunonis adorat praeterea aut supplex aris inponit honorem?* Hoc idcirco posuit, ut ostenderet per coniecturam Troianos idcirco Iunonis numen non adorare et aris eius non inponere sacrificia, quod se sperarent eam renitendo superaturos. hic quanta arte in medio posuerit praeterea debet ostendi; nam sic esse debuit: praeterea quisquam numen Iunonis adorat aut supplex aris inponit honorem? sed, ut diximus, honestius in medio posuit praeterea, ut utraque conecteret. certe et hoc plurimis locis ostendemus, unam orationis partem non semel, sed saepius accipiendam, ut dicamus praeterea aut quisquam numen Iononis adorat? praeterea aut supplex aris inponit honorem? ut praeterea bis accipiatur aut certe ordinato sensu semel ponatur in capite.

*Talia flammato secum dea corde volutans:* cum haec 50
Iuno tractaret taliaque secum conferret, ipsa quoque nocendi consilium repperit nec laboravit inquirere, quando illi exemplum Minervae quid esset necessario faciendum mature suggessit. sed prius poeta debuit demonstrare quantum irascentis ardores excreverint disputando. supe-

---

1 *nec* LR *non* ed. (ut supra). 4 *in uno* ed. 5 *etiam* LR *et* ed. | *quasi* om. R. 6 *et* om. ed. | *infinitos* LR *continuos* ed. 10 *adorat* ubique LR. | *inponit* hic et inferius, tertio loco *inponet* LR corr. r: Donatum, quoniam de Troianis intellegit, *inponit* legisse apparet. 12 *aut* LR ed. *et* nos. 13—14 *ea retinendo* ed. 18 *pluribus* ed. 19 *ostendimus* ed. 20 *discamus* L. 22 *aut certe* LR *ut c.* ed. 27 *quid* LR *quod* ed. 28 *suggerit* ed.

rius quippe cum initia cogitationum eius enumeraret, his, inquit, accensa super, hic ait talia flammato secum dea corde volutans. plus est enim flammatum quam accensum, unde manifesta, ut dictum est, ratione monstratur, quantum doloris Iunoni accesserit ex conparatione tot modis et generibus facta. haec igitur cum tractaret Iuno, accepit de exemplo nocendi consilium: iuvabatur autem eius intentio, quod Troiani per id temporis navigabant. *nimborum in patriam, loca feta furentibus austris, Aeoliam venit* . . . . .: servavit hic Vergilius personae rationem miro artis ingenio, sed in ea parte, non quae conpeteret reginae, sed quae conveniret iratae et ei quae nollet occasionem loci et temporis perdere. nam si personam vellet ostendere reginae, mittere aliquem ad Aeolum debuit et iubere quid fieret. neglecta ergo potestatis ratione totum adsignat iratae et ei quam cogebat ultionis spes in evidenti constituta, et licet iratis et flammatis aestibus animorum non detur integra consiliorum intentio, tamen totum miscet in persona Iunonis, ut irata non consideraret iniuriam suam et deorum regina Iovisque uxor et soror ad Aeolum pergeret, sed iis, ut dictum est, omnibus spretis ipsa vaderet, curaret praesens quod desiderabat inpleri. mandata enim si extitissent, aut neglegi possent aut non pro voluntate Iunonis procederent aut emergente dilatione facti nocendi periret occasio. quo loco Vergilius docet per nosmet ipsos agendum quod rectius cupimus provenire, et, si quando inferior persona nobis necessaria est ad praestandum quod habet in potestate, servemus ei honorificentiam conpetentem, ut maiore studio conpleat quod fuerit necessarium; gratatur enim sibi a potiore esse delatum. cetera quae sequuntur eam rationem tenent, ut sciamus ventos cavis terrae vel montium contineri. Aeolum

---

2 *flammatos et cum* LR corr. r. 10 post *venit* collatis vv. 81 et 100 excidisse puto *et cetera quae sequuntur usque supplex his vocibus usa est,* quoniam v. 64 explicatur. 15 *quid* LR *quod* ed. 22 *desiderabant* R corr. r. 27 *si* om. ed. 28 *ei* L r in ras. *et* ed. 30 *gratulatur* ed.

regem poetice inducit dicitque ad eum Iunonem supplicem locutam, cum verba eius non essent supplicantis, sed iubentis. supplicem ergo intellegendum, quod ipsa ad eum venit et locuta est haec: *Aeole, namque tibi divum* 65 *pater atque hominum rex et mulcere dedit fluctus et tollere vento:* hunc locum si quis attentius diligentiusque discutiat, nihil quod non miretur inveniet; est enim arte et subtilitate dicentis admodum satiatus. nam coepit a nomine, quod ipsum nec Iunonem humilem nec Aeolo iniuriam fecit. potior quippe si inferiorem nomine suo vocet, et se benivolum monstrat et illi unde gaudeat subministrat. pulchrum est enim, si inferiore in loco positus sit cognitus potiori perindeque carus acceptusque monstratur. fecit ergo secundum artis praecepta benivolum: facit attentum, cum dicit namque tibi divum pater atque hominum rex et mulcere dedit fluctus et tollere vento. nam exinde conicere Aeolus potuit officium suum Iunoni esse necessarium, cum subtiliter conventus audisset habere se in ventos plenissimam potestatem. ne autem adrogantem faceret Iunonem, ait divum pater atque hominum rex. non dixit frater meus et maritus meus, ut supra posuit „ast ego, quae divum incedo regina Iovisque et soror et coniunx“. illic enim, ubi secum locuta est, si specialiter hoc posuit nullo audiente, adrogans iudicari non potuit, hic vero cum dicit namque tibi divum pater atque hominum rex, intellegi potius voluit quam dici. non enim apud eum loquebatur qui non eam nosset. dictio autem ipsa ne esset prolixa et plurimum temporis teneret, ipsa occulte sibi proponit quae ab Aeolo possent excusationis causa praetendi et ipsa illis respondet ita, ut ulterius accedi non posset. denique ne diceret Aeolus non sunt

---

2 *supplicantis* LR *supplicis* ante *non* ed. 6 *ventos* ed. 9 *ipsam* ed. 10 *facit* ed. 11 *benevolam* ed. 12 *possitis sit* R corr. r. 14 *ergo* LR *enim* ed. | *facit et* ed. 16 *ventos* ed. 18 *subtilitate* ed. | *conventus* L *cumventus* R *circumventus* ed. 20 *Iunonem* L *Iuno///* R cum ras. 21 *et* LR *atque* ed.

venti in potestate mea, praevenit antea et ait plenam habes in ventos licentiam et tenendi et dimittendi, erigendi fluctus et placandi potestatem; nam tibi eam deorum omnium et hominum rex concessit et tradidit. ne diceret Aeolus habeo quidem in ventos potestatem, sed non mihi licet mare perturbare, quod est sub alterius regno, idcirco dixit et potestatem accepisti in ventos et maria, cum volueris perturbare inmissis ventis vel placare, cum eos retinueris. certe et illud sentiendum est nec metuas Neptunum hac in parte, quia potior est Iuppiter qui tibi hanc licentiam dedit. incipit iam insinuare ipsam causam dicens *gens inimicia mihi Tyrrhenum navigat aequor Ilium in Italiam portans victosque penates:* omnia proponentis et respondentis studio memorantur. hic enim non nominavit Aenean, ne diceret Aeolus non possum aliquid moliri adversus nepotem Iovis qui mihi imperium dedit. ait ergo gens, quae generalitas nomen speciale suppressit, quod poterat inpedire desiderium. addidit inimica mihi, non dixit ego sum illius inimica, sed ipsam constituit inimicam, quasi inferiores potiorem provocarent. gravavit hoc genere Troianos, ut etiam ipse Aeolus rerum indignitate permotus iracundiam suam Iunonis commotioni coniungeret. mihi vero quod ait, hoc est reginae, sorori Iovis et coniugi, quae omnia per pronomen intellegi voluit et propter adrogantiam non apertius poni. Tyrrhenum navigat aequor, vel quod facilius moveri in perniciem navigantium posset vel quod vicinum esset Italiae. Ilium in Italiam portans: omnis opes suas omnemque substantiam secum portans, quae si perisset per idem tempus, novari posterius non posset. ne vero excusaret Aeolus deorum causa, quibus cogebatur inferre violentiam, addidit victosque penates: scilicet metuendos non esse,

1 *mea* om. ed. 6 *proturbare* (et infra) LR *perturbare* ed. 14 *proponentis* LR ed. respicit ad p. 25, 29. | *memorantur* L *memorat* cum rasurae vestigiis R *-rantur* r. 18 *addidit enim* ed. 25 *poni* LR *posuit* ed. 30 *potuisset* ed. 31 *causa* LR edI *causam* edF.

qui nec sibi nec suis prodesse potuerunt. desiderii dehinc summa subnectitur et modus poenae. *incute vim ventis submersasque obrue puppis aut age diversos et dissice corpora ponto:* expressit plenam patheticam; nam si eo ordine quo locuta est vellemus intellegere, non cohaeret. si enim ordinatam posset commota proferre dictionem, sic debuit loqui: Aeole, gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor Ilium in Italiam portans victosque penates: incute vim ventis submersasque obrue puppis et dissice corpora ponto aut age diversos; namque tibi divum pater atque hominum rex et mulcere dedit fluctus et tollere vento. ante omnia tamen consideranda sunt quae Iuno perfici cupiebat dicta quidem, sed non ordine suo, ut appareret eam per commotionem nimiam ordinationem rebus ipsis dare nequisse. dixit incute vim ventis submersasque obrue puppis, iungere debuit et dissice corpora ponto, quod fieri necesse erat navibus submersis, atque ita novissimum ponere aut age diversos, ut esset, sicut diximus, oratio recte conposita hoc modo: incute vim ventis submersasque obrue puppis et dissice corpora ponto aut age diversos. denique hoc et ipsae coniunctiones ostendunt, cum dicit incute vim ventis et ponit „que", ut coniungat facto factum, submersasque obrue puppis, adsociat „et", ut conpleat effectum submersarum navium et proveniat inde dissice corpora ponto. ecce ponit „aut", diversae naturae coniunctionem hoc est disiunctivam, ut faciat separationem poenae, ut, si provenire non posset submersasque obrue puppes et dissice corpora ponto, proveniret saltem aut age diversos, quoniam sparsi nihil audere posterius poterant nec ad Italiam pervenire. *sunt mihi bis septem praestanti corpore*

---

1 *potuerant* ed. | *desideriis* cum antec. coniunctum ed. 2 *et — poenae* om. ed. 3 *desice* (infra *dissice*) LR. 4 *patheticam* LR *potestatem* ed. 5 *vellimus* LR *vellemus* ed. an *velimus*? 6 *debuit loqui* LR *loqui inciperet* ed. 10 *aut age diversos* contra interpretationis sententiam post *puppis* transpos. ed. 11 *ventos* LR, sed supra bis *vento* sic r. 13 *apparet* ed. 16 *iungere debuit* om. ed.

*nymphae, [quarum quae forma pulcherrima Deiopea]:* ut cupiditatem et ardorem explicandae rei qua Iuno urgebatur ostenderet, ad auctoritatem iubentis addit et praemium, ut multifariam de effectu securior redderetur. sed haec dictio obliqua est; pulsat enim Veneris munus et, quia propter Helenam, quae fuit in alieno matrimonio, et Graeci et Troiani perierant nec poterat esse matrimonium inter ipsam et Paridem et, si remorata apud ipsum foret, legitimam subolem utpote ex adultera procreare non posset, iis quae proponi e contrario potuerunt acute subtiliterque respondit singulis, antequam dicerentur, occurens. sunt, inquit, mihi, hoc est non invadam te propter alienum, quod, cum dedero, posterius perdas, sed dabo quod habeo proprium. subicit deinde laudem muneris sui et eam ipsam multis extollit, primum a numero, bis septem, a qualitate, praestanti corpore: quod difficile fuit, omnis formosas memorat et eam pollicetur quae pulchritudine ceteras anteiret, dehinc a genere, cum dicit nymphas, ut Helenam ratione sanguinis superaret; adiungit *conubio iungam stabili [propriamque dicabo, omnis ut tecum meritis pro talibus annos exigat],* ut esset legitimo matrimonio sociata et honestis nuptiis iuncta, quod cum fit, stabile matrimonium est et unius consortio dedicatum. subnectit ex huiusmodi coniunctione quales possint procreari liberi,
75 *et pulchra,* inquit, *faciat te prole parentem:* Paris enim nec diu potuit retinere quod male fuerat consecutus et si, ut dictum est, apud ipsum Helena vivo marito suo diutius mansisset ac partum aliquem edidisset, pater ex

---

1 *quarum — Deiopea* deest in LR, sed explicatur. 9 *ut postea adulteram* LR *utpote adulteram* per rasuram r item ed. *utpote ex adultera* nos. 10 *possit* ed. | *iis quae proponi* LR corrupit ed. 12 *te propter* LR *pr. te* r, sed et alibi Don. propter secundo loco posuit. 14 *subicit* LR *subiecit* r ed. 15 *primo* ed. 16 *a qualitate* LR *a* om. ed. 20 *propriamque* — 21 *exigat* deest in LR, sed explicatur. 22 *fit* LR *sit* ed. 23 *esset* LR ed. *est et* nos. 25 *inquit* om. ed. | *faciet* LR. 27 *sicut* LR ed. *si ut* r *si* post *est* ed.

eo dici non posset; ex adulterio enim concepti non habent legitimum patrem. proinde illa est pulchra proles quam profert honesta coniunctio. hoc loco inanis intellectus homines omisso Vergilii puro et vero sic suspicionibus in falsam interpretationem ducit, ut adserant pulchram prolem idcirco Iunonem pollicitam, quod Aeolus iam turpis filios habuisset, cum Iuno ei et perpetui temporis matrimonium promisisset et pulchram prolem, hoc est non corporis, sed generis honestate decoratam. denique ostendemus pulchram prolem non in corporis forma Iunonem esse pollicitam, sed in ipso matris honesto consortio. alio quippe in loco (286) ipse Vergilius, cum originem Caesaris adsereret a Troianis descendere et hanc partem inter laudes eius poneret, nascetur, inquit, pulchra Troianus origine Caesar, scilicet pulchra non corpore, sed natalium honestate. hoc loco Vergilius docet contemnenda esse quae apud nos magna sunt, ut obtineamus quae magnopere desideramus inpleri. *Aeolus haec contra:* quod ait contra, hoc est non contra voluntatem Iunonis, sed contra verba; noluit quippe ei parti respondere qua Iuno praemium promisit. neque enim dixit bene me accipis aut gratias ago promissis tuis, ne videretur etiam ipse ut Paris libidinis munere provocatus voluntati Iunonis obsecutus. item intellegi etiam sic potest contra, quia illa dixit namque tibi divum pater atque hominum rex et mulcere dedit fluctus et tollere vento, item dixit victosque penates. Aeolus ergo quomodo contra responderit disseramus, sed primo videndum est quomodo etiam ipse benivolam fecit, ait enim *tuus, o regina, quid optes explorare labor, mihi iussa capessere fas est.* ut est, inquit,

1 *adultero* ed. 3 *inanis* LR *maior* ed. | *hominis* LR ed. *-nes* r. 4 *amisso* ed. | *supplicionibus* R corr. r. 7 *Iuno* LR *vivo* ed. 16 *docet* LR *d. non* edF. 17 *apud nos quae* ed. 19 *hoc est* inserui ad exemplum v. 67 aliorumque. 25 *dicit* ed. 26 *ventos* ed. | *item* — 27 *penates* om. ed. 28 *primo* LR *prius* ed. 29 *benivolum fecit* LR *se* interpos ed. *benivolam* nos (cf. 372. 522).

discretio inter personarum merita, sic et officia discernuntur. tu regina es, officium tuum iubendo, meum vero exequendo conpletur. tui laboris est hoc est tuae curae invenire quid iubeas, sollicitudinis autem meae dare praeceptis effectum. et quod ait fas est, hoc est licebit facere, etiamsi inlicita iubeas fieri (illa enim dixit victosque penates), Aeolus sic videtur contra respondisse, etiamsi victi non essent, facerem, quia cum fieri aliquid non licet, incipit licere, si eius fiat iussu cui ut iubeat plena potestas est. ecce exempli causa ponamus iudicium publicum: non licet hominem verberare et torquere et qui haec fecerit plectitur, sed si iussu iudicis fiant, nullum admittitur crimen: hoc voluit etiam Aeolus dicere, inlicita si me iubeas facere, faciam et impune faciam, quia regina iubente nulla obsequentem poena vel culpa sequetur. item contra respondit dicendo *tu mihi quodcumque hoc regni, tu sceptra Iovemque concilias.* illa enim dixit a Iove accepisti potestatem, ille in voce officiosa persistens ipsius Iunonis vult esse quod poterat. addidit tu sceptra Iovemque concilias: ipsum, inquit, Iovem ut propitium habeam tu facis et, ut memorem se omnium beneficiorum Iunonis
80 ostenderet, addidit *tu das epulis accumbere divum [nimborumque facis tempestatumque potentem].* unum videtur posuisse beneficium praestitae humanitatis, sed cumulatur alio, si convivium cum potiore misceatur, tertio, si cum potioribus plurimis, quarto, si inferior persona non sedeat, ut fieri solet, sed accumbat. posuit in fine: et hoc quod desideras tuum est et in tua positum potestate. personarumque in utraque oratione, loci quoque et temporis habitam rationem dubitari non potest, scilicet Iunonis,

---

2 *es* LR *hoc est* ed. 5 post *fas est* inserui *hoc est* ut v. 76. 9 *cui iubeas* LR *cui cum iubeat* r *iubendi* man. II in L item ed. *ut iubeat* nos. 11 *torquere* LR *aut t.* ed. *et t.* nos. 15 *vel culpa* om. ed. 19 *tu sceptra* LR *das epulis accumbere divum* post *tu* interpol. ed. 22 *nimborumque* — 23 *potentem* deest in LR, sed verbis *posuit* etc. explicatur. 28 *personarumque* R item cum puncto supra *q;* L *que* om. ed. 30 *personarum* post *potest* interpol. edF.

Aeoli, Troianorum, penatium victorum, Veneris, Helenae, Paridis, Deiopeae, loci propter mobilitatem Tyrrheni maris et Italiae proximitatem, temporis vero, ne multiloquio tractum tempus oportunitatem nocendi corrumperet. denique breviter Iuno desiderium suum prosecuta est, brevius respondit Aeolus et promisit effectum.

*Haec ubi dicta* et cetera quae sequuntur: hoc est, ubi Iuno et Aeolus haec dixerunt, coepit Aeolus iussa conplere, quae fuerunt haec: incute vim ventis submersasque obrue puppis et dissice corpora ponto aut age diversos. patefecit igitur exitum ventis et plurimos simul atque diversae naturae, hoc est contrarium flantis atque inpugnantis sese, fecit exire, ut confligentibus inter se fluctibus regendis navibus consilium non suppeteret et deficiente industria facilius mergerentur, mersis navibus corpora dissicerentur. aut age diversos inpleri non posset, nisi venti, ut supra dictum est, inpugnantes sese discretos Troianos per diversa distraherent. denique ait *incubuere mari totumque a sedibus imis una Eurusque Notusque ruunt creberque pro-* 85 *cellis Africus.* ut simul conplerentur quae Iuno mandaverat, accessit ad violentiam maris aliorum quoque elementorum plenissima perturbatio; dixit quippe *eripiunt subito nubes caelumque diemque Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra.* haec solis Teucris acciderant et in solo mari fuerant tenebrae. confusio quippe elementorum et taetra pelagi facies sustulerat diem Troianis et caelum. confunditur, inquit, cum tenebris dies, subtrahitur lux et alienis temporibus nox inportune succedit, ne contra mala reperiri consilium posset. eripitur caelum, ut quam in

---

2 *eiopeiae* LR corr. r. 5 *prosecuta est* L *pr. et* R ed. 6 *respondet* ed. 7 *et cetera quae sequuntur* usque ad *perflant* pertinet. 8 *haec* LR *hoc* ed. 11 *et* om. ed. 15 *mersis* LR *et m.* ed. 17 *discretos Troianos* LR *Tr. discerptos* edF. 20 *Africus* finis lemmatis LR nec quidquam ulterius explicatur usque ad *eripiunt.* 27 *et* LR *ex* ed. 28 *mox* LR *non* r *nox* ed. | *contra mala* LR *tot* interpos. r. 29 *ut* LR *et ut* ed.

partem niterentur gubernatores ipsi nescirent, eo amplius tonitrua emittebantur et fulgura, ut inter multiplices metus Troiani desperatione possessi nihil aliud sperarent quam mortem. idcirco dixit *intonuere poli et crebris micat ignibus aether praesentemque viris intentant omnia mortem.* inter haec qualis cogitationes habuerit Aeneas vel cuiusmodi animo atque corpore senserit pathos poeta describit. ait enim *extemplo Aeneae solvuntur frigore membra, [ingemit et duplicis tendens ad sidera palmas talia voce refert]:* alii frigus pro timore intellegunt positum, quod contra est; nam si timuit Aeneas mortem, derogatum est virtuti ac meritis eius. frigus ergo dixit proprie quod nascebatur non ex casu evidentissimae mortis, sed ex leti genere, quod cruciabat animum viri fortis qui optabat gloriose in campo occumbere quam ignobiliter in fluctibus interire. recte ergo non timorem, sed verum frigus debemus intellegere, quod oriebatur ex tot adversis quae corporis calores extinxerant. incipit iam dolores suos exprimere, ut appareat quid in illis periculis gemeret. *o terque quaterque beati,* hoc est multifariam felices. dicuntur iam causae cur tantum felices: *quis ante ora patrum.* ex iis quae secundo libro scripta sunt, conicere possumus Politis illum fecisse mentionem qui ante patrem suum Priamum Pyrrhi caede procubuit. et quia patria potiore loco inter parentes numeratur, *Troiae,* inquit, *sub moenibus altis,* hoc est cum adhuc altitudo moenium staret. *contigit oppetere,* id est contigit interire; reliquerunt enim incolumem, quod bono civi gloriosum solacium est in interitu suo, integrum statum civitatis propriae reliquisse. altis ergo posuit, ut ostenderet integram adhuc

2 *mittebantur* ed. | *ut* LR *et ut* ed. 8 *ingemit* — 10 *refert* deest in LR, sed verbis *incipit* — *gemeret* explicatur. 13 *levi* LR ed. *leti* v. d. Hoeven p. 50 conferens 6, 176. 14 *optabat* LR *o. potius* ed. 18 *extinxerant* LR *extorserant* edI *extors. seu extinx.* edF. 19 *quid* LR *quod* ed. 21 *cur tantum felices* om. ed. 22 *iis* LR *his* ed. 26 *adhuc* om. ed. 28 *enim* LR *ergo* ed.

civitatem; ipse enim Aeneas campos, non altitudinem dimisit. nam in tertio libro cum ingenti gemitu ait (11) „et campos ubi Troia fuit". et quia pathetica fuit, continua dictio perseverare non potuit, cum dicturum fuisse intellegamus quod dolebat, id est ego autem amissa patria, in fluctibus, perdita gloria, moriturus sum. atque ut hoc confirmaret, ait *o Danaum fortissime gentis,* inde rursum ad aliud raptus est dicens *Tydide, mene Iliacis occumbere campis non potuisse tuaque animam hanc effundere dextra, saevus ubi Aeacidae telo iacet Hector, ubi ingens Sarpedon, ubi tot Simois [correpta sub undis scuta virum galeasque et fortia] corpora volvit!* ex his infelicem se existimans, qui hunc exitum vitae habere non meruit et ignobili mortis genere vir fortis in pelago fuerat moriturus. hoc ne conpleret quod coniectura colligimus, fluctus intervenit qui vocem loquentis obcluderet; esset enim vitium poetae, si finitis querellis Aeneae fluctum faceret supervenisse. denique similia etiam aliis locis poeta posuit. ait quippe (494) „haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur" et (3, 344) „talia fundebat lacrimans". dum enim consideraret Aeneas picturas templi, dum Andromacha loqueretur dolores suos, inperfectis iis Dido ad templum processit et Helenus extra urbem. ergo ait *talia iactanti,* hoc est adhuc loquenti, intervenit vis fluctuum nec sivit Aenean explicare quae voluit. ceterum si conplesset, diceret felices qui in Troia perierunt, se infelicem qui esset periturus in fluctibus. *stridens aquilone procella velum adversa ferit fluctumque ad sidera tollit, franguntur remi, tum proram avertit et undis dat latus, insequitur*

---

3 *fuit* LR *f. et* r: inepta distinctione locum corrupit ed. 7 *inde* LR *tamen* ed.: Don. *o — gentis* de Achille intellegit. 11 post *Simois* sequitur *usque corpora volvit* R *usque* prope evanidum in L, supplevi cum ed. cf. 118. 12 *hiis* R *iis* L *his* r. 18 *etiam aliis locis poeta posuit* LR *al. l. etiam p. poneret* ed. 20 *et talia* LR *alibi* interpos. ed. 21 *Andromache* ed. 22 *dolores suos* LR *sermones suos aut dolores* ed. | *iis* LR *his* ed. 26 *se* LR *et* ed. 28 *fluctusque ed.* 29 *prora* ed.

*cumulo praeruptus aquae mons:* descripsit adversa omnia quae navigantibus accidunt, cum e diverso tempestas intervenit. *hi summo in fluctu pendent, his unda dehiscens terram inter fluctus aperit, furit aestus harenis:* fluctibus vario motu venientibus aut erigebantur naves aliae per tumorem maris et in sublime ferebantur aut usque ad imum deprimebantur aliae, cum vis undae subsideret. furit aestus harenis: non solum undae, verum etiam ima pelagi tempestatum furoribus exagitabantur. fit iam quod Iuno voluerat, nam coeperunt diversi agi. denique posuit *tris Notus abreptas in saxa latentia torquet,*
110 *tris Eurus ab alto in brevia et Syrtis.* quasi peritus locorum et navigationis posuit ab alto Eurus ducebat in Syrtis, hoc est de medio pelago; aliter enim non potest, utpote qui flatus habeat ex orientis partibus, in quibus sunt et Syrtes, eo navigia cogere unde potuit revocare. sex igitur naves alienatae sunt a ceteris, una turbata primitus in qua navigabat Aeneas, nunc casus octavae describitur: *unam,* inquit, *quae Lycios fidumque vehebat Oronten, ipsius ante oculos ingens a vertice pontus in*
115 *puppim ferit, excutitur pronusque magister volvitur in caput, ast illam ter fluctus ibidem torquet agens circum et rapidus vorat aequore vortex, apparent rari nantes [in gurgite vasto, arma virum tabulaeque et Troia gaza per] undas,* ut conpleretur quod positum est submersasque obrue puppis et dissice corpora ponto. perit ergo amicus

---

1 *aq:* L *atq:* R r = L (superposita lineola) pro *aquae.* 4 *aestas* L *estes* R *aestus* r. | *ha* pro *harenis* LR. 7 *vi* ed. 8 *subsiderent* ed. 9 *agitabantur* ed. 11 *torquent* R *n* suprascr. II man. in L *n* del. r. 12 *brevia e. s. s.* LR *urget — visu* suppl. ed., sed non explicatur. 16 *posuit* LR corr. r. 18 *primitus* LR edI *premitur* edF. 19 ab hoc versu fol. 9 usque in fol. 12 manu aliena, sed vetusta in margine „textus Vergilii" lemmatis adscriptum est in L. 20 *pontus* deest in LR *portus* superscr. r. 22 *illum* ed. 23 *vertix v* supra *e* atramento scripta L *vortix* R *vortex* ed. | post *nantes* sequitur *usque undas* LR cf. 100 suppl. ed.

Aeneae et ante ipsius oculos, ut, quia illi non contigerat interire naufragio, fidum sibi perisse conspiceret atque ex eo casu dolore adficeretur. excusatur Orontes, ne per inperitiam navem secum perdidisse putaretur; nam cum ingens pontus, hoc est vis maior et veniens a vertice navem operuisset, quod a dorso fuerat caveri non potuit. *iam validam Ilionei navem, iam fortis Achatae et qua* 120 *vectus Abas et qua grandaevus Aletes vicit hiemps:* has specialiter cum eorum nominibus posuit qui in iis potiores navigabant et uno casu ferebantur. dicendo *omnes accipiunt inimicum imbrem remisque fatiscunt* ostendit unam omnium causam et similem fuisse fortunam.

Ut autem non plene obtineret factum secundum mandatum Iunonis, Neptuno datur occasio, qui non tantum iniuriam suam removeret, verum etiam Troianis pereuntibus subveniret, ibique describitur conplesse Aeolum quae Iuno mandaverat, cum dicit *disiectam Aeneae toto videt aequore classem, fluctibus oppressos Troas caelique ruina. nec latuere doli fratrem Iunonis et irae. Eurum ad se* 130 *Zephyrumque vocat, dehinc talia fatur.* statim sentit unde haec hoc est cuius dolo essent perfecta; fratrem enim sororis pessimum studium non latebat. vocavit ventos ad sese et huiusmodi habuit obiurgationem, quae erit pathetica utpote commoti et irati, abscisa hoc est non continua nec conposita, brevis etiam, subvenientis enim in tali causa beneficium multiloquium non quaerebat. *tantane vos generis tenuit fiducia vestri?* incipit ab invectione (hoc enim genus materiae non habet principium) et crimen exaggerat dicens eos non solum suam sed hereditariam quoque sectari temeritatem, quod genus vitii, quoniam naturale est, non potest emendari. volunt enim ventos patres

---

1 *quia* LR ed. *ut quia* nos. 2 *ex* om. ed. 4 *imprudentiam* ed. 7 *forti* LR corr. r. 8 *Aletes* om. LR add. r. | *has* LR *hos* ed. 9 *iis* LR *his* ed. 14 *Neptu* R *Neptuni* L ed. *Neptuno* nos. 15 *revocaret* ed. 23 *erat* ed. post. 24 *abscissa* LR corr. ed. 25 *causa* LR *casu ed.* 27 *inventione* ed. 31 *venti* r..

habuisse Gigantes, qui cum bellum diis intulissent, diversis suppliciis perierunt. ergo ait tantane vos, ut ipsorum esset crimen quod admiserant, esset etiam originale sanguinis, generis tenuit fiducia vestri: et licet parentum pessimorum gesta non maculent filios, polluuntur, si patrum suorum facta institutaque sectentur. *iam caelum terramque:* abscisa dictio eius ac brevis qui loquebatur iratus et qui ad sedandum tumorem pelagi festinaret, denique transiit et ab aliorum iniuria elementorum, a quibus eum constabat alienum, venit iam ad speciale admissum quod regnum eius imperiumque turbaverat. *meo,* inquit, *sine numine, venti, miscere et tantas audetis tollere moles?* meo sine numine, hoc est contempto me vel contra voluntatem meam. venti abiecte pronuntiandum est, ut convicium sit, non nomen. probatio autem admissi criminis admirabiliter posita, ut quod arguebat non adsereret verbis, sed ipsis aspectibus subderet dicendo
135 tantas audetis tollere moles? *quos ego!* duo pronomina cum pondere suo; nam quos hoc est sceleratos et ex pessimis genitos et cetera quae sentiri similiter possunt, ego id est imperator loci et qui sim de potioribus diis. et cum in eos exerendam diceret poenam nec tamen faceret, nihilo minus praedicit ultionem fore, ne securos dimitteret vel ne se invalidum demonstraret, si neque ultus esset in praesentia et futurae ultionis non praemitteret metum, addens causas dilatae poenae, quod esset melius primo turbata conponere, dehinc redire ad vindictam. ait ergo *sed motos praestat conponere fluctus: post mihi non simili poena commissa luetis:* si aliquid sequenti tempore

---

4 *generis* LR *et g.* ed. 5 *polluuntur* LR *p. tamen* r ed. 6 *facta* et *que* om. ed. 7 *abscisa* LR *obscura* ed. 9 *transiit et* LR *et* om. ed. 10 *constat* ed. | *venitque* ed. 16 *arguebat* LR *urgebat* ed. 21 *id est* LR *idem* ed. | *sum* ed. 22 *exerendam* LR cf. 39 om. ed. | *excogitabat* post *diceret* interpol. ed. | *nec tamen* LR *ne inde* ed. 25 *ut futurae* R *a* supra *ut* adscr. man. II in L *aut* ed. *et* nos. 27 *turbata* LR *dilata* ed.

ausi fueritis, non ut nunc verbis vos arguam, sed vos severius vindicabo. *maturate fugam,* hoc est celerius remeate. *regique haec dicite vestro, non illi imperium pelagi saevumque tridentem, sed mihi sorte datum:* saevum tridentem, metuendum. mittit etiam ipsi regi conviciosa mandata deformans regni ipsius potestatem et personam, *tenet ille,* inquit, *inmania saxa, vestras, Eure, domos, illa se iactet in aula Aeolus et clauso ventorum carcere regnet:* non regnum habet rex vester, inquit, sed saxa deserta nec habet aulam, sed custos est carceris.

*[Sic ait et] dicto citius tumida aequora placat:* effectus obiurgationis et dilatae poenae continuo extitit, ut dicto citius placidum fieret mare. *collectasque fugat nubes solemque reducit:* omnium elementorum removit iniuriam. datur huic facto poetarum more conparatio atque ex ea occasione tractatur cuius meriti et gravitatis esse debeat qui in patria sua retinet principatum. *ac veluti magno in populo cum saepe coorta est seditio saevitque animis ignobile vulgus, iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat, tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem conspexere, silent arrectisque auribus adstant, ille regit dictis animos et pectora mulcet: sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora postquam prospiciens genitor caeloque invectus aperto flectit equos curruque volans dat lora secundo. defessi Aeneadae quae proxima litora cursu contendunt petere et Libyae vertuntur ad oras:* hoc est ut, cum saevientibus populis iam ventum est ad perniciem et furentes viderint virum praestantem meritis, dicto eius et persuasionibus adquiescunt, sic omnis pelagi fragor conquievit sub auctoritate rectoris. praestitit interea Neptunus quod potuit, liberavit navis et procurata pelagi

---

1—2 *vos severius vindicabo* LR *in vos* r *iudicabo* ed. 2 *celeriter* ed. 4 *saevumque* etiam in interpr. ed. 5 *etiam* om. ed. | *conviciosa* LR *convicia ac* ed. 7 *inquit* om. ed. 11 *sic ait et* deest in LR ed. 17 *velut in* LR. 26—27 *hoc est cum* LR *non est* omisso *cum* ed. *hoc est ut cum* nos. 27 *est* om. ed. 28 *furentes* LR *f. si* edF.

tranquillitate salutem Troianis post pericula dedit fugatis quoque nubibus et reducto sole. hoc positum est, quia meminerat se Vergilius dixisse „eripiunt subito nubes caelumque diemque“. hoc quidem Neptunus praestitit, sed aliud eventus advexit. nam delati sunt ad oras Libyae hoc est ad eam terrarum partem in qua Iuno colebatur inimica perindeque in casum deteriorem coniecti sunt. defessi Aeneadae quae proxima litora cursu contendunt petere: defessi hoc est licet fessi admodum nitebantur tamen tenere tuta terrarum, ne qua iterum vis emergeret, qua causa proxima litora capere maturius properabant. contendunt posuit, ut ostenderet ipsius cursus difficultatem, quem satis fessi conplere nitebantur vel maxime, quia in aqua difficilior gressus est properantibus cursum.

*Est in secessu longo locus, insula portum efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto frangitur inque sinus scindit sese unda reductos, hinc atque hinc vastae rupes geminique minantur in caelum scopuli, quorum sub vertice late aequora tuta silent, tum silvis scaena coruscis desuper horrentique atrum nemus inminet umbra; fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum, intus aquae dulces vivoque sedilia saxo, nympharum domus. hic fessas non vincula navis ulla tenent, unco non adligat ancora morsu. huc septem Aeneas collectis navibus omni ex numero subit ac magno telluris amore* et cetera. fit loci descriptio non superflua sed negotio ipsi necessaria; nam non omnia eius, sed aliqua referuntur. placiditas quippe fuerat pelagi procuranda propter contracta navium vitia et horrendam quassationem: hanc praebebat obiectus laterum, secretum vero proficiebat ad eam partem quia cavendum

5 *ad horas* LR. 10 *tenere tuta terrarum* LR *tendere ad terram* ed. 18 propter interpretationem ante *hinc* comma posui, non punctum. 26 *et cetera* om. ed.: pertinet hoc usque ad *ponunt* v. 173; infra enim verba *egressi — ponunt*, ut dictionis forma docet, non pro novo lemmate cum ed. scribenda sunt. 31 *quia* L *qua* ex *quia* corr. R *qua* ed.

erat propter regiones incognitas, hoc dabat longitudo secessus; aqua vero et copiosa et optima propter usus hominum, hanc offerebat nympharum domus; propter ardores autem solis necessaria fuerant quae praeberent hominibus defensionem, ministrabant istam naturale antrum et opacitas nemorum; tantumque poterat oportunitas loci, ut illic naves nec retinaculis tenerentur nec ponderibus ancorarum: idcirco praemisit quibus omnis ab alto frangitur (non locus, sed omnis unda ab alto) inque sinus scindit sese unda reductos: unda omnis ab alto frangitur et sese in sinus scindit procurante hoc ipsum altitudine laterum. ab alto id est ab ea parte qua continuum fuerat mare. admiranda ergo brevitas et continens omnia necessaria. quod autem omnis locus qui in descriptionem venit quattuor habet partis, descriptae sunt omnes; nam ostendit latera duo dicens obiectu laterum, tertiam partem a tergo, qua fuit ingressus; quibus omnis ab alto frangitur inque sinus scindit sese unda reductos, hinc atque hinc vastae rupes geminique minantur in caelum scopuli, quorum sub vertice late aequora tuta silent, tum silvis scaena coruscis desuper horrentique atrum nemus inminet umbra: omnia haec tribus lateribus aptantur. quartam partem ex adverso posuit dicens fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum, intus aquae dulces vivoque sedilia saxo, nympharum domus. conpetentia sedilia et loco et personis in nympharum domo, ut dulcedo aquae et sedendi oportunitas venientem reficeret non tantum animo verum etiam corpore. intellegere autem debemus (quod in omnibus locorum descriptionibus curandum est) locum istum sic poetam descripsisse ut ingredientem. hunc morem etiam Sallustium tenuisse manifestum est ubi dexteram vel laevam dicit, a tergo et a fronte, ut se velut consistentem

---

3 *hanc offerebat* L *hoc offerebat* R *hanc afferebat* ed. 5 *ministrabat* ed. 9 *locus* LR edI *non l.* edF. 10 *non omnis* LR ed. *unda o.* nos. 12 *contiguum* edF. 14 *descriptionibus* ed. 15 *habeat* LR ed. *habet* nos, an *cum* pro *quod*? 32 *ut* om. ed.

uno in loco faciat: quae omnia mutabuntur, si describens mutet speciem standi; nam si sese convertat, fit sinistra quae descripta est dextera et fit dextera quae fuerat laeva, fit rursum a fronte quod posterius fuit et quod fuit a fronte in posteriorem speciem commutatur. addidit descriptioni fuisse scopulos duos altitudinis inmensae; necessaria enim fuerat huic negotio altitudo aliqua ex qua latitudo pelagi posset attendi eorum inquirendorum causa qui ab Aenea fuerant cum navibus separati. nemorum quoque densorum fit commemoratio, ut praeter oculorum et animi delectationem tuitionem quoque metuentibus exhiberent et receptos facerent non videri. hunc igitur locum Aeneas ingressus est collectis, ut superius ait, septem navibus ex omni numero, scilicet ex decem et novem; una enim de viginti sub oculis ipsius perierat. recte autem collectis dixit, in locis quippe diversis fuerant, una scilicet in qua ipse Aeneas fuit, tres vero de saxis et Syrtibus tres. videamus quid curae Aeneae adscribatur, quia virtutes eius omni occasione laudantur, vel quid adsignetur ceteris. egressi, inquit, navibus Troes optata potiuntur harena et sale tabentis artus in litore ponunt: recte dixit optata potiuntur Troes harena, quia contrariam in perturbatione pelagi viderant, cum eorum navigia usque ad imum deprimerentur. subiciuntur iam actus ipsorum. alii, inquit, curabant corpora sua et tabida sale membra solacio litorum confovebant. quod autem dixit artus tabentis sale, a contrario posuit; sal enim carnem corrumpi non patitur, sed inventus est casus quo fieri possit ut tabescat sale quod servari convenerat; aqua enim maris quamvis salsa, cum corpus non servaret, admisit corruptionem. alii ergo iacebant fusi per litora, *at*

---

3 *dextera et fit* om. ed. 17—18 *et syrtibus* LR ed. *et ex S.*? 18 *curae* om. ed. | *Aeneae* om. LR add. r ed. 19 *omni* LR *non* ed. 20 *navibus* om. *Troes* transpos. ed. 22 *quia* LR *qui* ed. 25 *curabant* om. ed. 29 *posset* ed. | *convenit* ed. 31 *iacebant* LR *dixit* ed. | *at* LR *ac* ed.

*primum silici scintillam excudit Achates succepitque ignem* 175 *foliis atque arida circum nutrimenta dedit rapuitque in fomite flammam. tum Cererem corruptam undis Cerealiaque arma expediunt fessi rerum frugesque receptas et torrere parant flammis et frangere saxo:* Achates, inquit, procurabat ignem, ut corruptum fluctibus et aqua madidum frumentum siccari et frangi posset. hic errant male interpretantes et disputando pessime suum confitentur errorem dicendo praeposteram ordinationem posuisse Vergilium, cum prius sit frangere saxo hoc est molere, postea vero torrere flammis quasi panem coquere. sed cum torrere constet dixisse Vergilium, non coquere, procul dubio recte posuit torrere prius et sic frangere; meminerat enim se de naufragis loqui et dixisse superius „omnes accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscunt“, perindeque madidum habuisse frumentum, quod nisi igni mature siccari non posset nec posset madidum moli. recte ergo dixit parant prius torrere, ut posset saxo confringi. descripsit actus aliorum: videamus quos Aeneas habuerit et cum quanta eius laude describantur. iste enim aut solus non sensit vim pelagi aut solus de refectione animae aut corporis non cogitavit, quin potius alium quoque laborem arripuit. intellegendum hoc loco altitudinem scopulorum idcirco esse in loci descriptione propositam, ut non tantum esset maior prospectus ex summo verum etiam ut Aeneae laudationi altitudo ipsa proficeret, cuius virtus et animi et corporis tanta extitit, ut lassis omnibus et de cibo ac requie cogitantibus solus non fugerit laborem et difficilis ascensus et prolixos adgressus sit. arripuit ergo altitudinem scopuli neque ab ascendendi labore revocatus est, dummodo locus ille ex summo socios forsitan in subiecta latitudine pelagi demonstraret errantis.

---

1 *silicis* ed. | *excutit* LR. 13 *sic* LR *post* ed. 14 *naufragiis* ed. 16 *igne* ed. 20 *solus aut* ed. 25 *prospectus* LR *profectus* ed. 27 *ac* LR *et* ed. 28 *fugiret* LR (*fugeret* manu secunda in L) *fugeret* ed. *fugerit* nos. 29 *prolixor* L (*r* et *s* saepe confusae).

Ait ergo *Aeneas scopulum interea conscendit et omnem prospectum late pelago petit, Anthea si quem iactatum vento videat Phrygiasque biremis aut Capyn aut celsis in puppibus arma Caici. navem in conspectu nullam, tris litore cervos prospicit errantis, hos tota armenta sequuntur a tergo et longum per vallis pascitur agmen. constitit hic arcumque manu celerisque sagittas corripuit, fidus quae tela gerebat Achates, ductoresque ipsos primum capita alta ferentis cornibus arboreis sternit, tum vulgus et omnem miscet agens telis [nemora inter frondea turbam. nec prius absistit quam septem ingentia victor corpora fundat humi et numerum cum] navibus aequet:* quod ait navem in conspectu nullam, tris litore cervos prospicit, prospicit bis accipiendum, ut sit navem nullam prospicit, sed prospicit cervos. fidus quae tela gerebat Achates: aut in praesenti aderat et gerebat, aut quia ipse excudendo igni operam dabat et remanserat, merito dictum gerebat, ut Aeneas tunc portaret tela quae Achates solitus fuerat ferre. cum igitur nullum ei navigium in latitudine subiecta pelagi apparuisset, eventus cervorum greges repente monstravit, quod ipsum oportunum visum est, non ad usum superfluum neque ad aliquam quasi venandi voluptatem, sed quia inde procurari potuit indigentibus ac fessis subsidium victus, ut ex iis aliquos Aeneas occideret. septem ergo maiores stravit, in quibus alimoniae maior posset esse substantia, multos praeterea parvulos interemit. interea videamus quemadmodum de ipsis cervis locutus sit poeta. reprehenditur enim temerariorum voce, quod dixerit a tergo sequuntur: et revera vitium est, non poetae, sed pessime pronuntiantium. nam tris cervos errantis in litore sequebantur alii, alii a tergo per vallis pascebantur. ponamus iam verba ipsa cum pronuntiatione sua et ordi-

---

1 *ait ergo* om. ed. 10 post *telis* sequitur *usque navibus aequent* LR suppl. ed. cf. 118. 14 *accipiendum* LR *est* add. ed. | *sed prospicit* LR *prospicit* om. ed. 18 *fuerat* LR *erat* ed. 20 *gregem* ed. 22 *quasi* om. ed. 24 *iis* LR *his* ed. 28 *reprehendunt* ed. | *voces* ed. | *dixit* ed. 32 *sua* LR *ipsa* ed.

natione: tris litore cervos prospicit errantis, hos tota armenta sequuntur, eos scilicet tris qui cum ipsis per litus errabant, alios vero a tergo pascentis describit per vallis, ut sit ordo et a tergo longum per vallis pascitur agmen; non enim omnes errabant aut omnes pascebantur, sed alii subiecti fuerant oculis eius, alii vero fuerant post ipsum. subiciamus exemplum: similis enim versus est (ecl. 2, 10) „Thestylis et", hoc est et Thestylis, „rapido fessis messoribus aestu"; item (4, 418) „puppibus et laeti nautae inposuere coronas", hoc est et puppibus; item (3, 137) „subito cum tabida membris", hoc est cum subito. ipsi quoque numeri gregum diversitatem significant; de errantibus quippe pluraliter dixit armenta sequuntur, de pascentibus vero ait et a tergo longum per vallis pascitur agmen. peius autem poetae vitium foret, si non fecisset locorum et numerorum separationem, nec fieri hoc vitium debuit nec factum esse manifestum est, ut tamquam inmemor sui singulari numero concluderet quod per pluralem sumpserat descriptionem. in litore enim positos dixit pluraliter hos tota armenta sequuntur, in vallibus vero pascitur agmen singulari numero expressit. huc accedit quia qui pascitur non errat et qui errat non pascitur.

Peracta necessaria cervorum strage, hoc est quae omnibus Troianis uberem victus substantiam praebere potuisset, *hinc portum petit et socios partitur in omnis.* remeat ad navis, inquit, et cervos quos interfecerat divisit inter socios. hic intellegitur quod breviandae narrationis causa praetermiserit Vergilius translationem corporum; ait enim occidit cervos et perrexit ad portum et viritim dedit sociis, cum utique partiri non posset nisi quod fuisset ante translatum. ex eo ipso tamen intellegitur factum, licet dictum non sit vel certe conscriptum.

---

1 *litore* LR *in l.* ed. 2 *qui* transpos. ed. 6 *subiecti* LR *subrepti* ed. | *ex oculis* ed. 7 *similis enim versus* LR *simili e. usus* ed.: sequentia quoque temere mut. ed. 17 *ut* om. ed. 18 *per* primo omissum add. ipse R om. L ed. 28 *praetermisit* ed

partitur ergo cervorum corpora inter omnis; non enim quemquam debuit praetermittere. tantus autem amor eius
195 in socios fuit, ut sibi non fecerit partem. *vina bonus quae deinde cadis onerarat Acestes litore Trinacrio dederatque abeuntibus heros dividit.* ordinatur sensus sic: deinde dividit vina quae bonus Acestes oneraverat cadis litore Trinacrio atque abeuntibus dederat. bonum interea debemus intellegere bonum civem, bonum largitorem. denique idcirco posuit cadis onerarat, ut ostenderet ex ipsa cadorum praetermissa numeri taxatione significatum plurimum vini fuisse quod datum est. quod autem dixit onerarat, hoc intellegendum est vinum accipientibus profecisse non quantum bonus largitor dare voluit, sed quantum Troiani ferre potuerunt, quos iam species ipsa oneraverat. quod vero posuit litore Trinacrio, intellegere possumus dandi substantiam praebuisse ubertatem soli quae iuvabat dantis voluntatem. dederatque abeuntibus, excepto scilicet eo quod in ipsos iam fuerat inpensum cum ibidem degerent. iis dederat affatim quos non fuisset iterum visurus perindeque non habiturus occasionem alteram largiendi. hic conici potest ab ipso Aceste datum esse etiam frumentum, quoniam supra dixit „tum Cererem corruptam undis et torrere parant flammis et frangere saxo"; non enim poterat fieri ut vir tam copiosae liberalitatis solum vinum suis abeuntibus daret. *et dictis maerentia pectora mulcet:* quis enim in taedio animi et in calamitatibus positus libenter cibum sumeret? sed quotiens ista sunt, illa persona solet intervenire consolantis quae ab ipsis malis aliena est. sed istic et locus et tempus et persona consideranda sunt; nam locus solitudinis fuit, temporis ratio urgebat, ut de-

---

1 *partitus* ed. 5 *dividit* om. LR add. ed. 10 *significari* ed. 11 *hoc* — 12 *profecisse* LR *hunc* — *prospexisse* suspicor, cum Don. dicere videatur Acesten plus largiturum fuisse, si ferre Troiani potuissent; *est* om. ed. 14 *honoraverat* ed. 16 *quae* LR *quod* ed. 18 *deserent* L (*degerent* manu secunda) *deserent* R *degerent* r ed. 21 *etiam* om. ed. 27 *sumere* LR corr. ed. | *illa* LR *sunt illa* add. ed.

berent alimonia confoveri quos superius fessos adseruit, persona quoque extrinsecus deerat quae consolatione uteretur. revocatur ergo consolandi officium ad Aeneae personam tanto moderamine, ut neque se satis tristem ostenderet atque ipsos a consolatione deiceret neque a doloribus inmunem, ne in sua causa a maeroribus se ostenderet alienum. tractatur hic et eorum persona quos dixerat fessos; recens enim pathos non poterat maerentium pectoribus semel eradi: dictis, inquit, mulcet. si enim penitus quod gravissime fuerat inflictum non valebat auferri, vel mulceri potuit, ut cibus sumeretur. sumpto enim cibo qui provisus affatim fuit, accedente etiam vino et multo et bono sperabatur more humani ingenii animorum ventura relaxatio. certe quantum distet ipsa consolatio quae ab ea persona proficiscitur, non quae sit ipsis maeroribus vacua, sed quae malorum societate iungatur ipse Vergilius monstrat. vacuae quippe a doloribus personae potest e diverso responderi Terentiano dicto (Andr. 2, 1, 10) „tu si hic sis, aliter sentias", cum autem a socio malorum omnium profertur, et accipi attentius potest et patienter audiri. denique sic coepit: *o socii (neque enim ignari sumus ante malorum) o passi graviora, dabit deus his quoque finem.* magno artis ingenio Aeneae personam dicentis inducit; noverat enim odiosum illum esse laborantibus, utpote cuius causa universi trahebantur per tot adversa et tantorum temporum tractum. ponit ergo primum o socii: socios hoc in loco melius intellegimus laborum quam congregationis; hoc enim dicere videtur: socius vester sum in perferendis malis, nihil sine me adversi sensistis, omnium vobiscum particeps fui, debetis audire quae di-

5 *neque* LR *n. omnino* edF. 6 *sua* LR *qua* edI *aequa* edF. 9 *si* LR *quod* ed. | *penitus quod* om. ed. 10 *non* LR *penitus non* ed. | *vel* LR *sed* ed. 17 *demonstrat* ed. 19 *sentias* ut Terentiani libri LR: *censeas* post Bentleium legitur. 20 *profertur* LR *praefertur* ed. *perfertur* ed. post. 24 *illum* LR edI *illud* edF. 26 *tractum* L (*m* del. man. sec.) R *tractu* ed.

cam, quia vobiscum haec pertuli. diximus ergo quid significet socii, dicemus admirandam consolandi inventionem. nam cum sit infortuniorum dura commemoratio et discriminum repetitio vehementer odiosa, exulcerans magis eorum corda qui passi sunt, commemorationi ipsi iungit poeta conparationem, ut dicta ipsa medicinae potius animorum quam exulcerationi proficerent. aliter enim doloris praesentis asperitas leniri non posset, nisi graviorum malorum inducta enumeratio ostenderet ferenda esse in praesenti quae levius accidissent. addit et sustinendi consuetudinem nutrisse sine dubio patientiam, dum adsidua mala ferendo transmissa sunt. non ergo superflue, sed necessarie posuit duo: neque enim ignari sumus ante malorum propter ferendi consuetudinem, o passi graviora propter malorum conparationem. omnis enim incommodorum novitas gravius animos percutit, ferendi vero consuetudo quicquid acciderit facilius tolerat. dabit deus his quoque finem: ultro ipse respondendi ratione occurrit; potuit enim dici quamdiu haec patiemur? vel quando mala ipsa invenient finem? incipit iam facta malorum ipsorum conparatione gravare praeterita et praesentia tenuare, ut hoc genere persuaderet maerentibus quod volebat, et a generali propositione ad enumerationem specialem
200 transitum facit. *vos,* inquit, *et Scyllaeam rabiem penitusque sonantis accestis scopulos.* Scyllam esse constat in pelago, sed non uti poetae describunt neque ut ipse Vergilius posuit, usque ad pubem sub humani corporis forma et ab inguinibus usque ad finem canibus armatam, sed locum saevis horrendisque saxis obsessum, quem quis si incurrerit, perit. Troianis contigisse Vergilius posuit evasisse loci illius inmanitatem, quam non evasissent, nisi quia successibus prosperis servabantur. addidit penitusque sonantis accestis scopulos, ut ostenderetur existente for-

5 *ipsi* om. ed. 6 *medicina* LR corr. ed. 10 *addit et* LR *addidit* ed. 11 *assidue* ed. 13 *necessario* ed. 14 *o passi graviora* inepte transpos. ed. 16 *percutit* LR *pervertit* ed. 18 *rationi* ed. 24 *scilleam* LR. 25 *squillam* LR.

tunae suffragio ex intima saxorum ipsorum parte liberatos. *vos et Cyclopea saxa experti:* Cyclopes humana specie, sed ultra humani corporis formam: hos plenissime poeta ipse eorumque feritatem in tertio libro scripsit, cum uno oculo, cruda autem carne, membris quoque occisorum hominum vescentis, quos evasisse Troianorum futura prosperitas fecit. vult ergo Aeneas haec fuisse graviora, a quibus cum Troiani iam dissimulassent, persuadet dissimulandum etiam a praesentibus, quae volebat esse leviora. *forsan et haec olim meminisse iuvabit:* delectabit nos, cum ad prospera venerimus, etiam haec inter mala nostra numerare. hic sciendum est olim significationem habere temporum trium, praeteriti, praesentis et futuri: ex quibus prisco more olim manifestum est praeteritum tempus ostendere, Vergilius nunc ait olim meminisse iuvabit, ut significaret futurum, praesens vero tempus idem ostendit dicendo (5, 124) „est procul in pelago saxum spumantia contra litora, quod tumidis submersum tunditur olim fluctibus, hiberni condunt ubi sidera cori", hoc est, cum occidentium siderum fuerint tempestates exortae, tunditur semper. *per varios casus, per tot discrimina rerum ten-* 205
*dimus in Latium, sedes ubi fata quietas ostendunt, illic fas regna resurgere Troiae. [durate et vosmet rebus servate] secundis:* quando necesse est ad bona per mala transiri, prosperorum spe toleranda sunt adversa, vel maxime cum spondetur otium sempiternum. a tempore fecit conparationem bonorum et malorum. cum enim in adversis sit brevissimum tempus, tranquillitatis vero perpetuum, facile persuadere potuit ut animos a maerore revocarent. post

---

2 *cyclopia* LR at in prooemio *cyclopea.* | *sed* LR *sunt* r. 8 *dissimulandum* LR *-da esse* ed. 9 *etiam a praesentibus* om. ed. 11 *venimus* LR *veniemus* r *venerimus* r′ *veniemus* ed. | *nostra* om. ed. 16 *idem* om. ed. 19 *haeuri* (in quinto *chori*) LR. 20 *tempestate* LR corr. ed. 21 *semper* LR *insuper* ed. 23 post *Troiae* sequitur *usque secundis* LR suppl. ed. cf. 191. 29 *animos* LR *amicos* ed. | *revocarent* LR *-ret* ed.

haec respondet ipse his quae possent opponi e diverso atque ita, ut quae dicenda necessario fuerant oportunius obtinerent. facilius enim persuasio necessariis fulta roboratur, si ultro ingeras, sed iuste dissolvas quod e diverso ad victoriam parabatur. quippe Troiani laborem et salutis pericula metuentes dicere poterant quolibet loco constituamus idem et non trahamur cum exitio nostro per diversa. idcirco ipse posuit tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas ostendunt: illic fas regna resurgere Troiae. dicendo fata ostendunt procul dubio demonstrat fatalem dispositionem humanis nisibus superari non posse: proinde esse adquiescendum rebus fatali ratione definitis. interea cum dicit sedes ubi fata quietas ostendunt, et evadendi et perveniendi spem hoc genere pollicetur, effectum quoque omnium magno adfectu conclusit dicendo illic fas regna resurgere Troiae. sola illa terra, inquit, digna est in qua resurgat imperium Troiae. durate et vosmet rebus servate secundis: durate, ut transactis incommodis surgentem Troiam nobis videre contingat et perpetua tranquillitate gaudentem.

Servat adhuc poeta personarum rationem decurso persuasionis textu; ait enim *talia voce refert curisque ingentibus aeger spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.* non enim quod locutus est hoc animo retinebat, mentitus est, inquit, vultum suum, ut quos fregerat maeror regius sermo firmaret, angebatur, inquit, dolore quam maximo et hunc altis sensibus retinebat abstrusum. videri enim debuit persuasor ante omnis reiecisse maestitiae partem, ne persuasionis effectum perderet, si ipse intellegeretur tenere sensibus suis quod aliorum mentibus aliqua ex parte desiderabat excludere. utrumque ergo servavit, et quod sociis ad consolationem fuerat necessarium et quod regi

2 *ita ut* LR *ut* om. ed. 3 *obtineret* ed. 4 *de* LR ed. *e* nos. 5 *paratur* edF. 10 *fata ostendunt* LR *Troiae fata* (om. *ost.*) ed. 13 *sedes ubi* om. ed. 15 *effectu concludit* ed. 21 *personarum* om. ed. 24 *voce* post *quod* interpol. edF.

congrueret. namque satis reprehensibilem faceret Aeneae personam, si sine fraude hilarem diceret aut purgato doloribus corde, quem conveniebat in sua causa plus affligi quam ceteros. dehinc ostenditur quantum potuit illa consolatio. *illi,* inquit, *se praedae accingunt dapibusque futuris,* 210 quod non facerent nisi maerore laxato. anxius enim animus nec victum nec refectionem aliquam quaerit. incipit iam dividi per officia procuratio epularum. nam apparatus ipsi pro personis enumerantur; neque enim deliciosae dapes aut inritamenta gulae fuerant adhibenda escis militum et vel maxime naufragorum et eorum quos inedia et mala pelagi omnis moras conpellebant abrumpere. *tergora diripiunt costis et viscera nudant, pars in frusta secant:* utrumque eodem tempore faciebant, alii detrahebant coria et nudabant carnem et, antequam omne corpus appareret, alii execabant partis. atque, ut plenam properationem fuisse monstraret, addidit *veribusque trementia figunt:* figebant, inquit, virgis ferreis trementia viscera hoc est in quibus adhuc aliquis spiritus teneretur; quod factum ostendit eos de torrenda carne cogitasse. *litore aena locant alii flammasque ministrant:* alii vero cum aqua inponebant igni vasa aenea, ut elixam facerent carnem; haec enim coquendis visceribus maturitatem celerem praestant. denique mox epularum proventu procurato vires labore et fame perditas revocabant invadentes in ea quae ferina pinguis et vini copiosi et veteris atque optimi bonitas suggerebat: hoc est quod ait *tum victu revocant vires fusique per herbam.* tanta autem illis adversa sic in oblivionem venerant, ut per herbas fusi plus sibi ingererent quam refectio postulabat. praestitere ista

---

1 *nam* ed. 6 *laxato* LR *deposito* ed. 7 *animus* LR *amicus* ed. 8 *nam* — 9 *enumerantur* om. ed. 10 *escis* — 11 *maxime* LR *sed refectio procuranda* ed. 15 *carnem et* LR *c. alii* edF. 16 *alii* om. ed. | *atque* LR *et* ed. 17 *fuisse* om. ed. | *verubusque* ed. 23 *celerem* om. ed. 29—30 *plus sibi ingererent* LR *indulgerent* edI *indulgerent seu ingererent* edF. 30 *praestitere ista* LR temere mut. ed.

persuasio consulti regis, ferina caro, quam praestare ceteris manifestum est, eademque pinguis, hoc est quae non tantum natura verum etiam qualitate adpetentium animos inritabat, vini etiam species, cui multiplex accesserat gratia a tempore, qualitate et quantitate; nam et vetus
215 fuerat et optimum et abundans. denique sic posuit: *implentur veteris Bacchi pinguisque ferinae.* ultra modum sibi simul omnia ingerebant, in tantum ut non sufficeret occursum esse naturae, sed ultra modum sumerentur quae specierum suppeditantium bonitas et copia suggerebat. subnectitur dehinc moralitas et aliud aliis, regi aliud datur. positum est quippe *postquam exempta fames epulis mensaeque remotae, amissos longo socios sermone requirunt spemque metumque inter dubii, seu vivere credant sive extrema pati nec iam exaudire vocatos.* cum enim fame et lassitudine premerentur, desperassent etiam de salute sua, nullius eos nisi propria cura tangebat. refectis ergo venit in mentem recordatio sociorum, quorum de morte fuerant incerti. quod autem dixit inter spem et metum incerti, spes pertinet ad vitam, metus ad mortem. Aeneae contra maior animi virtus exprimitur, qui nec cibum sumpsit nec dissimulare a perditis potuit nec eorum curam posuit qui
220 forsitan poterant superasse: idcirco ait *praecipue pius Aeneas nunc acris Oronti nunc Amyci casum gemit et crudelia secum fata Lyci fortemque Gyan fortemque Cloanthum.* quod ait supra „spem vultu simulat, premit altum corde dolorem“, hoc etiam hic dixit: secum gemebat singulorum casum, ne frangeret animos ceterorum, et cum maximus apud eum dolor esset, magna tamen virtute tegebat gemitus suos.

---

1 *consulti* LR ed. *consulta*? 7 *ultra malum* ed. 10 *specierum* om. ed. 11 *regi aliut* LR *aliud* om. ed. 13 *longe* LR. 14 *dubii* L *dubio* R sed infra *incerti.* 22 *a perditis* LR edI cf. 202 *de p.* edF. | *deposuit* ed. 23 *superasse* LR *superesse* r ed. 24 *Orontis* LR sed 305 Don. *Oronti* scripsit. 27 *etiam hic* LR *e. ipse* ed. 29 *magna* om. ed.

*Et iam finis erat,* epularum scilicet et fabularum vel
lucis, *cum Iuppiter aethere summo despiciens mare veli-
volum terrasque iacentis litoraque et latos populos sic ver-* 225
*tice caeli constitit et Libyae defixit lumina regnis. atque
illum talis iactantem pectore curas tristior et lacrimis
oculos suffusa nitentis adloquitur Venus.* Iuppiter ex su-
periore parte, hoc est caeli, respiciens mare, litora ac
terras intuebatur actus hominum et quid gereretur con-
siderabat, qua occasione arrepta Venus, Troianis omnibus,
vel amplius quam antea, tristior, lacrimis internos animi
dolores attestans sic ad ipsum instituit loqui. ipse est
enim verus et maximus dolor qui ante vocis exortum
lacrimis praecedentibus nuntiatur. oportunitas autem fuerat
interpellandi, quia tunc Iuppiter curabat quae agerentur
in terris quas Troiani tenuerant. *o qui res hominumque
deumque aeternis regis imperiis et fulmine terres, quid* 230
*meus Aeneas in te committere tantum, quid Troes potuere,
quibus tot funera passis cunctus ob Italiam terrarum clau-
ditur orbis?* haec materia vehementer artis et subtilitatis
plena est et habet non tantum personarum verum etiam
rerum servatam diligentissime rationem. hic enim loquitur
Venus ad Iovem, si privatam personam ponamus, filia
apud patrem, si publicam, inferior dea apud deorum
omnium et cunctorum hominum regem, et certe vicit
quod publicum fuit. tractat ergo personas, ut dictum est,
et subtilem invidiam concitat, quod, cum sit Iuppiter deo-
rum omnium et hominum rector ac non inmerito debeat
curare quid dii, quid homines agant, omiserit verum in
Aeneae causa iudicium ac dissimulatione interposita pa-
tiatur innoxium multis et diversis vexari tormentis. verum
quia duplex fuerat utraque persona, ut iam dictum est
(loquebatur enim inferior dea cum rege et filia cum patre),
praeponitur publica et privata subnectitur. hoc enim ex-

---

1—2 *vel lucis* om. ed. 7 *litora* om. ed. 8 *gererent* ed. 9—10 *omnibus vel* om. ed. 10 *tristior* LR *tr. et* ed. 22 *filiam* ed. 23 *inferiorem deam* ed. 28 *in* om. ed. 30 *adversis* ed.

igebat causa; apud patrem enim non potuit conqueri de diis, sed iustius eos pulsabat apud regem, denique sic coepit: o qui res hominumque deumque aeternis regis imperiis et fulmine terres. duo autem proposuit et singula singulis dedit, deorum personae adplicavit aeternis regis imperiis, hominum vero et fulmine terres, ut auctoritate regantur dii, homines autem fulmine terreantur et conpellantur ad venerationem. interea cum dicit aeternis regis imperiis, illud intellegi potest, quia contemni non debet potestas quae perpetuo manet; illa enim revera neglegi solet quae aliquo fine temporis concluditur. proinde ait cur veniunt dii contra ea quae sunt fatali lege disposita? quid meus Aeneas in te committere tantum, quid Troes potuere? secura, quod causam diceret insontium delicti, dehinc exigit nomen, quoniam noverat nihil admisisse Troianos, ut, cum nullum esset inventum, constaret inmeritos haec passos esse vel pati. ait ergo quid meus Aeneas: specialiter nomen eius attigit atque a specie transit ad generalitatem dicendo quid Troes potuere? quod vero ait in te committere, te pronomen significat te regem deorum et hominum, te qui omnia habeas in potestate, te avum suum, te promissorem imperii novi et spei melioris auctorem, te quem omnes dii suspiciunt et homines fulmine territi venerantur. quod posuit meus Aeneas, meus quam vim vel quid ponderis habeat in evidenti est nosse. meus enim hoc est: filius meus perindeque nepos tuus, pius et deorum omnium cultor. quid Troes tantum potuere? tantum bis intellegendum: quid tantum Aeneas commisit? quid tantum Troes potuere? tantum hoc est tam grave, tam magnum, tam inmane et quod tot poenis expiari non possit, quod scelere admissi arcere Troianos debeat ab Italia. propterea posuit quibus

---

11 *solet* LR *potest* ed. 20 *te pronomen* LR *te* om. ed 21 *habes* ed. 22 *te avum suum* om. ed. 26 *noscere* ed. 28 *intellegendum est* ed. 31 *quod scelere admissi* LR *quo* ed. magis mut. ed. post.

tot funera passis cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis, quod ad id redigitur, ut nec consistendi alicubi Troianis potestas sit nec ad Italiam perveniendi. terrarum clauditur orbis: cum negatur, inquit, totius orbis terra nec ad Italiam veniendi potestas est, quid superest nisi ut in fluctibus semper exagitentur? *certe hinc Romanos olim volventibus annis, hinc fore ductores revocato* 235 *a sanguine Teucri qui mare, qui terras omni dicione tenerent pollicitus:* convenit eum ex fide veteris promissi, immo potius antiquae pollicitationis. turpe est enim decedere de fide, turpissimum cuivis dictam mutare sententiam, quanto magis deorum et hominum regi, qui omne quod loquitur, quod spondet sententiae retinere debeat pondus, vel maxime in ea causa in qua filiae et nepotis vertebatur commodum. sequitur *quae te, genitor, sententia vertit?* posuit post regis nomen etiam patris, ut appareat illum publicam privatamque personam retinentem non debere aliqua perfidiae permutatione transduci. ordinatur autem sensus hoc modo: certe hinc Romanos volventibus annis, qui mare, qui terras revocato a sanguine Teucri omni dicione tenerent, olim pollicitus. revocato a sanguine Teucri ideo, quoniam Teucer Italus pervenerat ad Troiam eiusque originem eo redituram pollicitus fuerat Iuppiter. pollicitus inquit; pollicitationes enim tenent debitorem, etiamsi nolit exolvere, promissa vero in arbitrio sunt posita volentis vel inviti: proinde tractatur contra pollicitationem non debere intervenire perfidiam, vel maxime in praesenti causa in qua persona deorum regis esset, cuius conveniebat fixam esse sententiam, ne quod est inter homines turpe aequius reprehendatur in eo qui deorum et hominum teneret principatum. verbum vertit sumptum est ex

---

2 *quod ad id* — 4 *clauditur orbis* om. R add. in marg. secundus corrector (r′). 4—5 *totius orbis terra* LR edI *totus orbis terrarum* edF. 9 *eum* LR *id* ed. 12 *omne* LR ed. *in omni*? 13 *debet* ed. 19 *certe* — 21 *pollicitus* temere mut. ed. 22 *Italus* — *eiusque* corrupit ed. 28 *deorum* LR *et hominum* add. r′. 31 *teneret* LR ed. *tenet*?

eo quod, cum vas aliquod versatum fuerit, effundit omne quod habebat. in Iove igitur hoc per istiusmodi verbum voluit demonstrare, ut ostenderet sic inimica persuasione perversum, ut in sensibus eius nihil pietatis remansisset quam integram filiae debebat et nepoti. conpletis iam partibus personae publicum gerentis officium convenit eum ut patrem, quod nomen plurimum pudoris habet etiam in causa promissi, et eius quod non tantum liberis verum etiam posteris sit omnibus profuturum. idcirco igitur posuit quae te, genitor, sententia vertit? quasi si diceret quis est te potior qui potuit vertere sententiam tuam? *hoc equidem occasum Troiae tristisque ruinas solabar fatis contraria fata rependens:* adlusit, quasi lances ponderum retineret; si enim post damna consequatur lucrum et plus ponderis habeat aut meriti quod lucrativum est aut si tantundem quantum periit, procul dubio dissimulandum est in causa damni, cum id quod amissum est alterius commodi ratione pensatur. nam inde conpensatio dicitur, ubi quis tantum ponderis recipit in alia specie quantum in alia videbatur amisisse. ponit ergo hanc partem ex persona eius quae dolebat amissum et habebat consolationem de promissorum spe et ponit cum omni miseratione dicens occasum Troiae, ut ostenderet rem maximam et nobilissimam interisse. casus enim rei est parvae vel inferioris personae, occasus vero divinae rei vel personae superioris; nam solis et lunae occasum dicimus, et cum viri praeclari vel spectati meriti obierint, non praeventi morte, sed occidisse dicuntur. addidit tristisque ruinas solabar, ut adfectum maioris miserationis augeret; non enim est ulla ruina non tristis. fatis contraria fata rependens: fatis, inquit, malis rependens fata contraria, hoc est conparans et exaequans mala fata fatis contrariis. sed contrariis non quasi adversis dixit, sed contra mala pro-

---

2 *habet* ed. | *hoc* om. ed. 5 *integra* L. 7 *puderis* L *pōderis* II manu *puderis* R *o* supra *e* posuit ipse *ponderis* ed.: *pudoris* praetuli. 15 *ponderis* om. ed. 24 *vel* LR *et* ed.

futuris, hoc est bonis; malo enim contrarium est bonum, ut album nigro, ut amaro dulce, ut turbato tranquillum. *nunc eadem fortuna viros tot casibus actos insequitur:* 240 non tantum, inquit, bona promissa non veniunt verum etiam mala perdurant. *quem das finem, rex magne, laborum?* unde coepit illo conclusit; nam regem appellans et, quod est amplius, magnum ostendit et posse illum et debere filiae praestare quod petebatur, et intellegendum monstrat non sine subtili invidia positum, ut expectaret preces qui id quod poterat non sponte praestabat insonti et, quod erat potius, suo. quem das finem laborum? quia a quo petitur malorum finis et potest postulata conplere efficere potuit ne aliquando acciderent. potest et sic intellegi quem das finem? quando Troiani venient ad Italiam? aut, si id non datur, quando saltem carebunt malis et in tranquillo conlocabuntur? exemplis iam cumulat dolores suos et conparatione a minore ad maius facta querellas proprii maeroris exaggerat personarum et locorum quoque faciens conlationem. *Antenor potuit mediis elapsus Achivis Illyricos penetrare sinus atque intima tutus regna Liburnorum et fontem superare Timavi, unde* 245 *per ora novem vasto cum murmure montis it mare praeruptum et pelago premit arva sonanti. hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit Teucrorum et genti nomen dedit armaque fixit Troia. nunc placida conpostus pace quiescit:* in Antenoris nomine non solum significatio est exempli, non de fabula concinnata figmentis, sed venientis de veritate, verum etiam adsignantis humilem inferiorem-

12 *a quo* LR *is a quo* ed. | *et potest* LR *qui* interpos. ed. 15 *saltem* LR *autem* ed. 21 *superare* LR ed., sed explicatur *transire,* quod Vergilianorum librorum nullus habet; duobus quidem sequentis interpretationis locis *superare* scripsit Donatus, sed reliquis omnibus *transire* et, quod gravius accedit, multus est in explicando tali sensu transeundi, ut superare paene contrarium videatur, quoniam molestia et impedimento non caret: ergo *transire* putandus est legisse, sed corrigere non ausus sum. 22 *iit* L (et infra). | *proruptum* L ed., sed *praeruptum* in interpretatione scriptum, item R.

que personam, ut inde magis dolere videatur, quod inferiori licuit post excidium Troiae per tot difficilia consequi plenissimam requiem. Antenor ergo, homo alienus a necessitudine tua, humilis atque depressus, e medio hostium labi potuit et eorum manus effugere quibus Ilium concidit et multi nobiles perierunt, ad Illyricum etiam penetrare. cum dicit ad Illyricum et dicit penetrare, et prolixitatem terrarum longissime remotarum intellegendum est monstrare voluisse et difficultatem perveniendi, simul etiam ad hostilis partis penetrandi, quae omnia satiat dictis posterius adnexis. penetrare est enim penitus intrare; eo addidit sinus, recessus scilicet terrarum longissime remotarum, quibus clausus non potuisset evadere, si pericula extitissent. et ut maior esset Veneris dolor de felicitate Antenoris, evadere, inquit, potuit hostilis manus ac per medios hostium globos et per inimicorum regna tutus securusque transire. transiit, inquit, et fontem Timavi: miro verbo usa est transiit; transire est enim sine cuiusquam molestia vel inpedimento pervenire quo quisque contenderit. et quia levissimum fuit transisse fontem (fontis enim significatio nullam demonstrabat difficultatem superatam), idcirco addidit unde per ora novem vasto cum murmure montis it mare praeruptum et pelago premit arva sonanti. ne quis arbitraretur fontem fuisse mediocrem, qui sine aliquo labore transiri potuisset, tantae illum fontem virtutis esse conmemorat, ut per novem illius ora periculis omnibus liber Antenor transierit, et ad exprimendam undarum molem nexuit vasto cum murmure montis it mare praeruptum et pelago premit arva sonanti, ut fons esset in solo vocabulo, re tamen vera abundantia sui, opertis terris in alieno elemento faciem

---

7 *et dicit* LR *et d. etiam* ed. 10 *satiat* LR *faciat* edI *facit* edF. 12 *eo* LR *et* ed. 17 *transiit* LR *superavit* ed. 18 *transiit transire* LR *superavit superare* ed. 21 *demonstrat* ed. 22 *addidit* LR *posuit* ed. 23 *praeruptum* LR *pror. r* ed. 25 *qui* LR *nam sic* ed. | *transire* ed. 27 *et ad* LR *et* om. ed. 29 *praeruptum* LR *pror.* ed.

pelagi demonstraret. interea quia semel positum est potuit, nos non hoc semel, sed saepius debemus accipere hoc modo: Antenor, inquit, potuit hostis evadere, potuit Illyricos sinus penetrare, potuit regna Liburnorum superare, potuit fontem Timavi transmittere; et superare non semel accipiendum est, ut sit fontem superare Timavi et superare regna Liburnorum. hic tamen ille: in uno adverbio et pronomine grande pondus doloris adiecit. hic, inquit, hoc est in regionibus hostilibus et per tot difficultates sine cuiusquam molestia transitis, ille, hoc est homo inferioris meriti cui abundare deberet quod in Troia Graecorum manus evaserat, tantum felicitatis est adeptus, ut tutus transierit, tutus pervenerit, tutus civitatem Teucris condiderit, tutus nomine Troiano vocitari indigenas fecerit, tutus arma Troiana hoc est victa in eorum partibus fixerit quos constaret victores extitisse, tutus in plenissima quiete perduret. ecce ostendimus semel dicta pro saepius dictis accipienda. ab enumeratione prosperitatis alienae transit ad conparationem personae suae atque Aeneae et malorum de quibus querebatur; ait enim *nos* et 250 exponit quid sit nos, quamquam et, si non dixisset, posset intellegi, *tua*, inquit, *progenies*, hoc est eius qui deos omnis et homines habes in potestate, apud quem privilegium primi gradus habere debuimus. *caeli quibus adnuis arcem, navibus (infandum) amissis unius ob iram prodimur atque Italis longe disiungimur oris:* dum spe ducimur promissorum tuorum et navis amisimus et promissam Italiam tenere non possumus. quod autem ait unius ob iram, optime ad finem dictionis est reservatum. cum omni enim cautela et ordine suo debuit, quamvis oblique, pulsare Iunonis malitiam, ne, si inter initia diceretur, offensus Iuppiter ex evidenti sororis et coniugis suae iniuria desideria et necessitates gementis non libenter

---

6 *fontem — et* om. LR ed. add. r′. 10 *transitis* LR *superatis* ed. 12 *esset* LR ed. *est* r. 15 *partibus* LR vel *postibus* r in marg. 20 *nos et* LR *et* om. ed.

audiret. ergo melius fuit in fine intellegi quid sit unius ob iram quam dici ex aperto. dicendo unius et nomen Iunonis oblique tangendo nec laesit eius animum quem debuit tunc vel maxime habere propitium et meliore arte usa est, ut suppresso nomine, quod sine inpedimento desiderii sui nominare non poterat, ad numerorum rationem pergeret; sic enim plenissima potuit iniquitas conprobari, ut unius causa iniustas inimicitias exercentis plurimi adfligerentur insontes. sequitur invidiosa conclusio necessitudinis appellatione cooperta: *hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?* an numquid erro? inquit, et hoc putandum est melius esse quod trahimur? et hoc est consulentis officium? et hoc arbitraris esse regnandi culmen, errare semper et sine fine laboris adfligi?

255 *Olli subridens hominum sator atque deorum vultu quo caelum tempestatesque serenat oscula libavit natae, dehinc talia fatur.* sicuti, antequam loqueretur Venus, lacrimis praeeuntibus vocem ostendit quid doloris in intimis sensibus ferret quidve esset editura per verba, ita etiam Iovem inducit signis innumeris ostendisse quod optata omnia dicturus fuisset; ante enim quam veniret ad verba, debuit animum filiae duris angoribus pressum conponere, ut vocem patris curato ex maxima parte animo posset audire, nec oportuit eam narraturi circumitione differri, ne diutius anxia cremaretur. locuturus, inquit, Iuppiter subrisit; risit enim quasi vulgare est nec convenit hic motus animi iis personis penes quas summa potestas est; sed temperavit, ut diceret subrisit, ut pars esset servata publicae reverentiae, pars exhibita benivolentiae quae filiae debet vexatae tribui. hoc ipsum ipse Vergilius

---

2 *dici — nomen* corrupit ed. 4 *propitium* LR ed. post. *praecipuum* ed. 7 *planissima* ed. 13 *consolantis* r. | *sese* LR edI *esse* r edF. 18 *intimis* LR *imis* ed. 21 *tantae* LR *ante* L II man. r ed. | *eveniret* ed. 24 *eam narraturi circumitione* LR *causam narrationis* ed. 25 *cremaretur* LR edI *teneretur* edF. 27 *iis* LR *his* ed. 30 *filiorum debetu ex arre* LR *filiae debet uexar* corr. ipse R *debuit ex patre* r′ (apposito in margine q̄ = quaere) inepta temptaverunt editiones.

ostendit, cur plenus non fuerit risus: hominum, inquit, sator atque deorum plene ridere non debuit, quia turpe istud est hominum deorumque imperium retinenti. certe et illud intellegendum, idcirco eum non ad plenum risisse, ne in malis suorum, filia quoque lacrimante et gemente ipse se alienum a tantis cladibus demonstraret. temperavit ergo dicendo subridens, ut partem daret Troianorum casibus, reservaret laetitiae partem illis quae fuerat promissurus. vultu quo caelum tempestatesque serenat: exhibens talem vultum filiae qualem habet cum omnia elementa tranquillat. oscula libavit natae: ecce aliud bonae spei signum, in quo parum fuit osculo publicasse benivolentiam suam, nisi haec iterum ac saepius repetendo firmaret quod internis sensibus tenebatur. dehinc talia fatur: dehinc cum dicit, ostendit non frustra quae diximus esse praemissa, signa scilicet quae Veneris adimerent metum et hanc ad audiendum recte conponerent. *parce metu, Cytherea, manent inmota tuorum fata tibi:* quam cito maerentis animum solvit! quodsi hoc solum dixisset, abunde suffecerat; nam et securam reddidit et nihil mutatum de superioribus promissis expressit. sed huic dat poeta personam regis, non patris; de futuris enim loqui et significare ventura non nisi deorum rex poterat: ait enim parce metu hoc est timori parce, ut sit locutionis genus et intellegatur noli timere. usque adeo ex persona publica induxit loquentem Iovem, ut Cythercam, non filiam diceret et tuorum poneret, non nostrorum. manent inmota tuorum fata tibi: cum sufficere posset quod dixit manent tibi fata, ut satiaret quod adserebat, addidit inmota. incipit iam enumerare specialiter quod clausa generalitate praedixerat respondens iis quoque quae Veneris querimonia conprehenderat. *cernes urbem et promissa La-*

---

3 *est* om. ed. 6 *ipsum* ed. 12 *spei signum* LR *per* interpos. edF[I] *par* ed. post | *partum* LR ed. *parum* ed. post. | *osculo* om. ed. 15 *dehinc cum* LR *dehinc* om. ed. 20 *suffecisset* ed. 26 *Cytherea non filia* ed. 30 *clausa* LR (cf. 583 *clause*) mut. edF. 31 *respons iis* LR.

*vini moenia:* propter quod dictum est „cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis“ et quia dixerat Venus „caeli quibus adnuis arcem“, ait Iuppiter *sublimemque feres ad sidera* 260 *caeli magnanimum Aenean neque me sententia vertit,* ut responderet illi parti, qua dictum est „quae te, genitor, sententia vertit?“ ut autem apertiorem faceret specialitatem ipsam, addidit etiam ipse Iuppiter fatorum dispositionem et omnem futuri temporis cursum et, dum haec plena ordinatione ponuntur, in brevi conplexione monstratur quid textus Vergiliani carminis esset habiturus. gesta enim tetigit quae saeculis omnibus ab Aenea usque ad Caesaris tempora et ipsius Caesaris scribere disposuerat. sed haec in ipsius carmine idcirco perquiri non debent, quia fine vivendi conclusus proposita nequivit inplere: dispositionem suam tamen in hoc libro signavit. hic licet inspicere qua arte carmina sua Vergilius repleat; supra enim, ut cito securam Venerem faceret, usus est brevitate, ubi securam succincta dictione perfecit, promisit futurorum longam fore insinuationem, quae pro auditurae persona odiosa esse non potuit. libenter enim Venus prolixitatis ipsius fastidium respueret, quae conposito animo cognoverat se res prosperas audituram. hoc esse servandum in talibus causis etiam Terentius docet, qui dixit in Andria (2, 2, 1) „sed ubi inveniam Pamphilum, ut metum in quo nunc est adimam atque expleam animum gaudio?“ non enim convertere animum quispiam potest ad audiendum, nisi fuerit in timoris causa securior factus. *hic tibi fabor:* dicturus arcana fatorum quae nulli fas esset nosse commendat sensibus filiae et id se inlicite facere adfirmat, ut illa melius nosceret benivolum studium patris et secreta contegeret. hic, inquit, tibi fabor: tibi, ait, quoniam filia

---

10 *textus* LR hic et ubique *contextus* ed. 15 *signavit* LR *firmavit* ed. 21 *ipsius* LR *illius* ed. 23 *terrentius* (ut plerumque) L. 25 *anprimum* LR *atrimum* r *animum* r'. 26 *ad audiendum* om. ed.: post *animum* hoc in H extare falso contendit v. d. Hoeven p. 42. 27—28 *hic tibi fabor* LR edI *enim* contra interpretationem add. edF. 29 *sensibus* LR ed. *se s.*?

mea es, tibi quam vehementer sollicitam video, tibi quam nolo vexari angoribus diuturnis, tibi fabor quod praeter te nullum convenit nosse. *enim quando haec te cura remordet, longius evolvens fatorum arcana movebo:* ego, inquit, paucis te instructam reddere debui, sed quia aegritudo animi tui non potest penitus brevitate sermonis excludi, utar prolixitate narrandi, ut edocta in omnibus omnium tuorum fata condiscens laeteris prosperis et penitus animi maerores excludas. hic locus ordinatur sic: hic tibi fabor, quando enim haec te cura remordet. *bellum ingens geret Italia:* non Italiam dicit gesturam bellum, sicuti alii putant, sed Aenean gesturum bellum in Italia; deducta enim in praepositione dixit geret Italia bellum hoc est in Italia. denique sequitur *populosque feroces contundet moresque viris et moenia ponet.* pronuntiat futuram quidem ingentis belli curam, sed bona proventura posterius iterum ponit dicens *tertia dum Latio* 265 *regnantem viderit aestas:* id est modico tempore regnaturum Aenean, hoc est triennio, cumque hoc dicit, ostendit procul dubio moriturum, sed quod fuit triste praetermissum est. sequenti tamen sermonis ipsius cursu ponit *at puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo additur, Ilus erat, dum res stetit Ilia regno, triginta magnos volvendis mensibus orbes imperio explebit regnumque ab sede Lavini transferet* 270 *et longam multa vi muniet Albam,* ut ostenderet Aeneae non extrarium aliquem, sed filium successurum, quod est omnibus optabile parentibus, eundemque feliciorem fore, in tantum ut quod pater triennio tenuisset ille haberet per annos triginta. rursum cum finem pollicetur imperii anno tricesimo transacto, ostendit etiam ipsum Ascanium

---

3 *quando* LR *enim* addidi propter interpr. 7 *docta* ed. 8 *omnium* om. ed. 10 *fabor quando enim* LR *f. inquit e. qu.* ed. 11 *non Italiam* etc. cf. 10, 8. 16 *ingens* LR *ingentis* r *ingentem* L II man. ed. 17 post *ponit* rasura quinque fere litterarum in L. 24 *explevit* LR corr. r. | *ab* LR *a* ed. 26 *extrarium aliquem* R *extranium al.* L *aliquem* om. ed. (*extrarius* saepe cf. 358). 27 *eundemque* LR *eum denique* ed.

moriturum, sed, ut dictum est, praetermissum est quod fuerat luctuosum. verum, ne specialiter per singulas personas excurrens nimium tenderet narrationem, quaedam generaliter miscet; ait enim *hic iam ter centum totos regnabitur annos gente sub Hectorea,* non iam per Aenean aut Ascanium, posteros tamen et proximos Hectoris nec ipsos utique alienos, si quidem Creusa, mater Ascanii, soror fuerat Hectoris. post triennium igitur Aeneae et triginta annos Ascani, post trecentos Hectoreae gentis *regina,* inquit, *sacerdos Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem,*
275 *inde lupae fulvo nutricis tegmine laetus Romulus excipiet gentem et Mavortia condet moenia Romanosque suo de nomine dicet. his ego nec metas rerum nec tempora pono, imperium sine fine dedi.* ventura significabat Romuli tempora Ilia et Marte parentibus geniti; qui licet duo fuissent uno partu prolati, unum tamen hoc est Romulum imperium retenturum dicit; Remus enim fraterna manu significabatur interiturus; qui postea Quirinus appellatus est, ut obscurari parricidium posset. hunc Romulum conditurum Romam dicit et eos qui sub eius imperio futuri essent appellaturum Romanos, tanta felicitate regnaturos, ut ipsorum potestas nullis ut alterorum regum temporum terminis clauderetur, perindeque felicitatem ipsam perpetuo mansuram. quod autem Venus oblique posuit „unius ob iram prodimur“, hoc Iuppiter intellecto, ut laetiorem Ve-
280 nerem faceret, ait *quin aspera Iuno, quae mare nunc terrasque metu caelumque fatigat, consilia in melius referet mecumque fovebit Romanos, rerum dominos gentemque togatam.* in tantum pollicetur omnia fore prosperrima, ut ipsam quoque acerrimam inimicam Iunonem et deposituram diceret inimicitias et fauturam ei generi quod fuerat persecuta. ad Aeneae accedebat meritum quod Iuppiter

6 *posteros* LR *per posteros* r. 8 *fuerit* LR *fuit* ed. *fuerat* nos. 9 *tercentos* ed. 14 *Romuli* LR edI *et Remi* add. edF. 15 *geniti* LR mut. ed. 18 *significabatur* LR ed. dubito num recte. 21 *tantaque* r. 22 *potestas* — 23 *clauderetur* corrupit ed. 23 *facilitatem* R corr. r.

promittebat Iunonem nec obtenturam fuisse et futuram potius Troianis caram malivolentiae studio permutato. addidit in fine promissorum quod maiorem laetitiam pareret: *[veniet lustris labentibus aetas, cum] domus Assaraci,* inquit, *Phthiam clarasque Mycenas servitio premet et victis* 285
*dominabitur Argis,* ut qui ad tempus victores esse videbantur servituri essent iis quos primitus vicerant. ecce respondit et ad illud quod de Antenore fuerat dictum, ut, cum ille ex eo diceretur felix, quod in partibus Graeciae et condere potuit civitatem et ibidem regnare, isti dicantur imperaturi omnibus Graecis et cunctos perpetua dicione pressuri. gradatim igitur Troiani generis stirpem ad felicitatem plenam memorat esse venturam. primo enim Aeneae triennium dedit, Ascanio triginta, aliis trecentos annos, reliquorum vero sine fine cursurum imperium dixit. verum quia in honorem Caesaris Aeneidem scribebat, hic aperuit quid in posterioribus libris poeta noster fuisset positurus. quae quidem, ut dictum est, cum supra dictis scribere non potuit; nam secuta post Turni mortem et gesta trium et triginta et trecentorum annorum ac deinceps usque ad ipsius Caesaris tempora factaque eius fuerat suis carminibus conditurus, et proventus Troiani generis futuros nascendo meliores, denique alios partis aliquas orbis retenturos fuisse, Caesarem vero sic amplificaturum Romanum imperium, ut nihil reliqui faceret quod non subactum se esse fateretur. idcirco ait *nascetur pulchra Troianus origine Caesar,* optima scilicet et honesta, ut non corporis, sed originis intellegatur pulchritudo, *imperium Oceano, famam qui terminet astris,* ut tantum Caesar pugnando esset obtenturus, ut nihil non domitum relin-

---

1 *futuram* LR *profuturam* r *fuisse* ed. 2 *caram* L *curam* R *ad curam* r *curam* ed. post. 3 *additur* ed. | *proximorum* ed. 4 lemma incipit *at domus* LR *at* ex *aetas* ortum ratus reliqua supplevi. 5 *ac victis* ed. et Vergiliani libri. 8 *et* om. ed. 12 *Troianis* ed. | *ad* LR *et* ed. 15 *reliquorum* — 16 *honorem* om. ed. 17 *quid* LR *quod* ed. 19 *secuta* LR *sequens* ed.

queret et fama nominis ac triumphorum eius usque ad
caelum perveniret diceretur que *Iulius* Caesar trahens *a
magno demissum nomen Iulo.* in tantum autem domiturum
omnis gentis, ut existentibus triumphis eius pax dehinc
291 et fides perpetua permaneret. hoc est quod ait *aspera
tum positis mitescent saecula bellis, cana fides et Vesta,
Remo cum fratre Quirinus iura dabunt,* id est leges Ro-
muli perdurabunt. *dirae ferro et compagibus artis clau-
295 dentur belli portae, furor inpius intus saeva sedens super
arma et centum vinctus aenis post tergum nodis fremet
horridus ore cruento:* cessura omnia mala felicitate Cae-
saris dixit, furorem scilicet necessitatemque bellandi.

Promissione futurorum exposita provideri securitas debuit, ne naufragi in alienis terris et incognitis atque in iis in quibus constaret inimicam Iunonem vehementissime coli aliquam violentiam paterentur. hanc partem incipit sic: *haec ait et Maia genitum demittit ab alto.* procuratur Troianis securitas per duos, quorum alter avus esset, alter adfinis; nam Maia Mercuri mater, ut in octavo libro (138) apertius dictum est, Troianorum generi nectebatur. debuit ergo ad effectus inplendos talis mitti persona quae praeceptorum auctoritatem duplici ratione ducta celerius maturaret alarum vel maxime iuvante subsidio. subnectitur dehinc causa mittendi et definitio mandatorum: *ut terrae utque novae pateant Carthaginis arces hospitio Teucris.* novas arces ideo posuit, quia novitas regni cuncta potest habere suspecta, ut ipse Vergilius ait ex persona Didonis (563) „res dura et regni novitas me talia cogunt moliri et late fines custode tueri". item potest intellegi et hoc modo, ut terrae Carthaginis pateant hospitio Teucris et novitas inperfectorum aedificiorum. solus enim efficere Iuppiter ministro Mercurio potuit ut

---

2 *i · iulius* L *iulius* R *is est* ed. 3 *domaturum* ed. 4 *gentis* om. ed. 10 *aeneis* LR 11 *felicitatē* L *-tatem* R *-tati* r *-tate* ed. 15 *in iis* om. ed. 17 *maga* R corr. r. | *dimittit* LR *demittit* r *demisit* ed. 18 *duos* LR *deos* r. 27 *suscepta* LR corr. r. 32 *enim* LR *autem* ed.

inimicos suos Carthago susciperet contra Iunonis studium quam colebat. in omnibus igitur celeritate opes fuit, quae non est praetermissa; nam eandem brevi sermone conplexus est dicendo ut terrae utque novae pateant Carthaginis arces hospitio Teucris. terras dixit, ne forte in regionibus Carthaginis aut in litoribus agentes Troiani vexarentur. novas arces etiam sic accipimus, ne ad ipsam Carthaginem incogniti venientes adversa paterentur, sed magis reciperentur hospitio. Mercurium interea celeriter definivit obsecutum iussis: *volat,* inquit, *per aera.* atque 300 ut esset fides volasse per aera Mercurium, addidit *remigio alarum.* aliter enim e caeli partibus missus ad terras venire non posset, nisi remigio alarum fuisset adiutus; non enim per inane aeris pedibus ire potuit. fructus executionis inpletae ut manifestius appareret, adiecit *et iam iussa facit ponuntque ferocia Poeni corda.* propter Aeneae commodum repente ex ferocia in lenitatem hominum natura mutatur. addidit *volente deo*, hoc est Iove vel Mercurio; illi enim naturalem ferociam repente abicere non possent, nisi intervenisset caelestis auctoritas. secundo loco ipsius reginae posuit partis, sed hoc ne notabile fieret, ut secundo loco regina placaretur, ait *inprimis regina.* ipsa quippe primo fuerat lenienda quae vel iubere aliquid in contrarium posset vel emergentem violentiam pro potestate conpescere. *accipit* ergo *in Teucros* ipsa inprimis *quietum animum mentemque benignam.* libravit magna moderatione Vergilius quemadmodum hanc poneret partem. ponunt, inquit, ferocia corda Poeni et accipiunt quietum animum in Teucros et benignam mentem. non dixit coeperunt amare Troianos, quod fieri semel non poterat, ut eodem temporis puncto et ferocitatem pone-

---

6 *agentis* LR *a gentibus* ed. 10 *inquit* LR *ille* ed. | *magnum* add. ed. 11 *Mercurium* LR *magnum* ed. 12 *e* superscr. L om. R ed. add. r′. 13 *fuisset* om. ed. 17 *repetente* LR corr. ed. 18 *natura mutatur* LR *corda mutantur* ed. 25 *conpescere accipit* LR lemma interpos. ed., quod potius sequentibus continetur. 30 *semel* LR *simul* ed.

rent et amarent; suffecerat enim ad necessitatem temporis ut a cogitationibus pessimis temperarent. quod ait ponuntque ferocia Poeni corda, meritum eius monstrari voluit propter quem inpossibilia curabantur, ut mala hominum natura verteretur in bonam, non iuxta omnis homines, sed iuxta Troianos tantummodo.

His inter Iovem et Venerem et per Mercurium gestis redit ad ea a quibus interim recesserat, ab illa scilicet Aeneae cogitatione qua dixit „praecipue pius Aeneas nunc acris Oronti nunc Amyci casum gemit et crudelia secum fata Lyci fortemque Gyan fortemque Cloanthum“. haec ergo Aeneas cogitabat per diem. et quia dixit „et iam finis erat“ vel convivii vel fabularum vel lucis, videamus quas cogitationum curas etiam per noctis tempus habuerit, quod ipsum laudabile est satis, si in tot laboribus in aliquam quietem flecti non potuit nec tunc saltem requiescere dormiendo cum animalia omnia post fatigationem animorum et corporum solvuntur in somnos. quae res ostendit quanta cura tueatur Vergilius Aenean, cui inventis occasionibus omnia genera virtutum animi scilicet et corporis adplicare non cessat. denique solum posuit ascendisse montem et montem altissimum et eo temporis ascendisse quo ceteri tabidis corporibus et solutis iacebant in litore. ecce etiam hic solus utilitatem omnium cogitat, solus vigilat, solus agenda pertractat, solus ad ea conplenda pergere disponit.

305 *At pius Aeneas per noctem plurima volvens:* removenda sunt interposita quae Venus ad Iovem et ad Venerem Iuppiter habuit quaeque de Mercurio dicta sunt et erit una narratio, quae videtur ad tempus esse divisa. sic enim conectitur, si retractis mediis superioribus inferiora iungantur. dixit enim supra (220) „praecipue pius Aeneas nunc acris Oronti, nunc Amyci casum gemit“ et cetera

---

1 *temporis* LR *patris* ed. 7 *Iovem* LR ed. *I. et* nos. | *per* om. ed. 15 *ipse* LR corr. L m. II ed. 16 *neque* ed. 24 *hic* om. ed. 27 *revolvenda* ed. 29 *de Mercurio* om. ed.

et recessit. conpletis igitur quae necessario videntur interposita redit, ut omnis Aeneae curas ac diligentiam monstret et cautelam optimi regis ostendat. ait igitur at pius Aeneas per noctem plurima volvens, *[ut primum lux alma data est, exire locosque explorare novos, quas vento accesserit oras, qui teneant (nam inculta videt). hominesne feraene, quaerere constituit sociisque exacta referre].* de plurimis generaliter positis specialiter aliqua persequitur quae necessario essent investigationis industria colligenda. tractatu ergo habito definiit quae essent requirenda, loca scilicet, vel quae essent terrarum partes vel qui tenerent; desertionis enim coniectura in incertum rapiebatur utrum illa loca ferae an homines habitarent. interea multa quaerenda Vergilius definiens diversis generibus executus est, id est masculino et feminino et neutro, et responsurus omnibus neutro plurali conclusit: locos, inquit, novos, quas oras, qui teneant, hominesne feraene, sociis exacta referre. *classem in convexo nemorum sub rupe cavata* 310 *arboribus clausam circum atque horrentibus umbris occulit, ipse uno graditur comitatus Achate, bina manu lato crispans hastilia ferro.* exiturus cum solo Achate nec in totum inermis fuit, ne esset temerarius, nec in totum armatus, ne timidus videretur. cum solis, inquit, hastilibus geminis et uno socio; hoc enim expediebat ei qui iturus in solitudines fuerat, ut esset expeditus propter inquisitionem celerem et maturum reditum, ad omnia circumspectus, socios suos omni cautela communiens. nam consulendi viam praebuit occasio loci quem superius descripsit cum diceret „est in secessu longo locus“ et cetera, ut appareat non superfluam, sed necessariam fuisse descriptionem. propterea dixit classem in convexo nemorum sub rupe cavata

---

1 *et recessit* om. ed. 4 *ut primum* — 7 *referre* deest in LR, sed explicatur. 12 *discretionis* ed. 17 *feraene* — 18 *referre* om. ed. 21 *in totum* LR *omnino* ed. 22 *nec* — *temerarius* om. edI *esset* om. edF. 23 *tumidus* edF. | *inquit* om. ed. 25 *fuerat* LR *esset* et transpos. ed. 29 *diceret* LR *dixit* ed. | *et cetera* om. ed.

arboribus clausam circum atque horrentibus umbris occulit. ecce et hic Aeneae virtutes et animi et corporis numerantur; quietis enim omnibus et diligenter absconditis solus cum uno ad incertum pergit. additur ei a loco, a tempore, a persona aliud ad laudem; nam cum se ei obtulisset media in silva conposita ad fallendum femina, sub virginis habitu et forma quasi venatrix, motus in libidinem non est, cui dabant omnia audendi facultatem, locus, virginitas, pulchritudo, vestitus. accedebat ad hominis castitatem malorum tantorum saeva congeries, quae etiam libidinosos revocat a Veneris voluptatibus, ut Terentius ait (heaut. 1, 1, 57) „nulla adeo ex re istud fit nisi ex nimio otio". ait ergo *cui mater media sese tulit obvia silva virginis os habitumque gerens et virginis arma Spartanae vel qualis equos Threissa fatigat Harpalyce volucremque fuga praevertitur Hebrum. namque umeris de more habilem suspenderat arcum venatrix dederatque comam diffundere ventis, nuda genu nodoque sinus collecta fluentis.* ecce quanta inritamenta libidinis Aenean non moverunt: nam fuit pulchra, bene vestita, capillis diffusis et genu nuda, dehinc quod se in illa solitudine ad conferendas cum viris fabulas prior ingessit. quod vero generaliter dictum est virginis os habitumque gerens, hoc est quod specialiter enumeravit quid sit virginis os, quid habitus; nam suspendere arcum et comam ventis dare virginum est species, nuda genu nodoque sinus collecta fluentis ad habitum pertinent. nuda genu et sinus collecta fluentis genera sunt locutionum, ut ornatior fiat oratio. *ac prior heus, inquit, iuvenes;* prior enim debuit Venus offerre loquendi fiduciam, ne illis inprobum forsitan videretur cum virgine, cum sola quae non sola putaretur miscere conloquium. certe et illud ad fallendum proficiebat, ut

1 *umbris* om. ed. 2 *ecce — numerantur* supra post *dixit* inseruit ed. 11 *veneriis* r. 12 *ait* om. edF. 17 *comam* LR *comas* ed. 27 *nuda — fluentis* om. ed. 29 *inquit* om. ed. 30 *forsan* ed. 31 *quae non sola* LR expunxit r nescio an recte *quae tunc sola* edF.

illa non tantum specie virginis verum etiam sermone transduceret inprudentis, ut ad interrogandi necessitatem venire potuissent. ipsa ergo prior coepit: heus, inquit, iuvenes, *monstrate, mearum vidistis si quam hic errantem forte sororum succinctam pharetra et maculosae tegmine lyncis aut spumantis apri cursum clamore prementem.*

*Sic Venus, et Veneris contra sic filius orsus.* interrogationi brevissimae et quae tamen necessaria contineret ad fallendum (nam et sororum dixit et signa vestitus atque habitus expressit) brevius ipse respondit atque ita, ut a propositis non erraret. *nulla tuarum audita mihi neque visa sororum:* nec vidimus, inquit, aliquam sororum tuarum nec audivimus clamantem. ipsis verbis respondit quibus cucurrit interrogatio. nam illa dixit si forte aliquam vidistis aut audistis, huic responsum est nec vidimus nec audivimus. conpleto igitur responso aestimationis quam de ipsa Aeneas habuit coepit seriem explicare: *o, quam te memorem, virgo? namque haut tibi vultus mortalis nec vox hominem sonat, o dea.* cum pronuntiatum fuerit o dea, sic debet dici *certe, an Phoebi soror, an nympharum sanguinis una,* ut sit certe, an Phoebi soror an nympharum sanguinis una, *sis felix nostrumque leves quaecumque laborem.* quaecumque id est sive soror Phoebi sive una nympharum. descripsit incertum, descripsit verisimilia suspicionibus colligentem. quae, inquit, in te video vel cum loqueris auribus sumo non te humanae condicionis adsignant; arbitror enim te esse deam; sed in eo errat iudicium meum, quia quae sis nescio, utrum sis soror Apollinis hoc est Diana an una nympharum. hic Aeneae plurimum datur scientiae religionum; non enim

---

2 *et ad* LR edI *ut ad* r edF. 7 *et veneris* LR edI *at V.* edF. 7—8 *interrogatione brevissima* ed. 8 *equae* L *aequae* R *aeque* ed. *et quae* nos. | *contineret* LR *continentur* ed. 11 *aberraret* edF. 12 *inquit* om. ed. | *tuarum* LR ed. *errantem* add. in marg. r′. 19 *o dea* LR *certe* contra interpr. add. ed. 21 *soror* om. ed. 24 *sive nympharum* LR ed. *una* interpos. r′ nos. 25 *colligens* edF. 27 *condicionis* LR ed. *-ni?*

posset divinum aliquid intellegere in hominis forma, nisi quia pollebat scientia omni sacrorum. sis felix nostrumque leves quaecumque laborem *et quo sub caelo tandem, quibus orbis in oris iactemur doceas, ignari hominumque locorumque erramus vento huc et vastis fluctibus acti.* sis, inquit, prospera, quaecumque es, et, ne diu laboremus errando atque inquirendo, quod nosse cupimus referas, scilicet sub qua parte caeli agamus vel ad quas partis terrarum simus adpulsi; neque enim loca ista aut homines novimus, quippe quos vis maris et ventorum procellae ad incognita conpulerunt. *multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra:* reddemus aris tuis pro meritis vicem multarum hostiarum vota solventes, et ne oblatio sacrificiorum simpliciter promissa levis fieret, addidit multa hostia.

Cogebat ratio interrogatam respondere, quia et ipsa ignorantis cupiebat instruere, sed primo non primis, sed novissimis occurrit. si enim oblationem sacrificiorum in extrema parte positam tacendo acceptasset, profecto se confirmasset deam, secundo ergo ad quaesita respondet.
335 *haut equidem tali me dignor honore:* etsi mereor, inquit, a vobis honorificentiam, talem mereor quae conveniat homini, non tamen quae numinibus debeat exhiberi; sed quia suspicari etiam ipsa potuit quibus signis illi putaverint deam, ait *virginibus Tyriis mos est gestare pharetram purpureoque alte suras vincire coturno.* ecce qua causa suspiciones eius conatur avertere, ut adhuc non intellegat se loqui cum matre. habitus iste, inquit, quo me aestimatis deam, non meus est tantummodo, sed omnium virginum Tyriarum quae in istis regionibus commorantur, pharetram nobis et hoc calceamentorum genus inposuit patrius mos. et facile potuit hoc ipsum pro vero persuadere, quia Aeneas superius dixit nec regiones se nec

---

2 *omnium* ed. 5 *vastis et* ed. 6 *es* om. ed. 7 *atque* LR *et* ed. 10 *et* LR *ac* ed. 14 *levius* ed. | *hostia* om. edF. 17 *sacrificii* ed. 20 *me tali* ed. 21 *talem* LR *tamen* ed. 22 *tamen* LR *talem* ed. | *sed* om. ed. 23 *illi* LR *illam* ed. 28 *existimatis* ed.

homines nosse, nescienti ergo bene mentita est. dehinc longarum rerum incipit brevis et concinna narratio; non enim debuit Aeneas sub incerto diutius detineri, cum hoc et ipse vellet et desideraret. mater igitur eo ordine respondet quo interrogatio proposita est. ait enim ille quo sub caelo, quibus orbis in oris, idcirco haec dixit *Punica regna vides.* designato loco dicit personas: *Tyrios* inquit, addidit *Agenoris urbem,* ut etiam superioris conditoris nomen ostenderet. *sed fines Libyci:* illic enim occurrente pelago Africae termini ex uno latere clauduntur. *genus insuperabile bello:* meminerat enim Vergilius se ex persona sua dixisse (14) „studiisque asperrima belli“. hic tamen non est repetitio eiusdem rei, quoniam et dici necesse fuit et ex alterius persona nunc dictum est. *imperium Dido* 340 *Tyria regit urbe profecta:* hac angustia verborum quantam latitudinem tenuit! conplexa est enim praesens tempus et praeteritum dicendo ubi sit et unde venerit. dixit quae vocaretur et quid ageret quae illic tenebat imperium. conpendii autem causa, ne interrogationibus et responsionibus plus quam necesse fuerat tererent tempus et prolixum fieret quod maturo debuit fine concludi, ipsa omnibus quae perquiri per interrogationem poterant conpendio faciliore respondet. ergo dixit imperium Dido Tyria regit urbe profecta et, quia potuit quaeri causa, qua conpulsa est relinquere eam sedem in qua fuit et sectari longinquam, quod fuerat pro sexus feminei ratione difficile, adiunxit *germanum fugiens.* hoc quoque quia fuit incredibile, tantam intervenire potuisse causam quae sororem cogeret dura sectari fugientem scilicet eum a quo amari debuerat, dixit *longa est iniuria, longae ambages, sed summa sequar vestigia rerum.* ea positura est quae fuerat dictura, sed artificio narrantis multa sese praetermissuram

---

1 *noscere* ed. 3 *debuit* transpos. *Aeneas* om. ed. | *haec* ed. 6 *dixit* LR *dicit* ed. 7 *per personas* ed. 10 *clauditur* ed. 23 *respondit* ed. 24 *quia* om. ed. 26 *feminini* ed. 29 *coegerat* ed. | *amari debuerat* LR *d. adiuvari* ed. 32 *vestigia* LR *fastigia* in marg. r.

simulat, ut ille spe futurae brevitatis cuncta attentius audiret. *huic coniunx Sychaeus erat, ditissimus agri Phoe-*
345 *nicum et magno miserae dilectus amore, cui pater intactam dederat primisque iugarat ominibus:* apud Phoenices optimum, inquit, et copiosissime possidentem maritum habuit Sychaeum. dehinc amoris inter coniuges honestas inserit causas. amabat, inquit, hominem secuta iudicium patris et divitem et probum et eum cui intacta nupsisset et primis auspiciis iunctam esse constaret. multum enim differt inter adfectum virginalium nuptiarum et earum quae secunda coniunctione nectuntur. plurimum vero meriti habent quas intactae filiae arbitrio suo perficit pater. idcirco igitur posuit et magno miserae dilectus amore, cui pater intactam dederat primisque iugarat ominibus, hoc est nullis aliis, sed solis. transiit ad personam Pygmalionis, ut ad ipsam descenderet causam quae Didonem propriis sedibus truserat: *sed regna Tyri germanus habebat Pygmalion.* Tyri, inquit, tenebat imperium frater Didonis Pygmalion. qualis iste vel quorum morum fuerit consequenter ostendit, *scelere*. inquit, *ante alios inmanior omnis quos inter medius venit furor.* hoc loco sic est retinenda pronuntiatio, ne sic intellegamus, ut Pygmalioni in scelere commisso defensio relinquatur per venialem statum. sic enim plurimi inprudentes volunt, ut furor medius inter Sychaeum et Pygmalionem venerit. hoc si ita est, defendi potest Pygmalionis factum, si non voluntate, sed furore peccavit, et videbitur Sychaeus Pygmalionem furentem potuisse perimere ac per hoc fient pares.

---

2 *Sichaeus* L R infra *Sychaeus* aliis locis *Sycheus.* 4 *hominibus* L R corr. r. | *optime* L R ed. *optimum* nos (cf. infra *probum*). 9 *iunctam* L R edI *iuncta* edF. 14 *ominibus* om. ed. 15 *transit* ed. 16 *descenderet* L R *procederet* ed. 18 post lemma edF haec interpolavit quae neque L R neque H O edI habent: „ex quo intellegitur habuisse spem faciendi et factum defendendi quia rex". 20 post *ostendit* haec habet ed. quae desunt in L R H O: „germanus habebat Pygmalion". 21 post *omnis* non distinxi, quia interpres *quos — furor* cum *omnis* coniungi vult. | *medios* L R, sed L *o* expuncta *u* superscr.

quod ne ita sit, sic pronuntiandum est, ut Sychaeus ita ut fuit innoxius, Pygmalion vero sceleratior aliis omnibus demonstretur quos in facinus inpulit furor. alii, inquit Vergilius, si in crimina gravissima ceciderunt, furor fecit, hoc est amor aut insania aut animi dolor, et possunt habere veniam facti, Pygmalion vero inde sceleratior per aliorum conparationem demonstratur, quia voluntate, non casu aut necessitate scelus admisit. quod ipsum ut melius adstrueret, paucis expressit, ut talis perpetrandi sceleris diceret causas quae reum multorum criminum Pygmalionem fortissime detinerent. *ille Sychaeum inpius ante aras atque auri caecus amore:* dixit unam quidem causam fuisse quae ex vitio naturae descenderet, sed cui alia quoque crimina necterentur. namque, ut Sallustius (Cat. 10, 4) ait, „avaritia fidem, probitatem ceterasque artis bonas subvertit, pro iis superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit“ et cetera. avaritiae ergo crudelitas comes est perfidiaque coniuncta, quae cum hominem tenuerit, cedit inde quicquid inter homines sanctum est. non potest enim avaritia habere quod concupierit, nisi ad id scelere perpetrato pervenerit. huius exempla aliquot locis poeta noster inseruit. habemus in praesenti libro Pygmalionis, in tertio (55) Polymnestoris qui Polydorum propter aurum abiurandum necavit, in sexto (621) qui accepto auro patriam vendidit et multa alia quae locis suis plenius exequemur, ut ostendamus in singularibus criminibus quot crimina teneantur admissa. interea redeamus ad tractatum praesentem, in quo illud ante omnia noscendum est, nihil esse in prima narrationis parte positum quod esse superfluum videatur. ille Sychaeum inpius ante aras atque auri caecus amore: invitavit in scelus naturae pessimae hominem opulentia divitis; ait

---

1—2 *ita ut fuit* LR *fuerit* ed. 6 *facti* om. ed. 9 *alis* LR *aliis* L II m. edI *alias* edF *talis* nos. 12 *quidem* om. ed. 15 *artis bonas* LR *b. a.* ed. 19 *tenuerat* ed. 23 *Polimestoris* LR corr. ed. 26—27 *in singularibus criminibus* om. ed. 29 *nil* ed.

enim ditissimus agri Phoenicum. quod autem dixit et magno miserae dilectus amore, [dixit,] ut inde factum Pygmalionis magis magisque gravaretur, quod carissimum sorori necaverit virum, cui pater intactam dederat, ut in Sychaei nece etiam contra iudicium patris scelus admi-
350 sisse videatur. *clam ferro incautum superat:* clam quod posuit, gravat Pygmalionis causam; nullus enim aliquid in occulto admittit nisi qui sciat se inlicita commissurum. praeter hoc etiam illud intellegi potest, ideo clam, quia, si palam aliquid conaretur admittere, salus innocentis posset a plurimis defendi contra violentum consilium. ergo scelerati hominis fuit clam cogitatum facinus perpetrare, ut omni coniectura cessante lateret auctor admissi. quis enim crederet sororis virum, sorori amabilem, nullis inimicitiis intervenientibus, innoxium semper Pygmalionis saevitia iugulatum? quo loco plenissimae crudelitatis reus Pygmalion ostenditur, si quidem sciens admisit quod credibile futurum non putabat. postremo tutum se utique posse esse credebat ex regali potentia; nam idcirco praemisit poeta quod regna Tyri ipse retineret. dicit ergo inde inmanior ceteris, quia, ut dictum est, occidit eum qui esset innocens et qui nullas cum eo inimicitias habuisset, occidit sororis virum, qui sororem eius numquam laesisset †et quae esset amabilis, occidit ante aras, occidit propter solam avaritiam, occidit nulla (utpote rex) coactus inopiae necessitate et eo facilius incautum adgressus, quod Sychaeus nihil tale ausurum putabat uxoris fratrem. ecce oratoria in poeta virtus, unum admissum quantis criminum generibus aggeravit! quemadmodum loci communis

---

2 ante *ut* verbum excidisse puto, quia omissio intolerabilis videtur, *dixit* inserui cf. 354 et 364, sed incertus uncis inclusi (similiter *hoc est* inserendum putavi v. 76 et 77). 6 *superat* om. ed. 8 *scit* ed. 11 *violentum* LR *videntium* ed. 13 *lateret* LR *laetetur* ed. 18—19 *tutum se utique posse esse* LR ordinem mut. *posse* om. ed. 20 *retinebat* ed. 24 *et quae* LR ed. *et cui*? an *et qui*? an *atque*? 29 *aggeravit* LR *aggregavit* ed.

partis ingressus latius discussit! quas ne apertius diceret praepedivit necessaria pro loco, pro tempore, pro persona brevitas. Aeneas enim in silva, naufragus, suum et naufragorum sociorum negotium gerens per id temporis quo miseriis suis cupiebat aliquatenus subveniri tenendus non fuit longo textu sermonis. tamen si consideretur ipsa brevitas, latissimum dabit intellectum rhetoricorum praeceptorum. ait enim ille hoc est sceleratus et nefarius, ille de quo nihil sceleris sperabatur, ille rex, quem nulla ad inplendum scelus cogebat inopia cuique supererant opes regiae, ille quem convenerat amare sororis suae virum, ille qui germanam suam viro privare non dubitavit, qui servare potius adfinem debuit quam necare, Sychaeum, hominem innoxium, quem generum pater dignum iudicavit cui traderet filiam adhuc virginem et alterius amoris nescientem eique prima matrimonii consecratione coniunctam, acceptum patri, amabilem sorori, faciens contra naturae religionem, faciens contra iudicium patris, rupto humanitatis et adfinitatis vinculo, necavit insontem, necavit incautum, atque eo facilius, quod talia non putaretur ausurus, occidit ante aras, ut sacrilegium quoque his sceleribus necteret, occidit ante aras hoc est diis inspectantibus, quos humana caede funestare non debuit. post haec, ut facti ipsius demonstratione expressa causam scelerati hominis premeret, ait atque auri caecus amore, ut nullam ei defensionis relinqueret partem qua uti possunt qui aliqua violentia pressi aut in se aut in alios verterunt inpias manus. clam superat; nullus enim secreto aliquid †sceleris conficit nisi qui sciat se inlicita perpetraturum.

---

1 *quas* — 3 *brevitas* misere corrupit ed. 4 *tempus* ed. 6 *contextu* ed. | *consideraretur* ed. 9 *a quo nil* ed. 10 *supererant* LR *superarent* ed. 11 *quem* LR *cui* ed. 14 *pater* om. ed. 15 *amores* LR *amorem* ed. *amoris* nos. 16 *eos* LR ed. *eique* nos. | *coniunctam* LR *-tos* L II m. ed. 17 *acceptam* ed. 23 *inspectantibus* LR *respicientibus* ed. 28—29 *aliquid sceleris* LR ed. *sceleris* deletum vult r non dubito quin recte. 29 *perpetraturum* LR edI corrupit edF.

quod autem ait caecus, non ad corpus, sed ad animum Pygmalionis revocandum est; avaritia enim tractus in scelera non consideravit quid faceret vel in quem [ubi] vel quo in loco aut quibus praesentibus. hoc loco Vergilius docet nihil sancti esse apud eos quos possederit avaritia; hanc enim sic definit, satiari non posse, nisi humana et divina iura fuerint violata. neque uno loco haec, sed plurimis posuit, crudelitatem atque avaritiam nullo modo posse a se discerni. denique, ut dictum est, et Polydori exemplo hoc idem docuit; non enim esset occisus, nisi auri cupiditas crudelis hominis saevitiam provocasset; item alio loco (6, 621) avaritiae scelere proditam patriam posuit dicendo „vendidit hic auro patriam". *securus amorum germanae:* omnia augendi criminis causa conscripta sunt; tanto enim sceleratior tenetur Pygmalion quanto certissimus fuerat nihil Didonem de fratre sensuram. perinde non erat ignarus in tale scelus se casurum fuisse quod ne in suspicionem quidem venire deberet. *factumque diu celavit:* occultatio facti post admissum fuerat necessaria propter duplicem causam, quarum una fuit ne publicato Sychaei interitu ad auctorem sceleris aliqua via veniretur, altera quia invadendi in thensauros occasio interibat, si, antequam auro potiretur, cuius cupidus tot se sceleribus involverat, de nece hominis et de auctore constaret. *et aegram multa malus simulans vana spe lusit amantem:* sollicitam vehementer de statu amantissimi coniugis sororem suam conpositis per dolum mendaciis fallebat Pygmalion, donec ipsi etiam incautae thensauros auferret. *ipsa sed in somnis inhumati venit imago coniugis:* quia neque suspicio in Pygmalionem tendi poterat propter adfinitatis causam neque extabat aliquis gnarus facti qui

---

3 *ubi* LR ed. spurium puto. 10 *exemplo* LR *exitio* ed. 17 *non erat ignarus* LR *ignarus* om. edI *noverat* scripsit edF. 22 *thensauros* LR, item infra in lemmate, alibi *thes.* 23 *sceleribus* LR *se* add. r ed. | *denique hominis* LR *denique de homicidio* ed. *de nece hominis* r nos. 30 *tendi* LR *esse* ed.

proderet reum, inducitur imago ipsius occisi universa in somnis pandentis uxori. et quod ait inhumati, crudelitatem voluit etiam in hac parte demonstrare Pygmalionis et desperationem plenissimam, ut post multimodum scelus admissum occisi non curaverit sepulturam, quam procurare debuerat, ut nefarium factum viventium oculis vel terra subtraheret. quod vero ait *ora modis attollens pallida miris,* [addidit,] ut ante expositionem et narrationis textum quivis intellegere posset occisum. *crudelis aras* 355 *traiectaque pectora ferro nudavit:* nudavit sic debemus accipere, ut aliquid verbis relatum, aliquid oculis videatur fuisse subiectum: obiecisse potuit oculis pectus ferro transfossum, aras vero, quae non erant in praesenti, verbis potuit solis demonstrare. *caecumque domus scelus omne retexit, [tum celerare fugam patriaque excedere suadet]:* ne iterum diceret poeta quod iam fuerat dictum, strictim posuit omnia rettulisse defunctum quae negotio fuerant necessaria; nam et auctorem sceleris procul dubio prodidit et universa narravit. designatis igitur facto, persona, loco, tempore, quoniam malum omne ab adfine processerat, et inpietas diis testibus perinpleta est nec prohiberi valuit nec ultione pensari atque in eo in quo iidem dii neque hominis innocentis vitam servare nec sanguinem fusum nec suam ulcisci iniuriam potuerunt, fugam potius suadet uxori. nihil enim putavit remansisse religionis apud eum qui tanta inpietate saevisset, ne a cognati morte ad necem quoque sororis simili crudelitate transiret. quia igitur ubi Pygmalion fuit Dido tuta esse non potuit nec sibi adversus inmanitatem fratris adsistere, suadet potius Sy-

---

1 *inducitur* L R *includitur* ed. 8 *addidit* supplevi cf. 349. | *ut* — 9 *occisum* male corrupit ed. 10 alterum *nudavit* om. ed. 12 *obicise* per corr. R *obiecisse* item L ed. falsum esse videtur: *obicere scilicet* suspicor ($\overline{scl}$ pro *scilicet* 1, 679 L). 14 *potuisse demonstrare* L R *monstrare* ed., sed corruptelam in *potuisse* sedere patet: *potuit solis* emendavi. 15 lemma explevi propter interpr. 17 *defunctum* om. ed. | *quae negotio* L R *q. in neg.* ed. 18 *necessaria* om. ed

chaeus fugam. proposita necessitate fugiendi addidit facilitatem dicendo *auxiliumque viae veteres tellure recludit thensauros, ignotum argenti pondus et auri.* quod dixit veteres thensauros et ignotum argenti pondus et auri, ostendere voluit sufficientis ad subsidium fugae, qui tanti fuerunt, ut eorum pondus ignoraverint extrarii et Sychaeo et ipsi uxori fuerint incogniti. consulendi ergo in praesenti fugiendi mandatum fuit et prospiciendi in futurum
360 thensaurorum praecepta translatio. *his commota fugam Dido sociosque parabat:* publicato scelere atque eius auctore per Didonem prodito socii fugae coeperunt congregari. non erat enim consilium petere mulierem sine comitibus fugam, vel maxime quae fugitura cum thensauris fuerat; metuebatur enim Pygmalion, ne amissa spe thensaurorum sequeretur et in peregrinis faceret quod in sedibus occisi conplere non potuit. *conveniunt quibus aut odium crudele tyranni aut metus acer erat:* duo genera hominum proposuit fugiturae Didoni esse sociata, unum quod odisset Pygmalionem, alterum quod timeret: odium debemus accipere eorum fuisse qui nonnullis viribus ei resistere potuissent, metum vero eorum qui in inferiore loco et fortuna constituti, cum reniti atque obluctari non possent, facilius se interituros arbitrabantur. alii ergo propter odium iuvabant Didonis necessitatem, ne Pygmalion obtineret quod volebat et thensauris invasis fieret fortior, alii propter metum, quibus offerebatur occasio, ut carerent hominis saevissimi dominatione. *navis quae forte paratae corripiunt,* hoc est magna properatione in unum colligunt navis quae forte in praesenti fuerant paratae: non enim talis quaerebat necessitas quae desiderarent fabricam aut indigerent aliquibus armamentis, sed quae essent paratae. si enim videretur aliquid novari in navigiis aut eadem nonnullis instrui, dabatur aperta suspicio, quod fugae

3 *quod* — 4 *auri* om. ed. 5 *subsidium* LR *auxilium* ed. 6 *extranei* ed. | *Sychaeo* LR ed. *Pygmalioni* Hoppe. 8 *et* ante *fugiendi* interpol. ed. 11 *coeperunt* LR *poterant* ed. 27 *dominationem* LR.

subsidium et transvectioni copia pararetur, differebatur quoque quod fuerat maturandum. *onerantque auro:* Sychaeum superius dixit rettulisse aurum atque argentum incogniti ponderis in thensauris fuisse et omnia eum transferenda mandasse, ne ex illis aliquid remaneret quod in hominis saevissimi lucra converti potuisset, sed ubi ad ipsam fugam ventum est, fugituri quale consilium habuerint poeta commemorat. si enim vellent totum aurum ferre et omne argentum, maior numerus navium fuerat necessarius, quem constabat in promptu non esse. non ergo inpositum est totum, sed quod pro modo navium potuit ferri, nec pretii inferioris species, sed ea quae potioris meriti fuit. auro, inquit, navis onerant. melius enim fuerat ut argentum temneretur, cuius pretium in conparatione auri constabat esse inferius. onerant, inquit, ut ostenderet et amplius inpositum quam naves ferre potuerant et infinitum relictum cum argento quod transferri non potuit: aliter divitiarum copia exprimi non potuit, nisi diceretur ad exportandam thensaurorum substantiam nec navis sufficere potuisse, ut vel aurum solum valeret auferri. *portantur avari Pygmalionis opes pelago:* omne hoc eo redigitur, ut probetur quod est dictum: ditissimus agri Phoenicum fuerat Sychaeus et ignotum pondus argenti et auri habuit. portantur avari Pygmalionis opes pelago: tantum ponderis fuit, ut propter auri tantummodo speciem transferendam et hanc non omnem mare fuisset necessarium. quod autem dixit Pygmalionis opes, non quod ex bonis Pygmalionis descenderent [dixit], sed quas arbitrabatur ad aviditatem suam mox esse venturas, in quo non inmerito adfligeretur cruciatibus avaritiae, quae sic dolitura esset, quasi revera proprium fuisset amissum. *dux femina facti:* ipsa enim potior omnibus fuit, et propter

6 *sed ubi* LR *sed ne ubi* ed., quare aliquid excidisse suspicatur F. 13 *melius* — 15 *inferius* corrupit ed. 17 *relictum* om. ed. 25 *ut* — 27 *necessarium* in absurdum corrupit ed. 28 *dixit* inserui ut 354. 30 *inmeritis* r. 30—31 *quod sic doliturus* ed.

ipsius causam et necessitatem ibant omnes qui navis ascenderant. certe et hoc ad insultationem Pygmalionis positum possumus intellegere, ut duce femina perdiderit quod proprium putabat effectum. laudatur interea fugientium consilium, quos non tenuit cupiditas amplius auferendi, 365 quia nec poterant ferre nec debuerant inmorari. *devenere locos, ubi nunc ingentia cernis moenia surgentemque novae Carthaginis arcem, mercatique solum, facti de nomine Byrsam, taurino quantum possent circumdare tergo:* prius dixit ubi nunc ingentia cernis moenia surgentemque novae Carthaginis arcem et secundo loco posuit mercatique solum, cum aedificium instrui non potuerit, nisi emptio loci primitus provenisset. et est revera quod moveat, quamdiu ad ordinationem sensus veniatur, qua facta patebit dictionis integritas. ordinatur ergo sic: devenere locos et mercati solum praeteritum tempus significant, ubi nunc ingentia cernis moenia surgentemque novae Carthaginis arcem praesens tempus ostendit. ergo integre posuit: primo emerunt et sic coeperunt aedificare. taurino quantum possent circumdare tergo: huius loci diversa traditio est. alii dicunt pecuniam tunc ex corio bubulo fuisse et inde pecuniam dictam, quod ex pecore originem duceret, tantumque fuisse in pretio loci quantum bovis unius corium conficere potuisset. alia traditio talis est, quod venditor loci hac fraude deceptus sit, ut tantum agri modum venderet quantum corium bovis circumdare potuisset: illum nihil fraudis suspicantem arbitratum esse tantum se sedis tradidisse quantum posset occupare integrum corium, si per terram iaceret, emptores vero fraude quaesito commento in corigiam te-

2 *Pygmalionis* om. ed. 5 *afferendi* ed. 7 *cernis* LR infra altero loco *cernes* altero *cernis*: explicatio *cernis* poscere videtur. 14 *qua* LR *quia* ed. 15 *et mercati* LR *mercatique* ed. 16 *praeteritum tempus significant* om. ed. 17 *cernes* L *cernis* nos. 19 *posset* LR supra recte. 25 *modum* om. ed. 27 *suspicatum* ed. | *arbitrantem* R corr. r. | *tantum sedis traxisse* LR edI *tantum tradidisse* edF *t. se sedis tr.* nos. 28 *posset* om. R. 29 *quaesito* LR *composito* ed.

nuem solidum corium duxisse perindeque factum ut amplius quam debuerat teneretur. sed omnia haec fabulosa sunt magis quam vera. nam si consideremus ubi nunc ingentia cernis moenia surgentemque Carthaginis arcem et quod inferius dixit (423) „instant ardentes Tyrii, pars ducere muros molirique arcem et manibus subvolvere saxa, pars optare locum tecto et concludere sulco, iura magistratusque legunt sanctumque senatum, hic portus alii effodiunt, hic alta theatri fundamenta locant alii inmanisque columnas rupibus excidunt, scaenis decora alta futuris“, item (446) „hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido condebat“, inveniemus tanta ac tam magna non potuisse nisi locis latioribus condi, quae conparari sine dubio non possent ex unius corii utraque opinione, licet ipse poeta addiderit veri similitudinem qua credibile faceret factum dicendo facti de nomine Byrsam, quasi locum ipsum condendae civitati necessarium atque emptum vocitaverint Byrsam. quae appellatio et lingua Graeca, unde Dido fuit, et Punica, hoc est ipsius regionis in qua res gesta ferebatur, significat corium. byrsa quippe graeca appellatione corium est et bursalf punica elocutione corium significatur. conpendio tamen sufficit nosse peregrinos homines ex empto habuisse illa loca, non invasa per violentiam.

*sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris? quove*

11 *item* om. ed. 12 *condebat* LR *concludit* ed. 14 *opinione* LR *parte* ed.: fortasse *ex unius boris corio utraque opinione?* 16 *ipse* R corr. r. 17 *vocitarerint* LR *cognominarerint* ed. 21 *bursalf* LR *bursals* ed. (*bursalf* O *bursal* H): in vocabuli *bursalf* secunda parte אֲלָפ extare patet, quod bovem significat; ad explicandam primam partem proclive est de בִּצְרָה cogitare, quod ad masculinum בֶּצֶר־ redit = arx vel saeptum, ut totum sit בֶּצֶר־אֲלָפ = saeptum boum, per metathesin בִּרְצַאלְפ i. e. bursalf; an de בֶּצֶר = aes cogitandum est, quod fabulae vicinius videtur? utcunque res se habet, illud certe apparet, popularem aliquam ipsorum Poenorum originationem fabulae subesse, non, ut vulgo perhibent, Graecos eam ex suo vocabulo βύρσα confinxisse. 22 *nosse* LR *cognoscere* ed. 24 *advenistis* LR infra *aut venistis.*

*tenetis iter? [quaerenti talibus ille suspirans imoque trahens a pectore vocem]:* mira brevitas interrogantis quae totum uno versu conplexa est, scilicet ut dicerent qui essent, unde venirent, quo pergerent. haec interrogatio propositionis instar retinet, quod ipsum in responsione monstrabitur. interrogatio tamen ipsa non caret fraude; nam idcirco inmissa est, ut adhuc Aeneas non deam, sed hominem crederet, quod Veneri non provenit. nam Aenean adsignat poeta non transduci calliditate fallentis, sed in eo perseverare, ut deam credat, nam ipsi parti primo, dehinc quaesitis cum magna animi laceratione respondet; nullus enim mala sua et ea in quibus adhuc volvatur sine dolore commemorat.

Ait ergo *o dea, si prima repetens ab origine pergam et vacet annalis nostrorum audire laborum, ante diem clauso conponet vesper Olympo.* deam, inquit, te esse certissimum est, quae autem cupis audire et multa sunt et prolixa. duo sunt enim quae inpediunt, unum quia non vacat, alterum quia narrationem malorum unius anni diei tempus inpleri non patitur. properabat enim redire ad suos et in locis incognitis et desertis post finem diei separatus ab ipsis inveniri non debuit. haec ergo brevissima principia fuerunt, in quibus benivolam fecit ex honorificentia, cum deam appellat, et fecit attentam, cum dicit multa esse mala quae referre cogatur et eo genere ostendit se non omnia, sed aliqua esse dicturum. incipit iam ipsam narrationem et respondet propositis, sed non eo ordine quo quaesita sunt. illa enim dixit sed vos qui tandem? ille secundae respondit et sic primae; in secunda enim inquisitione dixit quibus aut venistis ab oris?
375 respondens igitur ait *nos Troia antiqua (si vestras forte*

1 *quaerenti* — 2 *vocem* deest in LR, sed explicatur. 2 *interrogantis* LR *-gationis* ed. 3 *tota* ed. 4 *quo* — 5 *retinet* om. ed. 8 *veneri* LR *revera* ed. 19 *anni* om. ed. (explicatur. *annalis*). 23 *benivolum* LR cf. 76 *benevolentiam* ed. | *et honorificentiam* ed. 25 *cogebatur* LR ed. 29 *secundo respondet* ed. 30 *inquisitionem* ed. 31 *respondens igitur ait* om. ed.

*per auris Troiae nomen iit) diversa per aequora vectos forte sua Libycis tempestas adpulit oris:* ecce secundae interrogationi satisfecit. ostendit enim ex qua parte orbis venissent: nos, inquit, a Troia sumus. dicit et eius laudem, antiqua, inquit, quam credimus te opinione nosse; magna enim magnae sunt opinionis perindeque fama currente omnibus nota. et licet anni unius commemorationem professus sit tantum fuisse prolixam, ut totus dies eam conplecti non posset, tamen usus admiranda brevitate labores semel omnium conclusit annorum; dicendo enim discedentes de litoribus Troiae tetigit primam temporis partem, diversa per aequora vectos tetigit mediam, forte sua Libycis tempestas adpulit oris tenuit postremam, quae fuit in praesenti. simul ostendit quod violentia tempestatum et fluctuum in illam solitudinem fuisset adpulsus. et quod dixit Libycis tempestas adpulit oris, hinc gnarus effectus, quia Veneris verbis audivit „sed fines Libyci“. dicit iam qui sit ipse qui loquebatur: *sum pius Aeneas,* et quia cum dea se arbitrabatur loqui, commendat personam suam dicendo *raptos qui ex hoste penatis classe veho mecum,* ut ostenderet in excidio patriae hoc se habuisse praecipuum quod ante alia liberaret. *fama super aethera notus.* famam medie posuit non evidenter adsignans quali fama, quoniam multi etiam ex mala fama noti sunt. quali tamen fama notus fuerit Aeneas ipse Vergilius alio genere demonstravit; dixit enim se esse pium et religiosum iuxta deos. fama super aethera notus: cum laboribus, inquit, et moribus meis notus factus essem toto orbi, fama nominis mei sine fine discurrens, cum iam

4 *a troia sumus* LR *profecti* inseruit ed. 5 *noscere* ed. 8 *tantum* LR *tam* ed. 10 *semel* LR *simul* ed. 11 *discedendo* ed. 12 *diversa* — 16 *dixit* om. *forte sua* substituit ed. 15 *in illa solitudine* LR. 16 *hinc gnarus* L *i gnarus* R *hinc ignarus* r ed. *haud ignarus* r'. 18 *loquatur* ed. 22 *alia* LR *a. penates* ed. 23 *mediae* LR corr. ed. | *non* om. ed. 24 *qualis* ed. 25 *tamen* LR *autem* ed. 26 *esse* LR ed. *se esse* nos. 29 *toto orbi* LR edI *toto orbe* r *toti orbi* edF, sed cf. 9, 435.

quo tenderetur non haberet, ad caelum et superos etiam venit. tertia inquisitio supererat quove tenetis iter? etiam
380 ipsi respondet dicens *Italiam quaero patriam.* dixit ergo quo tenderet et addidit quod quaesitum non fuerat ornaturus meritum suum dicendo *et genus ab Iove summo.* quaero bis accipiendum est, ut sit Italiam quaero patriam et genus quaero quod ab Iove summo descendit. his adiungit aliqua de casibus suis et ea quae tenerent profectionis initia et praesentis temporis mala. *bis denis Phrygium conscendi navibus aequor matre dea monstrante viam data fata secutus:* cum numerum navium diceret, ambitiosum fuit quod dixit bis denis, quam si diceret viginti, sicuti pro nihilo posuit vix septem convulsae undis euroque supersunt. matre dea monstrante viam: quam libenter auditus est, quod gratias ageret matri, licet ipse quasi apud incognitam commendationis suae causa hoc voluerit dicere, quod ex dea sit genitus. ipsa enim viam monstravit dicendo in secundo libro (619) „eripe, nate, fugam finemque inpone labori. nusquam abero et tutum patrio te limine sistam“. hic ostendit poeta etiam illud, quod Aeneas de Troiae litoribus non voluntate navigaverit iungendo data fata secutus, quoniam fatalibus dispositionibus consentiendum magis est quam inefficaciter resistendum. ecce praeterita strictim transiit et in praesenti inmoratur propter maiorem misericordiam commovendam. *vix septem convulsae undis euroque supersunt, ipse ignotus,*
385 *egens Libyae deserta peragro Europa atque Asia pulsus:* singula verba quam teneant vim quemve habeant intellectum necessario noscendum est. ait enim bis denis navibus veniebam: designatione numeri magnis copiis motam navigationem suam voluit demonstrare. vix septem con-

2 *superat* ed. 4 *et* om. ed. 5 *et* om. ed. 7 *descendi* LR *-dit* L II m. r ed. 8 *casibus suis* L *suis* om. R add. r *causa sui erroris* ed. 14 *quam libenter* LR *quam breviter* edI *quam breviter seu libenter* edF. 23 *consciendum* R. 25 *inmoratus* ed. 26 *convǒlsae* L supra et infra *convulsae.* 31 *suam* om. ed. | *demonstrare* L *-abatur* R.

vulsae undis euroque supersunt: qui vult animum dolentis conpetenter excutere separatis singulis pronuntiare debet, vix, ut ostenderet se magna cum difficultate evasisse, septem, ut ex magno numero exiguum quid superesset, convulsae undis euroque supersunt, hoc est dissolutae duplici malo, vi maris et tempestatum. ad adprobandam vero calamitatem suam utitur occasione loci ac temporis dicendo ipse ignotus, quod est in rebus humanis extremum, in alienis terris nullius habere notitiam, egens, quod fuit infelicitatis augmentum, si enim non egeret, non esset ei cuiusquam notitia necessaria. iuncta igitur fuerunt mala duo, ut incognitus esset et egens, et additum est ad cumulum malorum ut solitudo quoque et deserta concurrerent, ut nihil ad victum vel ex agresti ministerio suppeteret nec inveniretur quispiam qui miserere posset. Europa atque Asia pulsus: duas partis orbis nominavit, de tertia parte conticuit, quae Africae fuit et in ipsa positus loquebatur.

Dicturus etiam alia malorum suorum fuit, sed, Venus quia nota habuit universa vel quia haec non libenter patiebatur ulterius enumerari vel quia consulendi via ante noctem fuerat maturanda, ait *nec plura querentem passa Venus medio sic interfata dolore est.* quia de solitudine ac desertione regionum, de inopia quoque fuerat conquestus et incognitum sese narraverat omnibus, Venus occurrit et in omnibus securum praestat. *quisquis es,* inquit, perseverat adhuc, quasi cum incognito loquatur, quasi si diceret sive Aeneas es sive Troianus. *haut credo invisus caelestibus auras vitalis carpis Tyriam qui adveneris urbem:* diis, inquit, propitiis constat te vitam tuam ducere, quando post infinita adversa visurus es Carthaginem. haec inserendo procul dubio omnium spondebat

---

6 *approbandum* ed. 10 *argumentum* ed. 12 *esset* LR *fuisset* ed. 14 *ministerio* LR *solitudine* ed. 15 *misereri* ed. 19 *Venus* om. edI *sermonem interrupit vel* interpol. edF. 24 *regionum* LR *navigiorum* ed. 28 *si* om. ed. 29 *quia adveneris* LR corr. r. 32 *omnium* om. *eorum* post *effectum* interpol. ed.

effectum de quibus Aeneas fuerat conquestus; nam intel-
legebatur et notitiam hominum et futuram celebritatem
loci et humanitatem promisisse. *perge modo atque hinc
te reginae ad limina perfer:* hortatur eum, ut non secun-
dum intentionem suam ad navis et ad socios redeat, sed
magis pergat ad civitatem et ad ipsam reginam. atque
ut hoc ipsum sollicito et anxio persuaderet, facit laetum,
390 facit per omnia securum dicens *namque tibi reduces socios
classemque relatam nuntio et in tutum versis aquilonibus
actam.* quomodo id potuerit fieri vel quomodo illa scire
valuerit potuit inquiri: ait quae conquereris perdita
mutata ratione ventorum ex malignis partibus tuta loca
tenuerunt: dixit ergo eventum quo evaserant. unde id
sciret consequenter exequitur: *ni frustra augurium vani
docuere parentes.* ne vanos intellegamus parentes hoc est
quasi stultos, qui prudenter auguria reppererunt, ordinan-
dus est sensus sic atque ita sentiendum: si non fuerunt
vani parentes nostri hoc est maiores et non frustra nos
auguria docuerunt. *aspice bis senos laetantis agmine cycnos:*
ecce duodecim cycni numero navium coaequantur quas
Aeneas putabat oppressas. *aetheria quos lapsa plaga Iovis
395 ales aperto turbabat caelo, nunc terras ordine longo aut
capere aut captas iam despectare videntur. ut reduces illi
ludunt stridentibus alis et coetu cinxere polum cantusque
400 dedere, haut aliter puppesque tuae pubesque tuorum aut
portum tenet aut pleno subit ostia velo:* dicit cycnos ipsos
post aquilae perturbationem, ut navis tempestatibus con-
stabat esse turbatas hoc est dispersas, hilaritatem omnem
laetitiamque recepisse: et ut cycni hilares ordine solito

1 *intellegebatur* LR *et colligebatur* ed. 6 *et ipsam* ed. 11 *valuerit* LR *potuerit* ed. | *conquaeris* L *conqueris* R corr. ed. 12 *mota iteratione* LR ed. *mutatione* Hoppius *mutata ratione* nos. | *venturum* R. | *malignis* LR *indignis* ed. 13 *eventum* LR *et ventum* ed. 14 *scire* LR ed. *sciret* nos. 15 *intellegamus parentes* LR *parentes* om. ed. 20 *quae* post *navium* interpol. ed. 21 *aetherea* LR plerumque *aetheria* ut V. 29 *hilares* om. ed. | *soluto* ed.

securi volitant, sic, inquit, et naves tuae et omnes tui securi degunt ac tuti sunt. *perge modo et qua te ducit via dirige gressum:* posset Aeneas dicere non novi quo eam, hoc illa praeripuit dicendo via tibi monstrabit quo eas et quo tendas gressus tuos.

*Dixit et avertens rosea cervice refulsit ambrosiaeque comae divinum vertice odorem spiravere, pedes vestis defluxit ad imos et vera incessu patuit dea:* remota Aeneae suspicione veram constituit deam, conpletis quae voluit dimisit laetum, dimisit instructum et recedens plurimis signis monstravit filio quae esset, ut pleno visu adverteret cum qua sibi fuisset conloquium; nam et refulsit splendore quo fuit et relaxata veste usque ad vestigia ipsa contecta est. supra enim dixit „nuda genu nodoque sinus collecta fluentis“. odoribus quoque deam sese monstravit; sic enim eius comis se effuderant, ut ipsa herba praesens putaretur ambrosia, quam mulieres unguentis admiscent. ordinatur sensus sic: ambrosiaeque odorem comae spiravere. *ille ubi matrem agnovit, tali fugientem est voce secutus:* ecce non tantum deam constituit verum etiam matrem, sed ne praesentem fraudis argueret, proripuit eadem sese. sed ille, quando repentino interstitio eam gradiendo vel currendo sequi non potuit, secutus est voce: *quid natum totiens, crudelis tu quoque, falsis ludis imaginibus? cur dextrae iungere dextram non datur ac veras audire et reddere voces?* incusatio est non contumeliosa aut de amaritudine veniens, sed de religione et adfectu. cur, inquit, ante hoc momentum matrem confiteri noluisti? cur quasi aliena locuta es mecum? an numquid tam infelix sum, ut in me etiam ex materno pectore crudelitas

---

5 *eas et quo* om. ed. 10 *dimisit laetum* om. ed. 12 *nam et* LR *et* om. ed. 15 *sese* LR *se esse* ed. 16 *comis* LR *comae* ed. | *herba* deletum vult r om. ed. 18 *odorem comae* LR invertit ed., sed Don. *ambrosiae odorem* coniungit. 20 *deam* LR *d. se* ed. 21 *argueret* LR *ageret* ed. 27 *regione* R. 28 *momentum matrem* LR *nomen tuum mater* ed.

exeratur? quanto melius erat ut miseriae meae ex aperto matris fabulis levarentur et congressu dexterarum pietas sese cognosceret? nec semel hoc fecisti, sed saepius. constabat enim inter ipsos multa et varia fuisse conloquia in quibus Aeneas et vultu matris et habitu et sermonibus falsus est. longa post fugientem incusatio esse non debuit, sed tanta quanta posset pervenire ad auris tota celeritate recedentis. hinc igitur mature discessit carpens viam ad ipsa moenia tendentem. idcirco positum est
410 *talibus incusat gressumque ad moenia tendit.* addidit *at Venus obscuro gradientis aere saepsit et multo nebulae circum dea fudit amictu, cernere ne quis eos neu quis contingere posset molirive moram aut veniendi poscere causas.* non tamen suffecit matri quod verbis instruxerat filium, licet sciret eadem omnia conposuisse Mercurium. nam quattuor causis permota euntis nube multa circumdedit, ne, antequam ad ipsam Didonem pervenirent, aut viderentur ab aliquo aut contingerentur aut visos quisquam interrogationibus variis detineret vel certe veniendi causas exquirens properantibus moras adferret; ante noctis enim
415 tenebras pervenire debuerant. *ipsa Pàphum sublimis abit sedesque revisit laeta suas, ubi templum illi centumque Sabaeo ture calent arae sertisque recentibus halant.*

*Corripuere viam interea qua semita monstrat. iamque*
420 *ascendebant collem, qui plurimus urbi inminet adversasque aspectat desuper arces.* descriptio loci inducitur qui oportunus occurrerat ad civitatem venientibus. huius altitudo evidenter expressa est quae solet esse collium in quos non est difficilis ascensus, prospectui tamen et explorandis rebus aptissimus. huius latera sic fuerant fusa, ut prolixiora essent ab ea parte qua civitas fuit. denique ad-

1 *exeratur* LR *orta sit* ed. 2 *fabulis* LR *verbis* edF. 3 *sese cognosceret* LR (i. e. invicem) *cognosceretur* omisso *sese* ed. 8 *decessit* ed. 12 *circumfudit dea* LR corr. r. 13 *possit* LR. 14 *suffecit* L *sufficit* R ed. 16 *permota* LR *mota* ed. 20 *moram* ed. 23 *sabaevo* LR. 27 *incurrerat* ed. 28 *evidenter* om. R add. r. | *collibus* ed. 30 *fuerunt* ed.

versae arces inde apparebant hoc est obiectae oculis et contra positae in collis edito stanti. inde Aeneas magna cum admiratione cernebat operantis plurimos in ea regione in qua non putabat aliquem commorari. idcirco positum est *miratur molem Aeneas, magalia quondam, miratur portas strepitumque et strata viarum.* haec generaliter sunt posita; omnes enim viae fervebant, portae omnes et omnium quae inter universos gerebantur strepitus personabat. itur iam per species operum et operantium: *instant ardentes Tyrii:* laudantur qui non inviti laborabant. *pars ducere muros molirique arcem:* curabant, inquit, primitus quae adversus hostis conservationi salutis fuerant necessaria. *manibus subvolvere saxa:* nec terrebantur asperitate operandi et manibus suis saxa volvebant quieti publicae profutura. *pars optare locum tecto et concludere sulco:* 425
secundo loco privata aedificia curabantur. *iura magistratusque legunt sanctumque senatum:* disponebantur leges et honores curiales et ipsa curia. *hic portus alii effodiunt:* et hoc pertinet ad salutem salutisque subsidium. *hic alta theatri fundamenta locant alii:* post omnia quae possent quieti publicae vel saluti vel honoribus curialibus proficere de voluptatibus etiam et de scaenicis deliciis cogitabant, quod non fit nisi in ea civitate in qua otiosa sunt omnia, quod Aeneae fuerat necessarium. alta fundamenta ideo, quia magni operis moles coeptis debet fortissimis sustineri. *inmanisque columnas rupibus excidunt, scaenis decora alta futuris,* ut non tantum theatri gesta iuvarent unumquemque verum etiam aspectus pulcherrimi operis delectaret. *qualis apes aestate nova per florea rura exercet sub sole* 430
*labor, cum gentis adultos educunt fetus aut cum liquentia*

---

2 *stantes* ed. 3 *cernens* ed. 5 *magnalia* LR corr. r. 10 *qui* LR *quia* ed. 13 *manibus* LR *et m.* ed. 14 *operandi* LR *laborandi* ed. 17 *disponebant* ed. 18 *ipsam curiam* ed. 21 *quietis* ed. | *honorales* R *honorules* L *honoribus* ed. *honoribus curialibus* nos. 22 *etiam* LR *iam* ed. | *scaenicis* om. ed. 25 *coeptus* LR *pedamentis* ed. *coeptis* r nos cf. 7, 125. | *debent* ed. 26 *excaenis* R.

*mella stipant et dulci distendunt nectare cellas aut onera accipiunt venientum aut agmine facto ignavum fucos pecus a praesepibus arcent, fervet opus:* inmittit apum conparationem, quod genus animalis numquam a laboribus vacuum et in plurimo numero constitutum est unanimi societate concordans quodque habeat providentiam et partiendi laboris naturalem industriam, usque adeo astutum, ut fucum pellat a sedibus suis, quod genus animalis non tantum est iners et desidiosum, verum etiam aliena bene parta consumit. quae cum videret Aeneas, non invidit alienae felicitati, sed hanc prosecutus est laude, quam collegit ex conparatione fortunae suae dicens *o fortunati, quorum iam moenia surgunt,* hoc est dicere quando et ego ad hanc felicitatem perveniam? *infert se saeptus nebula (mirabile dictu) per medios miscetque viris neque cernitur ulli:* tantum valuit provisio matris, ut misceretur Aeneas omnibus Achate socio, videret omnis et ab omnibus non videretur. se quod ait, bis accipiendum est: infert se et permiscet se.

*Lucus in urbe fuit media laetissimus umbra:* nihil interest an lucus media in urbe fuerit an umbra fuerit media in luco. *quo primum iactati undis et turbine Poeni effodere loco signum, quod regia Iuno monstrarat, caput acris equi: sic nam fore bello egregiam et facilem victu per saecula gentem:* omni occasione Vergilius docet quemadmodum futura noscantur. supra quippe cycnorum posuit exemplum, hic adserit Poenos delatos vi tempestatis et turbine in eo loco ad quem primo pervenerant, cum fundamenta effoderent, equi caput invenisse, in cuius forma luceret quaedam signorum vis quae acre animal demonstraret. interpretatio signi talis extiterat, quod illa gens futura esset in certaminibus bellicis fortis et subsidiis

---

2 *venientium* LR. 4 *animas* LR *animalium* L II man. *animalis* ed. (ut infra LR). | *vacuum* LR *est v.* ed. 10 *viderit — invidet* ed. 11 *hanc* LR *hac* ed. 13 *dicere* LR *scilicet* ed. 17 *videret* LR *ut v.* ed. | *et ab omnibus non* LR *et a nemine* ed. | *se* om. ed. 21 *media* LR *medio* ed. 23 *signum* pro *sic nam* LR. 28 *effoderunt* ed.

victus semper copiosissima. et, quia hoc signum constabat Iunonis suffragio demonstratum, *hic,* inquit, *templum Iunoni ingens Sidonia Dido condebat.* oportuit enim deam in eo loco habere honestissimam sedem in quo virtutem suae maiestatis ostenderat. condebat, inquit, templum Dido et, cum nondum perfecisset, tanta iam reverentia colebatur, ut et donis copiosissimum esset et dea ipsa praesens esse crederetur: propterea posuit *donis opulentum et numine divae, aerea cui gradibus surgebant limina nexaeque aere trabes, foribus cardo stridebat aenis.* omne hoc opulentiam et devotionem condentis ostendit et potentiam vel meritum numinis. *hoc primum in luco nova res oblata timorem leniit, hic primum Aeneas sperare salutem ausus et adflictis melius confidere rebus:* genus est propositionis; dicturus est enim quid viderit, unde speraverit aliquid boni, unde metus eius lenitus sit. non dixit unde securus sit redditus, sed unde timor eius inminutus; semel enim totus eradi non potuit. nova res oblata, hoc est contra spem visa; quippe eius oculis tanta spes occurrerat qui paulo ante omnia vidisset deserta; vel ideo nova, quia videbat illic picta Troiani belli pugnarumque certamina. incipit iam reddere rationem, ut ostendat quid illud fuerit quod leniebat Aeneae metum et spem inopinam promittebat. *namque sub ingenti lustrat dum singula templo reginam opperiens, dum quae fortuna sit urbi artificumque manus inter se operumque laborem miratur:* tuetur hic Aenean Vergilius, ne inanibus captus videatur remansisse quem convenerat reditum maturare ad socios suos nec ulterius inlecebris teneri felicitatis alienae. namque, inquit, sub ingenti lustrat dum singula templo reginam opperiens: ecce dixit unam et necessariam causam reginam opperiens, quam sperabat, ut factum est, ad opera videnda processuram, ex hac autem occasione circum-

---

1 *quia* om. ed. 9 *nomine* R corr. r. 11 *ostendit* LR *demonstrat* ed. 15 *quid* LR *quod* ed. 16 *sit* LR *est* ed. 23 *fuerat* LR ed. *fuerit* nos. 31 *unam et* LR *et* om. ed. 33 *processuram ut cum* post *occasione* interpol. ed. 33—92,1 *circumtulisset* ed.

tulisse oculos, ut singula consideraret. nec minus etiam illud fuerat cognitioni praecurrenti necessarium, ut conditurus etiam ipse civitatem novam adverteret quanto id labore constaret. considerabat etiam urbis illius fortunam, quae surgebat ingenti substantia et pulchritudine operis ac firmitate visentis placebat aspectibus. artificumque manus inter se: tanta omnium artium in illo templo venustas extabat, ut intuens nullam aliis praeferre potuisset, ita omnes pariter una gratia et pari subtilitate certabant. descripta magnitudine operis et fortitudine ad ornatum et pulchritudinem transit, ut picturas quoque enumeret. sed miratur, cum semel sit positum, non semel, sed saepius debet adverti hoc modo: dum quae fortuna sit urbi miratur artificumque manus inter se miratur, operum laborem miratur. *videt Iliacas ex ordine pugnas [bellaque iam fama totum vulgata per orbem]:* dum laboriosa diversorum operum et subtilitatem singularum artium miratur et quid ageretur explorat, advertit picturam monstrantem Iliacas pugnas bellaque quorum opinio per totum orbem fuerat vulgata; nam non pingerentur, nisi quia etiam ad ipsas partis fama currente pervenerant. sed consideranda est primo vis dicentis. vidit, inquit, pugnas bellaque fama per totum orbem vulgata, ut non solum interitum Troiae totus orbis cognovisset, verum etiam quis et quemadmodum et quo eventu certasset. hic versus propositionem tenet futurae descriptionis; ostensurus est enim quid sint pugnae, quid sint bella: utrumque enim certamen hostile significat, diversum tamen Vergilius ostendit e diverso genere fieri. bellum quippe est quod inter plurimos geritur, pugna quae inter duos agitatur. ad eandem propositionem pertinet *Atridas Priamumque et saevum ambobus Achillem:* denique quod ait videt, pro saepius dicto accipiendum est, ut sit videt Iliacas ex ordine

1 *ut* om. ed. 2 *cognitione praecurrente* LR ed. 16 *bellaque — orbem* deest in LR, sed explicatur. 21 *etiam* om. ed. 23 *bellaque* LR *belli quae* ed. | *vulgata* LR *v. erant* ed. 29 *et diverso* LR corr. ed. 32 *denique* — 93, 2 *Achillem* om. ed.

pugnas, videt bella totum vulgata per orbem, videt Atridas, videt Priamum, videt saevum ambobus Achillem. saevum ambobus species est conparationis, ut sit saevior fuit Achilles Agamemnone et Menelao. *constitit et lacrimans, quis iam locus, inquit, Achate, quae regio in terris* 460 *nostri non plena laboris?* ubi haec Aeneas vidit, constitit mente scilicet et corpore turbatis, verum ubi agnovit quae essent quae pictura illa monstrabat, doluit et quasi nescienti socio indicavit et exposuit et, quoniam causa fuit doloris maxima, relationem eius et vocem lacrimae praecesserunt. dolebat quippe de adversis suis imperiique Troiani et suorum interitu factas esse fabulas quas loquerentur homines et propter oblectationem suam pingerent. quae vides, inquit, digesta picturis adversa sunt nostra, quae res indicat nullum locum in orbe remansisse qui clades nostras ignoret, quando malorum nostrorum fama etiam ad istas solitudines currendo pervenit. sic tamen dolenda protulit, ut partis etiam consolationis inferret. prius tamen agnitionis ipsius ostendit indicium dicens *en Priamus.* dehinc adiungit *sunt hic etiam sua praemia laudi, sunt lacrimae rerum, [et mentem mortalia tangunt. solve metus, feret haec aliquam tibi fama salutem].* est in ista pictura quod dolorem moveat, est quod malorum solacium ferat. hoc ipsum colligebat argumentis, non vero iudicio. solve, inquit, metus, feret haec aliquam tibi fama salutem (mala enim cuiusque dum nota sunt vel cum scitur qui fuerit vel a qua fortuna deiectus sit, manifestum est ex eo ipso nasci miserationem, quoniam adflictis humanitas non negatur), ut conpleret superiorem propositionem qua dixit „hoc primum in luco nova res oblata timorem leniit, hic primum Aeneas sperare salutem ausus et adflictis melius

---

7 *turbatis* LR *turbatus* r *turbatur* ed. | *vero* LR ed. *verum* r. 8 *illa* post *essent* transpos. ed. 9 *quō* L *quo* R *quoniam* ed. 11 *quisque* pro *quippe* R. 16 *etiam* post *quando* transpos. ed. 18 *inferret* LR *insereret* edI *inf.* seu *ins.* edF (cf. 382). 19 *agnationis* ed. 21—22 lemma supplevi eadem ductus ratione qua v. 25. 27 *eo* om. ed.

confidere rebus". en Priamus: non tantum demonstrantis est verum etiam dolentis; potest enim sic adverti positum, ut videatur dixisse ecce ad quam infelicitatem perductus est Priamus. coepit iam dolores suos exponere quos ex persona potentissimi regis, senis quoque et soceri capiebat. sunt hic etiam sua praemia laudi, sunt lacrimae rerum et ipsa propositio est; nam specialiter dicturus est quae laudanda vel quae dolenda sint. et mentem mortalia tangunt: absolute positum est †tangunt, intellectus tamen ille est: mortalium mentem tangunt quaecumque adversa mortalibus acciderint. deinde sequitur solve metus, feret haec aliquam tibi fama salutem. potuit enim ex eo nasci Didonis vel incolarum miseratio. *sic ait atque animum pictura pascit inani multa gemens largoque umectat flumine vultum:* animum pictura pascit et multa gemens propositio est; monstrant enim quae in illa pictura eius animum reficerent, quae acerbitatem doloris excirent; utrumque tamen considerantis animum ducebat ad lacrimas, quo factum est ut diceretur largoque umectat flumine vultum. doletur enim quod, licet egregie factum videatur, perierit tamen, doletur etiam quod processit adversum. incipit iam respondere propositionibus superioribus: *namque videbat uti bellantes Pergama circum hac fugerent Grai, premeret Troiana iuventus: hac Phryges, instaret curru cristatus Achilles.* ecce, sicuti proposuit, ostendit bellum esse quod inter plurimos geritur; simul etiam

1 *confideret* LR corr. ed. 2 *positum* om. ed. 5 *et quoque* ed. 9 *tangit* et in lemmate et in interpretatione LR. | *absolute positum est tangit* LR, sed *mentem* et *mortalia* ut absolute posita explicantur, non *tangunt*, quare corruptela manifesta est, sed crucem apponere malui quam corrigere. 15 *animum — gemens* om. ed. 16 *est* om. ed. | *monstrant enim* LR *enim monstrat* ed. 17 *reficerent* LR ed. *refecerint*? | *quae* LR *quaeve* ed. | *acersitatem* LR *acerbitatem* ed. | *excirent* LR *excitarent* ed. *excierint*? 19 *largusque* (supra recte) R. 20 *doletur* LR *dolet* ed. (et infra). | *videretur* ed. 21 *praecessit* ed. 22 *propositionis* LR *-ibus* L II man. *propositioni superiori* ed. 24 *Graii* ed.

monstrat quid pro gloria Troianorum faceret, quid incuteret dolorem. faciebat enim pro gloria cum Troiani Graecos insequebantur et pro patria laborabant, movebatur dolor ubi Graeci superiores videbantur expressi. *nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis agnoscit lacrimans, primo quae prodita somno Tydides multa vastabat caede cruentus, ardentisque avertit equos in castra, priusquam pabula gustassent Troiae Xanthumque bibissent.* mox enim ut venit, occisus est et abducti sunt equi eius ad Graecorum congregationem; castra enim non soli parietes faciunt verum etiam collecta in unum militum multitudo. idcirco autem dixit ante occisum Rhesum quam equi eius aut pabula degustassent Troiana aut bibissent Xanthi undam, ut exitii eius et vitae finem celerem in ipso adventu demonstraret. cum dicit multa caede vastabat Diomedes tentoria, ostendit cum Rheso plurimos esse mactatos; non enim fieri potuit ut solus ad auxilium venisset aut solus in tentorio requiesceret. subnectit iam pugnam quae gesta est inter Achillem et Troilum. sic enim posuit: *parte alia fugiens amissis Troilus armis, infelix puer atque inpar congressus Achilli.* inde infelix, quia puer et inpar congressus est ei qui a iuvene superari non posset. *fertur equis curruque haeret resupinus inani, lora tenens tamen; huic cervixque comaeque trahuntur per terram et versa pulvis inscribitur hasta:* descriptio est eius qui supinus trahebatur. *interea ad templum non aequae Palladis,* hoc est iratae, *ibant crinibus Iliades passis peplumque ferebant suppliciter tristes et tunsae pectora palmis:* peplum ferunt genus esse vestis pertinentis ad ritum secretorum Minervae, alii scutum modicum dicunt. *illa solo fixos oculos*

---

4 *expressi* LR *quod expressit dicens* ed. 5 *rhessi* et infra *rhesso* LR. 12 *ante* transpos. ed. 14 *exitii* LR ed. *exitium*? 21 *unde* ed. 22 *congressus est ei quia iuvenis superare* L *iuvenes* R *congr.* om. edI transpos. edF *quem* pro *quia* ed. *qui a iuvene superari* nos. 28—29 *ferebant genus est* ed. 29 *pertinens* ed. | *secretorum* LR *sacrorum* r′ in marg. ed. 30 *illa* LR *diva* ed. et Verg. libri omnes.

*aversa tenebat,* quod faciunt irati, ne respiciant quos oderunt. his adiungit Achillis et Hectoris picturam, in qua non tantum dolor ostenditur considerantis Aeneae verum etiam hostilis crudelitas et avaritia graviter reprehenditur; nam omne inimicitiarum virus inter hostis eo usque manere debet, donec interveniat finis vitae eius qui fuerit superatus. *ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros exanimumque auro corpus vendebat Achilles:* Achilles exanimem per muros patrios Hectorem credidit pertrahendum tantaque eius inmanitas demonstratur, ut hoc non semel, sed saepius fecerit; nam per murorum ambitum ad insultationem plenam tertio circulo pertraxit. ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros exanimumque auro corpus vendebat Achilles: in singulis grande pondus est intellectus ad exprimendum dolorem videntis. gemuit enim primo occisi fortunam tanti viri fortis, dehinc quod de eo triumphus est actus et, quod erat malis omnibus peius, sub ipsis civitatis aspectibus, ut defensorem suum Ilium cerneret tot adversis addictum. o quanta indignitas rerum! trahebatur Hector ante muros exanimis quos plena virtute defenderat et circumducebatur totiens, ne quis a cognitione illius durissimi casus remaneret exceptus, tantumque potuit hostis inmanitas, ut miserrimo patri auro venderet orbitatem suam, quasi demum ille damno moveri potuisset qui vel funus captivi pigneris totis opibus cupiebat absolvi. interea pro dolentis animo, cum haec pronuntiamus, extollendum est Hectoris nomen et Achillis deprimendum. notatur quippe ipsius Achillis inpietas et avaritia. quis enim mortuum vendit nisi inpius? quis in regno positus perindeque locuples aurum desiderat nisi avarus?

---

1 *quos* LR *quod* ed. 4 *et avaritia* om. ed. 8 *achillis* L corr. L II man. 9 *credidit* LR *dedit* ed. 16 *tanti* LR *et t.* ed. 17 *eius* LR *peius* O ed. cf. 487. 18 *suum ilium* R *suum illum* L *illum suum* ed. 19 *additum* ed. 24 *quasi demum ille* LR temere mut. ed. 25 *qui* om. ed. | *pignoris* ed. | *absolvi* om. *redimi* ante *totis* substituit ed. 29 *vendidit* ed.

*tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo, ut spolia, ut currus utque ipsum corpus amici tendentemque manus Priamum conspexit inermis.* cum dicit tum vero, ostendit aliquos animi dolores praecessisse, sed non tantos qualis ex Hectoris casu. dixerat quippe „constitit et lacrimans quis iam locus, inquit, Achate? quae regio in terris nostri non plena laboris?“ item „multa gemens largoque umectat flumine vultum“, Rhesi quoque „niveis tentoria velis agnoscit lacrimans“. hic ergo, ubi maiores causae doloris accesserant, tum vero, inquit, ab imo pectore gemitum dedit, dura et inmoderata ac multiplici acerbitate percussus. vidit enim etiam spolia erepta viro forti et civi optimo, amici etiam corpus et currus (aut ipsius Hectoris currus, ut inter spolia haberentur, aut Achillis quibus Hectorem traxit) et, quod omnibus doloribus fuerat peius, Priamum tendentem manus hoc est rogantem. quod autem ait en Priamus, in eius nomine latissimum nobis dedit intellegendi tractatum. Priamus, inquit, scilicet qui fuerat gravioris aetatis, potestatis regiae, cuius imperium per infinita tempora cum omni felicitate floruerat. dolebat in eo socerum etiam suum, patrem tot perditorum liberorum, avum quoque multorum, ad hanc necessitatem redactum, ut post amissa omnia in causa durissimae orbitatis hostem supplex rogare cogeretur. manibus, inquit, inermibus, aut simpliciter sine armis aut certe sine insignibus regni, quia qui rogatum venerat in omnibus se inferiorem debuerat demonstrare. *se quoque principibus permixtum agnovit Achivis:* ad illam propositionem pertinet qua dixit „sunt hic etiam sua praemia laudi“. nam quod ita sese pictum advertit, ut principibus Graecis mixtum esse constaret,

---

4 *tantos* LR *tales* ed. 5 *quippe* LR *scilicet* ed. 10 *tunc vero* LR ed., sed supra *tum*. 11 *perculsus* ed. 12 *viderat* ed. | *etiam* om. ed. 15 *quod* om. ed. | *fuerat peius* om. ed. 18 *tractum* ed. | *fuerit* LR ed. *fuerat* nos. 19 *cuius imperium* LR *qui* ed. 20 *floruerat* LR *-rit* ed. 21 *perditorum* LR *virtute praeditorum* ed. 22 *multorum* LR *m. nepotum* ed.

utique gloriosum fuit catervas hostium et confertos primorum cuneos non timuisse. *eoasque acies et nigri Memnonis arma:* agnovit non semel accipiendum est; agnovit enim se Aeneas, agnovit eoas acies, agnovit nigri Memno-
490 nis arma. *ducit Amazonidum lunatis agmina peltis Penthesilea furens mediisque in milibus ardet aurea subnectens exertae cingula mammae bellatrix audetque viris concurrere virgo:* laudem dixit eius quae in feminino sexu virili audacia ducebatur. illa enim tanta constantia fuit, ut congressiones bellicas viris certantibus non timeret nec revocaretur virginali verecundia. tanta autem fiducia venire videbatur tantumque ardere in bellum, ut quod secretum esse virginibus solet illa offerret videntibus, scilicet cum exerta papilla pugnaret. pertinet hoc etiam ad proeliantis audaciam, ut pugnaret femina nec munimine tegeretur armorum.

Haec omnia picturarum quae specialiter poeta descripsit non sola fuerunt in templo, sed considerantis Aeneae intentionem adventus Didonis interveniens rupit. quod ipsum sic inperfectum poni convenerat; esset enim poetae vitium, si conpleto omnium picturarum spectaculo induxisset Didonem processisse. denique sic posuit: *haec dum Dardanio*
495 *Aeneae miranda videntur, dum stupet obtutuque haeret defixus in uno.* non dixit cum haec omnia considerasset Aeneas, sed ait dum considerat, dum miratur, dum stupet, dum omnia illa fixa intentione considerat, ut ostenderet superfuisse adhuc multa, quae considerari potuissent. magna tamen in poeta latitudo non multis, sed paucis expressa, ut una res quadripertito posita brevissime diceretur. nam ut est summi dictoris res brevis late disserere,

1 *gloriosum fuit* LR *f. gl. nam* ed. | *confertissimos* ed. 2 *timuisse* LR *t. significat* ed. 8 *sexu* LR *habitu* ed. 9 *ducebatur* L ed. *didebatur* R *dicebatur*? 14 *etiam* LR *autem* ed. 15 *nec* LR *quae* ed. 17 *describit* ed. 18 *solum* ed. 21 *omnium* om. ed. 22 *praecessisse* ed. 24 *haec* om. ed. | *consideraret* ed. 25 *ait dum considerat* LR *dum considerat* deletum vult r *ait dum cons.* om. ed. 29 *quadripartito* ed. 30 *dictoris* LR *doctoris* ed.

ita artificiosum est atque subtile latitudinem materiae stricto sermone colligere. *regina ad templum, forma pulcherrima Dido, incessit magna iuvenum stipante caterva:* dum Aeneas consideratione picturarum tenetur intentus, processit regina visura operis currentis effectum, quae res et animum Aeneae et studium commutavit; nam debuit convertere omnem intentionem suam ad ea quae attulerat procedentis occasio. sed primo conplet poeta processionem Didonis, tunc redit ad Aeneae tractatus. processit, inquit, regina ad templum magna iuvenum stipante caterva. duplex procedendi necessitas feminae, ne, si esset superflua, vel maxime formosae et eius quae cum multis viris incederet, inveniretur inverecunda quae facile nulla cogente causa publicis sese offerret aspectibus: processit, inquit, ad templum: ecce religionis et venerationis causa processit; et regina, hanc enim pro potestate tangebat videndi et considerandi necessitas, ut nosset quantum opera templi ipsius proficerent, quod plena veneratione cupiebat esse perfectum. hanc poeta conparat Dianae eiusque formam, verecundiam, mores iustitiamque conlaudat Aeneae iam praestruens laudem qui ab ea suscipi hospitio et amari commeruit. *qualis in Eurotae ripis aut per iuga Cynthi exercet Diana choros, quam mille secutae hinc atque hinc glomerantur Oreades; illa pharetram fert umero gradiensque deas supereminet omnis, Latonae tacitum pertemptant gaudia pectus:* ex occasione conparationis istius expressit poeta quam laeti sint parentes, cum prosperis successibus ferri viderint liberos suos. *talis erat Dido,*

4 *teneretur* ed. 5 *currentis* LR *surgentis* ed. 9 *tunc* LR *deinde* ed. | *tractatum* ed. 10 *iuvenum* om. ed. 11 *feminae* LR *reginae* ed. 12 *formosa* ed. | *et eius* om. ed. 14 *offerre* LR corr. ed. | *incessit* ed. 16 *ut regina* LR ed. *et r.* nos. 17 *nosset* LR *noscet* L II man. *nosceret* ed. | *operum* ed. 18 *ipsius* om. ed. | *perficerent* ed. 20 *concludat* LR *concludit* r vel *collaudat* r′ in marg. *commendat* ed. 21 *praestruens* LR *praestans* ed. | *qui* L *quia* R. | *suspici* LR *suscipi* L II man. 25 *dea* LR *deas* r. 26 *ex occasione conparationis* LR *comparatione et occasione* ed. 27 *sunt* ed. 28 *ferri* LR *produci* ed.

*talem se laeta ferebat per medios:* inter omnis viros ambulabat et, ne alienus a sexu ac per hoc inverecundus eius putaretur incessus, addidit necessarias causas et honestas: *instans,* inquit, *operi regnisque futuris,* unam curam gerens quae testaretur devotionem, perficiendi templi, alteram quae imperantis instantiam demonstraret. talis erat Dido qualis est Diana cum choris suis, talem se laeta ferebat: laetam vult esse ex successu eorum quae diversarum fabricarum mole surgebant. post haec describitur ingressus eius in ipsum templum, in quo et sedere et de operum labore
505 iudicare consueverat: *tum foribus divae, media testudine templi, saepta armis solioque alte subnixa resedit.* hic nisi ordinato sensu quaeratur intellectus, non poterit conprehendi; erit enim satis incertum quid poeta descripserit; nescietur quippe ubi sederit Dido et ubi armis saepta sit. ordinamus ergo sensum sic: tum foribus divae saepta armis media testudine templi solioque alte subnixa resedit. quomodo est officiorum omnium consuetudo, deducuntur iudices usque ad fores secretarii ibidemque officium remanet, illi vero ingressi solium ascendunt et sedent. omnes igitur qui in obsequio fuerant, cum procederet regina, ut erant armati ante fores remanserunt, illa ingressa est et, ubi ad mediam testudinem templi hoc est ad mediam aream pervenit, ascendit solium quod ipsius causa fuerat conlocatum et primo alte consurgens sedit. interea bonorum reginae sic poeta meritum demonstravit; cui enim tot viri obsequebantur habuit procul dubio animi virtutes egregias, quae demonstrarentur in femina, quas colerent tanti viri et quibus conpetenter oboedirent. ecce iam

---

2 *verecundus* ed. corr. ed. post. 4 *operis* R. 5 *faciendi templum* ed. 6 *operantis* ed. 6—7 *qualis erat* ed. 8 *eorum* L ed. *ex eorum* R *aedificiorum?* | *quae* LR *qui* ed. 9 *moles urgebant* LR ed. *mole surgebant* r cf. 522. 13 *ordinato sensu* LR *-tio sensus* ed. 16 *ordinemus* ed. 18 *officiorum* LR *iudiciorum* ed. | *ducuntur* ed. 20 *escendunt* L II man. 22 *ut erant* R *aut erant* L om. ed. „cum inermibus qui illam sequebantur“ post *ingr. est* interpol. ed. 23 *id est* ed. 25 *honorum* ed. 29 *tanti* L *tanti viri* R om. ed.

specialiter numerantur bona ipsa: *iura dabat legesque viris.* iura dabat sic alii exponunt: imperabat, sed non ita est; nam qui sub novo imperio agebant nondum habebant leges et iura quibus tenerentur. haec ergo iura et leges dabat hoc est constituebat. tenentibus quippe imperium plena potestas est iura scribere ac leges proferre, quibus vivant qui agunt sub imperio; non enim potest rectius vivere nisi quem tenet iuris legumque necessitas. hoc igitur fuit praecipuum in eius laudibus, cum scriberet leges et iura, quia adquiescebant viri iussis feminae. ecce cum a publicis consultis etiam ad operum laborem veniebatur, ostendebat aequitatem suam et in consulendo prudentiam: *operum,* inquit, *laborem partibus aequabat iustis aut sorte trahebat.* iudicio suo operis partis singulis adscribebat, quae aestimatione iustitiae possent sine suspicione gratiae definiri, quae autem natura sua ad plenum aequari non poterant retracto arbitrio suo sortis iudicio dabat, ut ex urna licet graviorem accipiens laboris partem non iam reginam incusaret, sed fortunam suam. et haec sicut picturas non perfecit poeta; nam cum multa ageret Dido multaque disponeret, non enarratis omnibus quae agebat intervenit repentinus eventus rerum et ad aliud translata descriptio est. *cum subito Aeneas concursu accedere magno Anthea Sergestumque videt fortemque Cloanthum Teucrorumque alios, ater quos aequore turbo dispulerat penitusque alias abvexerat oras:* agente adhuc Didone quae ad officium reginae pertinebant subito Aeneas ad eam venientis advertit quos vi pelagi putabat extinctos. ecce conpletum est quod Aeneae mater praedixerat. *obstipuit simul ipse, simul perculsus Achates:* obstipuit et perculsus bis acci-

---

1 *numeravit* ed. 3 *imperio* om. ed. 7 *recte* ed. 9 *principium* ed. 10 *ecce* LR *ecce enim* ed. 11 *operum laborem* LR *opera* ed. 14 *iudicio* LR *et i.* ed. | *partis* LR edI *par* edF. | *adscribebat* LR *scribebat* r. 22 *aliud translata* LR *alio* L II man. *ad aliud* r *alia sublata* ed. 26 *abvexerat* LR *adv.* ed. 28 *vi pelagi* LR *in pelago* ed. 30 *percusus* L *l* superpos. L II man. *perculsus* R in interpr. *perculsus* LR.

piendum est; nam uterque obstipuit, uterque perculsus est, denique sic posuit: simul ipse hoc est Aeneas, simul et
515 Achates. *laetitiaque metuque: avidi coniungere dextras ardebant, sed res animos incognita turbat:* his ergo duobus animi motibus obstipuerunt et perculsi sunt, laetitia scilicet et metu, inpellebat eos laetitia ut se ostenderent et suorum dexteris iungerentur, revocabat metus sub omnium rerum incerto. denique subiungit metus ipsius causas: *dissimulant et nube cava speculantur amicti quae fortuna viris, classem quo litore linquant, quid veniant cuncti.* ecce quot posuit causas quae Aenean et Achaten incertos reddiderant; unam quae laetitiam moverat, quae fuerat manifesta sociis salvis. merito ergo prudentiae consilium fuit primitus explorare quae fecerant metum, ut sciretur quae fortuna viris, hoc est qua evaserant vel quae eos fuisset exceptura, classem quo litore linquant; rex enim non tantum de hominum verum etiam de navium incolumitate debuit esse sollicitus. dicit et novissimam causam, quid veniant cuncti: cum dicit cunctos, quomodo subnexuit *nam lecti navibus ibant orantes veniam et templum clamore petebant*? cunctos dixit eos omnis qui ad deprecandam Didonem venerant, non omnis qui fuissent naufragio liberati; nam lecti, hoc est qui in talibus causis loqui possent et commodum tenere sermonem, ibant orantes veniam et templum clamore petebant. orantes et clamore

---

1 *nam uterque* om. ed. | *uterque* LR *uterque et* ed. 4 *his* LR *bis* ed. 6 *metus* ed. | *inpellebant* R. | *ut se* L *ut ipse* R r = L. 7 *dextris* ed. | *sub* om. ed. 8 *incertos* ed. 10 *quid veniant cuncti* om. ed. 11 *quod* LR *quot* r ed. 12 *unam quae* LR *unaque* ed. | *moverant* ed. | *fuerant* ed.

13 *suis* LR ed. intellectu caret *salvis* nos: laetitiae unam tantummodo causam fuisse dicit eamque manifestam, sociorum salutem. 16 *ex enim* LR *rex enim* L II man. ed. *etenim* r: cf. quae de reginae officiis dicit 496, praeterea *etenim* apud Donatum me legere non memini. 19 *cuncti* om. ed. | *quomodo* LR *quos* ed. 20 *cunctis* lemmati praefixit ed.: at Don. *cuncti* legi t et quaestionem adnotat inde ortam. 21 *deprecandum* ed. 25 *et clamore* LR *templum* interpos. ed.

petebant non cohaeret: nam orare est ore aliquid suppliciter postulare, clamore petere cum strepitu inverecundo voces claras emittere. causas igitur adventus ipsorum licet uterque nesciret, coniciebant tamen ex ipsorum clamoribus magna eos urgeri necessitate, ut ante clamosas voces effunderent quam Didonem ipsam videre potuissent et rogare. clamandi causas fuisse iustas, non seditionem ipse Vergilius docuit; nam Dido intus fuit, officium vero foris: cum nullus nuntiaret, aliter ad scientiam eius pervenire non poterant, nisi clamantum vox fuisset audita.

Sequitur *postquam introgressi et coram data copia* 520
*fandi, maximus Ilioneus placido sic pectore coepit.* recte hic poeta et locum servavit et tempus et personam et hoc genere ostendit non seditiosas voces emisisse eos qui supplices venerant. clamabant, inquit, cum essent foris, sed postquam introgressi sunt et tempus loquendi occasionem dedit, locus vero fiduciam tribuit nec deerat persona quae rogaretur ac postulata praestaret, loquendi modum, vel maxime in templo et apud eam quae teneret summam rerum, temperavit qui fuerat locuturus, hoc est Ilioneus. quem cum dicit ceteris fuisse meliorem, intellegere debemus qualis ab ipso sermo proferri debuerit. placido, inquit, sic pectore coepit. foris clamoribus agebatur, ubi negabatur persona Didonis; quando data est fandi copia, id est quando cum praesente regina coram licuit loqui, mutata sunt omnia quae turbulenta videbantur et sermonis placiditas repente successit. *o regina, novam cui condere Iuppiter urbem iustitiaque dedit gentis frenare superbas:* magna dicendi arte locum istum poeta conplexus est, primum omnium ut principia ipsa artiore brevitate succingeret et tamen plurima necessaria continerent, primo personam Didonis laudaret, subtilem obiurgationem non

---

2 *clamore petebant* LR ed. *clamare* sine *petebant* r′ *clamore petere* nos. 3 *emittere* LR *emittebant* ed. | *ipsorum* LR *eorum* ed. 10 *exclamantium* ed. 12 *coepit* LR *fatur* ed. 17 *locus vero* LR *locuturo* ed. 27 *et — successit* om. ed. 31 *et* LR *quae* ed. | *continerent* Lr ed. *contineret* R.

omitteret, redderet in ipsa obiurgatione benivolam, invidiam vero inhumanitatis et superbiae reiceret in alios, ipsam diceret iustam neque eam laederet cuius fuerat petiturus auxilium. singula ergo quae diximus quae sint vel quomodo inlustriora reddantur necessario providendum est. Ilioneus veniebat ad incognitam: ipse idem qui loca illa hominesque nesciret perindeque incertus omnium quemadmodum aliqua laude adsumpta benivolam faceret coniectura collegit. senserat enim et probaverat hominum inpios et inhumanos mores, quos in posteriore orationis suae parte evidenter expressit. suspicione utique debuit duci quod talis esset etiam illa cuius tenebantur imperio. sed hanc partem meliore ratione argumentandi correxit nihilo minus etiam ipsam oblique contingens, ut ex aliena hoc est suorum reprehensione confusa erubesceret talis videri et praestaret se benivolam. collectis igitur contrariis omnibus conponitur duobus versibus plena laudatio. o regina, quod est procul dubio difficillimum feminam regnare: ex difficultate igitur laus, quod factum sine divino favore provenire non potuit. novam cui condere Iuppiter urbem: ecce secundum meritum, quod adeo vel maxime sine admiratione dici nequibat eo loquente quem constabat dolere, quod sibi id provenire non poterat, sicuti ex persona Aeneae superius (437) dictum est „o fortunati quorum iam moenia surgunt“. cum igitur femina faceret quod difficulter provenit viris, apparebat procul dubio non humanis, sed divinis opibus fieri. surgebat quippe non fabrica speciei alicuius levissimae, sed ingentis magnitudo civitatis. ecce duo miracula in laude: mulier regnat, mulier aedificat civitatem novam, additur tertium, quod

2 *vero* om. ed. 4 *quae diximus* om. R add. r. 6 *ipse idem* LR *regionem* ed. 8 *benivolum* (et infra) L cf. 372. | *faciat* ed. 9 *homines* ed. 12 *etiam* om. ed. 14 *alieno* ed. 19 *laus* LR *fit l.* ed. | *sine* LR *nisi* ed. 20 *fovere* LR *favore* L II man. r. ed. | *pervenire* ed. 21 *ab eo* LR ed. *adeo* nos, quia *eo loquente* sequitur. 26 *provenit viris* LR *provenire v. posset* ed. 29 *ecce* LR *et* ed. | *laude* LR *l. sunt* ed. | *regnat* LR *r. et* ed. 30 *addidit* ed.

augeret admirationem, iustitiaque dedit gentis frenare superbas, hoc est solam te apparet florere iustitia; nam pro frenis aequitate certas, ut regas homines quibus parendi studium natura spontaneum denegavit. frenare autem cum dicit, ostendit plenam gentium feritatem; quaecumque enim non succumbunt imperio hominis frenorum potestate franguntur et coguntur invita facere quae sponte non curant. in hominibus contra est: fit deterior cui extorquetur contra naturam quod nasci non meruit, mali homines non paribus, sed contrariis superantur, humanitate scilicet regentis et voluntate, quas in Didone fuisse collegit sapientissimus Ilioneus, qui vituperando incolas et inhumanitatis arguendo laudabat eam cuius beneficia requirebat. ecce facit ad praesentem causam et docet quemadmodum ad humanitatis partis redigantur et retineantur imperio quibus obsequendi studium natura non tribuit. quantum ad benivolentiam ducta est cui dictum est: quod alii frenis inpositis nituntur efficere tu humanitate conples et perficis lenitate! principiorum ratione confecta, quibus laudavit reginam et incolarum mores ferociamque gravi invidia perfudit, suam debuit purgare personam, quae purgatio ad id revocatur, ne iuste videantur passi violentiam. *Troes te miseri:* quam cito et quam evidenter expressit et personam et fortunam suam et eius specialem significationem quam rogabat! quod autem ait miseri, ostendere voluit miseros nihil audere potuisse vel posse quod commodis Didonis officeret. *ventis maria omnia vecti oramus,* ut appareret illos ad illa litora 525
non sponte, sed necessitate esse delatos. ecce totum brevitas tenuit pro temporis ratione et pro persona loquentis. incipit iam summa petitionis simili brevitate collecta, tam

2 *apparet flore* LR *a. florere* L II man. r *appetere* ed. | *iustitiam* ed. | *nam* om. ed. 3 *certas* om. ed. 4 *spontaneum denegavit* LR *sponte negavit* ed. 6 *hominis* om. ed. 7 *et — facere* om. ed. 8 *currant* ed. 13 *laudat* ed. 14 *tacit* LR *tacite ostendit* ed. *facit ad* nos cf. 667. 15 *rediguntur et retinentur* ed. 26 *audire* R corr. r. 31 *simili* LR *summa* ed.

iusta tamque sine praestantis detrimentis expressa, ut quivis inhumanus et durus facillime flecteretur. *prohibe infandos a navibus ignis, parce pio generi et propius res aspice nostras:* ecce postulata sunt tria: ne incenderentur naves, ut ostenderet se et necessitatem habere abeundi et voluntatem atque ex hoc ipso perdoceret casu potius quam ad inferendam violentiam venisse. parce pio generi; reus enim pius esse incipiet qui persecutus fuerit pium: quae sanctitas, inquit, eo amplius laedenda non est, quod hanc natura sanguinis et generis ducti, non aliqua constricti lege servamus. et propius res aspice nostras: tertia petitio generalis est: quicquid commodum nostrum spectat oramus ut praestes. haec non ponendo per species honestius conplexus est, quam si designaret evidenter, intellegi tamen potest omnia illos consequi potuisse, si favorem reginae plenissimum fuissent consecuti. denique conciliata Dido et humana iuxta ipsos fuit et recepit hospitio et sponte infinita munera constitutis in navibus misit. *non nos aut ferro Libycos populare penates venimus aut raptas ad litora vertere praedas, non ea vis animo nec tanta superbia victis:* adsertio innocentiae cum probatione sua: nec ad hoc, inquit, venimus neque eius sumus naturae, ut in aliena exeramus inprobas manus, aut exerceamus direptionem, et hoc si gereremus animo, quid auderemus victi? quantum miseri niti possemus? ad probationem istius innocentiae pertinet quod supra dixit „ventis maria omnia vecti". si enim vellent aut possent facere violentiam, fecissent in aliquibus terrarum partibus et caruissent violentia maris, quam per omnia litora naufragando persenserant. novissimum argumentum probabilis innocentiae fuit quod posterius posuit „oramus"; nullus enim rogando

---

8 *pius esse* R *esse* L ed. | *incipit* ed. 9 *laedanda* L R corr. r. | *non* om. R add. r. 12 *et* L R *est et* ed. *est* nos. | *ad commodum* ed. 16 *fuissent* om. ed. 22 *ne ad hoc* L R *nec a. h.* ed.
31 *posterius* L R *prius* cum q̄ = quaere r, sed *posterius* recte se habet, non enim ad lemma respicit, sed ad versum modo laudatum.

vult consequi, nisi qui alienus est a cogitationibus violentiae. et hoc quod venerunt adserit non voluntate cuiuspiam factum, sed vi maris et necessitate turbinum, quibus constabat Troianos non iam venisse ad Carthaginis partis, sed ad Carthaginis litora naufragantis eiectos. multis igitur ostendit suam suorumque innocentiam, quae omnia fortiore argumento cumulavit dicendo *est locus,* 530 *Hesperiam Grai cognomine dicunt, terra antiqua, potens armis atque ubere glaebae, Oenotri coluere viri: nunc fama minores Italiam dixisse ducis de nomine gentem. hic cursus fuit, cum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion in vada* 535 *caeca tulit penitusque procacibus austris perque undas superante salo perque invia saxa dispulit, huc pauci vestris adnavimus oris.* et locorum et hominum Carthaginis plena deformatio, sed non aperta. nam cum laudat partis ad quas tendebat, sic illis derogat ad quas invitus eiectus est. ibamus, inquit, ad optimas terras Italiae, uberes et copiosas, quas colunt Oenotri viri qui nunc Itali dicuntur, optimi utique et praecipui, sed existente Orionis sidere, sine dubio adversa fortuna expugnante commodum nostrum, cum violentiae pelagi non valeremus obsistere, in vestra litora hoc est in solitudines et horrendam desertionem sumus adpulsi. quis ergo relictis melioribus pergit ad deteriora, nisi qui non suo, sed arbitrio conpellitur alieno? si igitur non sponte venimus, apparet nos nullum inferendae violentiae studium gerere. qui enim haec cogitat destinata loca et ad praedam disposita sponte adgreditur, sponte occupat, sponte invadit et aliquid eligit in quo sit uberior praeda. descriptionem naufragii non frustra posuit; nam huius adiectio potuit movere misericordiam.

---

2 *venerunt* R *venerant* L ed. | *adserit* om. ed. | *non* LR *non esset* ed. 5 *sed — eiectos* corrupit ed. 8 *Graii* L ed. cf. 467. 9 *Oenotrii* L ed. *enotri* R 10 *hic* LR *huc* ed. 11 *flictu* R corr. r. 14 *adnavibus* R corr. r. 18 *coluerunt* ed. 19 *sidere* LR *scelere* ed. 21 *pelagi* LR *plagae* ed. 24 *teriora* LR corr. L II man. r ed. 25 *nos nullum* LR *non ullum* edF. | *inferendae* om. ed. 26 *haec* LR *hoc* ed. 28 *elegit* LR corr. r ed.

paucorum autem idcirco mentionem fecit, ut firmaret Didonis animum, quod nullam parassent violentiam. quid enim audere possent quibus nec animus fuit nec substantia multitudinis? ecce omnem qua laborabat invidiam violentiae purgatis ad plenum partibus suis retorquet in partem calumniantium usus anticategoria. dicit enim ego non feci aut mei, sed tui in innoxios extiterunt violenti. denique sequitur *quod genus hoc hominum, quaeve hunc*
540 *tam barbara morem permittit patria? hospitio prohibemur harenae, bella cient primaque vetant consistere terra.* sub una querellarum occasione et deformationem Tyriorum tenet et suam laudem; nam cui inhumanitas aliorum displicet utique ipse humanus est et qui alienos mores graviter reprehendit ab his se profitetur alienum. hi usque adeo displicebant, ut nomen illis invenire nequiverit dicendo quod genus hoc hominum? omnis enim feros inmanitate vicerant Tyrii. quaeve hunc tam barbara morem permittit patria? hoc est quae vel cuius regionis in tantum saeva barbaries et tanta feritate extitit, quanta tui usi sunt adversus nos? nomen ergo quo eos appellaret non invenit, exemplum non repperit, quod erat gravius; potuerunt enim defendi similitudine alterius gentis. hospitio prohibemur harenae: probatio plenissimae inhumanitatis: prohibemur in harenis consistere, quid fieret, si humano more tectorum hospitium peteremus? bella cient: non saltem leniter prohibent, sed more bellandi utuntur hostilibus animis. bella cient: bella, inquit, non patiuntur, sed inferunt. primaque vetant consistere terra; dixerat enim ventis maria omnia vecti oramus, ut misericordia dignos ostenderet in illa terra, quae, licet inutilis

---

3 *audire* R corr. r. 5 *suis* om. ed. 11 *una* LR *iure* ed. | *occasione* LR *accusatione* ed. | *deformatione* L ed. 13 *utique ipse* LR *et ipse u.* ed. 14 *hiis* LR *hisce* ed. | *hi* om. ed. 15 *adeo* LR *a autem* edF. | *illis* LR *illorum* ed. 18 *permittit patria* om. ed. 19 *feritas* ed. 20 *uisus* LR *ausi* L II man. *usi* r ed. 21 *erat* Lr ed. *erit* R. 22 *potuerant* ed. | *generis* L *t* superscr. II man. *genenetris* R *gentis* ed. 27 *animis* LR *armis* ed. 29 *oramus* om. ed. 30 *inusilis* LR.

et deserta, naufragos tamen prima susceperat. certe etiam sic potest intellegi primam esse terram litoris tractum, secundam quae longius progredientis excipit, ut satiaret quod dixit hospitio prohibemur harenae. perseverat in hac subtilitate dicendi, ut inhumanitatis invidia etiam ipsam Didonem oblique criminetur; nam cum de iis queritur quos imperio Dido retinebat et regno, ipsam quoque adpetit et culpat a qua iussa mandataque proficisci dubitari non poterat. usque adeo hoc verum est, ut relicta subtilitate in ipsius quoque reginae personam invidiam omnem posterius torserit. addidit enim *si genus humanum et mortalia temnitis arma,* non dixit temnunt, sed temnitis, *at sperate deos memores fandi atque nefandi:* ecce et hic sperate posuit ipsam quoque Didonem culpae inhumanitatis adnectens; si, inquit, contemnitis homines, sunt dii qui iniusta vindicent. *rex erat Aeneas nobis, quo iustior alter nec pietate fuit nec bello maior et armis.* 545 *quem si fata virum servant, si vescitur aura aetheria neque adhuc crudelibus occubat umbris, non metus; officio nec te certasse priorem paeniteat: sunt et Siculis regionibus urbes armaque Troianoque a sanguine clarus Acestes.* in rege 550 suo bona animi laudavit et corporis: animi sunt iustitia et pietas, corporis vero spectata virtus in exercitatione bellandi, quae non superflue posuit. nam pro benefactis promisisse intellegitur consimilem vicem ab eo qui iustitia praestaret et pietate et pro malefactis ultionem, quam posset inplere qui virtute confideret. quam pulchre autem varietate usus est, ut unam rem tripliciter diceret! ait enim quem si fata virum servant hoc est si vivit, si vescitur aura aetheria id est si incolumis manet, neque adhuc crudelibus occubat umbris, hoc idem significat. agit interea magna arte ut petat parva et ingentium com-

5 *invidia* om. ed. 6 *de iis* Lr *diis* R *de his* ed. | *quaeritur* LR *queritur* r ed. 8 *dubitari* L *-re* R. 15 *inquit* om. ed. 22 *laudabit* R. 23 *vero spectata* om. ed. 26 *et* ante *pro* om. ed. | *ultionem quam* LR *u. aliquam* r 27 *pulchra* r. 32 *ingens* ed.

modum in vicissitudine polliceatur, neque hoc simpliciter facit; nam et reciprocam benivolentiam spondet et terret audientem. cum enim dicit possumus tibi prodesse atque ita, ut non te paeniteat praestitisse, intellegitur etiam illud adserere, posse et nocere, si res exegerit, hoc modo: si vivit rex noster (credimus enim eum superesse, tanti enim fuit meriti, ut nihil adversi incurrerit), nihil est quod metuere debeamus. si autem recessit a superis, habemus in proximo Acesten, virum magnum et regem opulentum viris, armis et substantia omni copiosum nec alienum, sed unum ex nobis perindeque qui illud quod potest negare non possit. ecce in duobus tantis et talibus proponit spem et inicit metum. ingerit iam summam petitionis non onerosam praestanti: *quassatam ventis liceat subducere classem et silvis aptare trabes et stringere remos, si datur Italiam sociis et rege recepto tendere, ut Italiam*
555 *laeti Latiumque petamus; sin absumpta salus et te, pater optime Teucrum, pontus habet Libyae nec spes iam restat Iuli, at freta Sicaniae saltem sedesque paratas, unde huc advecti, regemque petamus Acesten.* da, inquit, copiam, deducamus navis in litora, caedamus ex silvis necessaria fabricis, ut reparemus convulsa. quid conpositis navibus futurum esset conpetenter ostendit; ait enim navigandum nobis erit ad Italiam, si contigerit regem habere incolumem, aut, si id non fuerit, ad Siciliam atque ad Acesten tendendum. epilogis dehinc concludit hanc partem ostendens solum posse Aenean Italiam filio obtinere et fecit apostropham, ut animum Didonis ad miserationis partis urgeret. si, inquit, contra meritum tuum secessisti a superis, si funus tuum naufragia sorbuerunt, si tuo

---

3 *audientem* LR *audaciam* ed. | *possum* ed. 7 *ut nihil* LR *si* interpos. ed. 8 *ad superos* ed. 9 *in proximo* om. ed. 11 *nobis* LR *nostris* ed. 13 *ponit* ed. 19 *ad freta* LR. 21 *ut deducamus* ed. | *et caedamus* ed. | *in silvis* ed. 23 *consequenter* ed. 24 *ad Italiam* om. ed. 25 *aut Siciliam* R. 27 *obtinere* LR *parare* et transpos. ed. 28 *apostrophen* ed.

miserando casu Iulus deceptus est et in te spes eius intercepta est, habemus regem alterum, sed tamen ex nostris et proximae Siciliae terras. *talibus Ilioneus: cuncti simul ore fremebant Dardanidae:* Ilionei oratione conclusa ceterorum qui cum ipso fuerant consensus accessit: significabant quippe eadem se poscere, quae maximus ipsorum fuerat persecutus.

*Tum breviter Dido vultum demissa profatur:* quod ait breviter, hoc potest intellegi propter personam locuturae mulieris et sermonem facturae ad viros et incognitos. vultum demissa potest sic accipi, ut non solum propter femineam verecundiam vultum deiecerit verum etiam propter obiecta. denique haec primum purgat quae ipsius personam suorumque foedaverant. gravius autem accepit quae dicta sunt, quia non erant vera, et eo magis erubuit, quia nec inhumana fuit, ut Ilioneus dixit, nec barbara. utitur arte plenissima, ut gesta non negando, quoniam manifesta fuerant, sed purgando defendat. *solvite corde metum, Teucri, secludite curas:* paucis admodum in responsione securos effecit; tunc enim cetera libenter audiri potuerunt quae illa adsumpserat defensura. *res dura et regni novitas me talia cogunt moliri et late finis custode tueri:* fuerunt ergo duo: horum unum aperuit quod fuerat in evidenti, alterum doloris sui causa transmisit. in evidenti fuit novitas regni, quae probabatur ex iis quae gerebantur in diversis operibus: idcirco ait regni novitas et res dura me talia cogunt moliri et late finis custode tueri: ecce posuit alterum dicendo res dura. sed hic satis errant qui rem duram novitati regni coniungunt, quasi Vergilius unam rem geminans hoc idem dixerit, velut laboriosam esse novitatem regni. sed non ita est; nam novitas regni sollicitam

---

3 *proxime* ed. 12 *vultum* om. ed. 18 *corde metum* LR *c. metu* r voluit ergo *corda metu*? | *Teucri et* LR sed *et* expunxit L ipse. 21 *sumpserat* ed. 22 *fuerunt* — 27 *tueri* om. ed.: intellectus pondus in particula *et* atque in plurali *cogunt* situm est. 28 *dicendo res dura* om. ed. 31 *sed* — *regni* om. ed.

fecerat, ne quisquam nondum firmatis rebus inparatos adpeteret; metuebatur extrinsecus res dura, ne tanta in Sychaeum crudelitate perfecta sequeretur Pygmalion, qui sceleris sui mercedem sperabatur quaesiturus et necaturus sororem, quae mariti auxilia perdidisset. idcirco igitur rem duram dixit mariti interitum, ne speciatim diceret quod nefarie constabat admissum vel ne diceretur iterum quod iam dictum est ex persona Veneris et fieret rei iam cognitae repetitio. ostendit ergo sollicitudinem illam fuisse vehementissime necessariam. obiecta autem a suis suorumque moribus aliena confirmat dicendo cogunt, ut custodia cautior litorum repellendae potius violentiae causa facta videretur, non, quod Ilioneus conquestus est, inferendae, perindeque non esset ex moribus aut natura vitium, si urgente duplici metu diligentiores fuerint et solliciti. conpetenter, hoc ipsum ut melius probaret, purgationi subnexuit benivolentiam, ut crederetur vera dixisse, ut turbatos congruae honorificentiae ratione conponeret, dicens
565 *quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem virtutesque virosque aut tanti incendia belli?* merita inquit vestra et singulorum Troianorum virtutes et adversam fortunam Troiani excidii, quae quasi nescienti intimare voluistis, olim novimus et habemus plenissime cognita. haec dicendo dat humanitatis spem; facile enim succurritur iis quorum adversa sunt nota. *non obtunsa adeo gestamus pectora Poeni nec tam aversus equos Tyria Sol iungit ab urbe:* corda, inquit, nostra non sunt ab humanitatis partibus aliena, nec sic vivimus, ut Solis aequitas cursus suos a nobis avertat, cum aliquid apud nos nefarium geri per-

---

2 *adpeteret* LR *offenderet* ed. 4 *sceleribus suis* ed. | *sperabat* ed. 5 *perdidisset* LR *providisset* inepte r. 6 *speciatim* om. ed. 7 *iterum* LR *verum* ed. 13 *non inferendae* LR edI *non* ante *quod* transpos. edF recte cf. 541. 14 *esse* LR *esset* corr. ed. 22 *intimare* LR *numerare* ed. | *voluisti* ed. 24 *iis* LR *his* ed. 25 *obtusa* ed. 28 *solis aequitas* LR (pro sol aequus cf. 7, 623) *solis equi tum* ed. 29 *avertant* ed. | *aliquod* ed. | *geri* LR *genus* HO edI *scelus* edF: Atrei et Thyestae fabula Donato obversatur ut Servio.

spexerit. *seu vos Hesperiam magnam Saturniaque arva sive Erycis fines regemque optatis Acesten, auxilio tutos* 570 *dimittam opibusque iuvabo:* prosequitur summam beneficiorum suorum nihilo minus et propositis respondens. dixerat enim Ilioneus si regem receperimus incolumem, tendemus ad Italiam, si autem contra meritum suum aliquid ei humanitus accidit, pergemus ad Siciliam. ait Dido non faciens contra Troianorum voluntariam dispositionem quocumque ire volueritis non teneam invitos et omni subsidio adiuvabo navigantis. *vultis et his mecum pariter considere regnis:* ecce plena benivolentia eos in societatem vocat regni qui omnia desperaverant. *urbem quam statuo vestra est:* primo dixit mecum considere regnis, nunc autem auxit studium benivolentiae plenam illis possidendae urbis offerens facultatem. multi vitium putant esse quia dixit Vergilius vestra est urbem et revera potest esse, si non removeatur error ordinatione sensus effecta. sic enim accipiendum est: quam statuo urbem vestra est. *subducite navis. Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur:* huic parti non plene respondit; Ilioneus quippe postulaverat (551) „quassatam ventis liceat subducere classem et silvis aptare trabes et stringere remos". Dido, cum responderet, non obtulit duo, ut et subducerent navis et conponerent: subducite, inquit, noluit de conponendis aliquid loqui; noverat enim se dixisse cessate nobiscum addens Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur. ne arbitrarentur Troiani inferiores se fore, miro ingenio temperavit, ut diceret Troianos uno cum incolis futuros adfectu, ut honorificam se ostenderet iuxta hospites non eos postponendo Tyriis nec deiceret suos et inter populos inimicitiarum causas inmitteret, si peregrinos faceret po-

---

2 *finem* R. 6—7 *et humanitus* L *et humanitas* R *ei humanitas* r (*u* emendare omisit) *inhumanitatis* ed. 7 *accidit* L *accidet* R *acciderit* ed. 8 *faciam* ed. 9 *teneam* LR *tenebo* L II man. ed. 20 *respondet* ed. 21 *quasatam ven* LR corr. r. 23 *ut et* LR *et* om. ed. 25 *cessate nobiscum* LR *subducite naves* ed. 29 *effectu* r. 30 *postponendos* ed.

tiores iis qui cum ea de Tyro in tanta necessitate navi-
575 gaverant. *atque utinam rex ipse noto conpulsus eodem*
*adforet Aeneas:* quia advertit Troianos satis de salute
regis sui esse sollicitos, ultro offert inquisitionis eius auxi-
lium et optat adventum. *equidem per litora certos dimit-*
*tam:* certos dixit exploratae diligentiae homines atque, ut
satiaret oblati beneficii gratiam, addidit *et Libyae lustrare*
*extrema iubebo, si quibus eiectus silvis aut urbibus errat.*
hic ostendit Vergilius sub Didonis imperio non illam tan-
tum quae condebatur, sed multas alias fuisse civitates.
580 *His animum arrecti dictis et fortis Achates et pater*
*Aeneas iamdudum erumpere nubem ardebant;* supra (514)
enim dixit „laetitiaque metuque avidi coniungere dextras
ardebant, sed res animos incognita turbat: dissimulant et
nube cava speculantur amicti quae fortuna viris, classem
quo litore linquant“. cum igitur omnia cautius exploras-
sent, ne Dido quasi absentem Aenean iuberet inquiri, con-
silium fuit ut ultro sese offerrent qui fuerant iam de sua
ac suorum salute securi. *prior Aenean conpellat Achates:*
*nate dea.* licet socius, tamen, quia fuit inferior, non
nomine suo eum appellavit, sed cum omni honorificentia
omisso vero nomine natum dixit ex dea. reliqua breviter
explicat quae eos sollicitaverant: *[quae nunc animo sen-*
*tentia surgit?] omnia,* inquit, *tuta vides, classem sociosque*
*receptos. unus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi*
585 *submersum, dictis respondent cetera matris.* confirmatis
rebus prosperis animo ardebant rupta nube omnium se
repraesentare conspectibus, ut Didoni gratius fieret susce-
pisse se faciliore via quem magno labore cupiebat inquiri.
considerandum est quomodo hic quoque teneat poeta di-
cendi virtutem, quemadmodum locis suis personarum merita
discernat ac servet. inferior Achates fuit, et meliorem
prudentiam debuit Aeneae tribuere quem constabat esse

---

5 *exoptat* R *et optat* r. 9 *hic* L R *hoc* ed. 23 *quae* — 24 *surgit* deest in L R, sed explicatur. 28 *praesentare* ed. 29 *faciliori* ed.

potiorem. sic ergo induxit priorem Achaten loquentem, ut sine vitio suo et nota eius cum quo fuerat locuturus sermonem faceret, ne, quod prior loqui coepit, videretur adrogans et superbus. expectare enim debuit arbitrium potioris nec debuit videri sensisse quod ille non advertisset. temperatur totum mire et inducitur Achates non tam faciendum suggerere, sed utrum faciendum esset, servata sine dubio honorificentia eius qui consilio et auctoritate praestaret. quae nunc animo sententia surgit? interrogantis haec vox est, non indicantis aut iubentis. omnia tuta vides, classem sociosque receptos: ne specialitas properantibus prolixitate sua faceret moras, clause dixit classem, clause dixit socios, ut cito transiret. dictis respondent cetera matris: quam cito per universa transiit! constabat enim quam securitatem illi mater per auguria promisisset. *vix ea fatus erat, cum circumfusa repente scindit se nubes et in aethera purgat apertum:* non dixit ex nube progressi sunt, sed nubes ab ipsis abscessit, ut ostenderet Aeneae commodis etiam rerum naturam servisse. tamdiu, inquit, celati sunt nubis obtentu quamdiu necessitas fuit, ubi opus non erat, sponte discessit. *restitit Aeneas claraque in luce refulsit:* quantum gratiae dedit Aeneae, cum illum dicit splendore suo lucem diei tribuisse meliorem! dicit iam unde tantus apparuisset. *os,* inquit, *umerosque deo similis; namque ipsa decoram caesariem nato genetrix lumenque iuventae purpureum et laetos oculis adflarat honores.* beneficia haec haut difficulter praestiterat quae mater fuisset et dea. *quale manus addunt ebori decus aut ubi flavo argentum Pariusve lapis circum-*

---

2 *vitio suo et nota eius* L R *v. eius et nota* ed. 3 *quod — coepit* L R *si — coepisset* ed. 7 *suggerens* ed. | *utrum* L R *quid tum* ed. 15 *quam securitatem illi* L R *illi quum sec.* ed. 18 *processi sunt* L *progessi s.* R *progressi s.* r *cava speculantur* ed. 23 *dicit — 24 meliorem* corrupit ed. 27 *beneficia h̄ ā* L *benefitium autem* R *beneficium haud* r *beneficia haec haud* ed. 28 *q‹* = quia L *que* R *quia* ed. *quae* nos propter *fuisset.*

*datur auro:* tantam, inquit, splendore suo Aeneas addidit gratiam luci quantum ebori manus attribuit vel quantum addit aurum argento aut lapidi Pario coniunctum. *tum*
595 *sic reginam adloquitur cunctisque repente inprovisus ait:* tanta celeritate factum est ut improvisus cunctis venisset ad verba quem nudaverat nubis abscessus, quem monstraverat naturalis lux et proprius splendor ipsa potior luce. conpleta suggestione neque ipse Achates definiit quid esset faciundum, quia dicere non debuit, neque Aeneas respondit. praevenit enim eventus rerum qui eos reddidit luci et, quia iam venerant in hominum conspectum, mutata ratione temporis rationem loquendi non inmerito mutare debuerunt. constitit Aeneas, ut dictum est, sed aliquando melior quam fuit; hoc enim sollicita propter Iunonia hospitia procuraverat mater, ut amore potius quam odio dignus videretur. conparatur deo, auro, ebori, argento, quae cum per se splendeant, meliora tamen fiunt, si his vel artificis manus vel gratia societatis accedat. quod autem conparatur deo, non fuit favoris poetae, cum sit nepos Iovis et filius Veneris perindeque et Caesaris ipsius adfinis. hunc autem omni occasione Vergilius laudat atque ita ut praecipui viri laudandi sunt; nam virorum forma et splendor corporis iunguntur fortitudini. sola enim pulchritudo corporis sine fortitudine plurimorum obfuit famae, coniuncta vero ornare consuevit virum fortem. itur iam per corporis partis, ut appareat in illo quid decoris, quid fortitudinis fuerit; namque ipsa decoram caesariem nato genetrix lumenque iuventae purpureum et laetos oculis adflarat honores. haec ad partis pulchritudinis pertinent, ad virtutis autem quod supra laudavit umeros eius, ut fortitudinem corporis demonstraret. nam et alio loco

---

1 *tantum* — 2 *gratiae* r ed. 3 *aut* — *coniunctum* om. ed. 5 *veniret* ed. 8 *neque* — 9 *debuit* om. ed. 8 *definit* LR -*iit* r nos. 13 *restitit* ed. 14 *pollicita* ed. 16 *deo* LR *de* ed. om. ed. post. | *et argento* ed. 25 *itur iam* LR *igitur ian* O *igitur* post *corporis* ed. 27 *nam* ed. 29 *adflavit* ed. 31 *nam* — 117, 2 *validos* om. ed.

(2, 721), cum de ipso Aenea loqueretur, ait „haec fatus latos umeros“ hoc est fortis et validos. nato, inquit, genetrix: duo posuit nomina infiniti inter se atque inaestimabilis meriti; quicquid enim possunt parentes libenter conferunt liberis suis. interea conparatur Venus artifici, quae sic ornaverat filium. enumeratis igitur speciebus Aeneas inducitur loquens: tum sic reginam, inquit, adloquitur; prior enim ipse debuit loqui, ante omnia ut quis esset indicaret nescienti, deinde ut gratias ageret ob eam causam quam ipse oculis et auribus conprobasset et ut ostenderet illic se fuisse praesentem. inde sermonis sui sumpsit exordium: *coram quem quaeritis adsum, Troius Aeneas, Libycis ereptus ab undis.* omnibus quae audierat praesens nec pleno versu respondit; celeritate enim opus fuit, ut cito ad agendas gratias perveniret. dicendo coram adsum quem quaeritis et pluralem numerum tenendo ostendit Aenean et Didoni simul et Ilioneo respondisse. Ilioneus enim dixerat (546) „quem si fata virum servant, si vescitur aura aetheria“ item (555) „sin absumpta salus et te, pater optime Teucrum“; Dido vero dixerat (576) „equidem per litora certos dimittam et Libyae lustrare extrema iubebo, si quibus eiectus silvis aut urbibus errat“. quod autem ait adsum Troius Aeneas, Didoni tantum videtur dixisse cui fuit incognitus. Libycis ereptus ab undis, quia et Ilioneus et Dido arbitrabantur eum violentia maris oppressum, utrisque intellegitur demonstrasse. *o sola infandos Troiae miserata labores:* magna arte dixit hanc laudem, usque adeo ut et specialem praedicationem conplexus sit et ceteris laudibus dicendis instructam dederit formam. prima pars rhetoricae disciplinae fuit quod loci

---

3 *nomina* LR *lumina* ed. 5 *liberis suis* LR *suis filiis* ed. 7 *introducitur* ed. 9 *indicaret* LR *nuntiaret* ed. 11 *et ut* LR *et* om. ed. | *unde* ed. 18 *dixit* ed. 20 post *Teucrum* videtur *et cetera* excidisse. 21 *lustrari* LR, sed supra *lustrare* ut Verg. libri. 23 *didoni* LR *ne D.* ed. | *videretur* LR ed., sed L ipse corr. in *videtur* item r. 25 *quia et* LR *et* om. ed. 26 *demonstrare* ed. 29 *dicendi* ed.

et temporis et personae optime gnarus, loquens apud Carthaginem hoc est in civitate quae propter Iunonem potuit esse inimica, loquens in ipso adversariae templo et apud eam quae summam teneret imperii atque eo tempore quo post naufragium terras ipsas cupiebat evadere nihil sit de Iunonis factione conquestus: gratias agit facto nullum culpans, nullius commemorans inpressionem. sola, inquit, miserata labores nostros: cum dicit solam iuxta Troianos extitisse benivolam, et laudat factum ex eo quia carebat exemplo et miratur occulte illic inventam requiem ubi evidentissimum periculum sperari potuerat. causas praeteriit adventus sui, quia has dudum regina Ilioneo narrante conpererat. *quae nos:* quid est nos? *reliquias Danaum terraeque marisque.* reliquias ter debemus accipere, ut sit reliquias Danaum, reliquias terrae, reliquias maris. Danaum quomodo satis apertum est; nam infiniti eo tempore perierunt quo etiam ipsa civitas concidit Troianorum; reliquias terrae idcirco dixit, quia fugiens de Troia cum Cretam venisset, multos luis contagione perdidit; reliquias maris, quia constabat naufragio quo in litora Carthaginis eiecti sunt Oronten interisse. *omnibus exhaustos iam casi-*
600 *bus, omnium egenos urbe, domo socias:* currit per amplificationem praestitorum extollens in maius quod fuerant consecuti. omnibus, inquit, exhaustos iam casibus: cum dicit se diversis casibus exhaustum, ostendit inopiam non originalem quasi abiectae personae, sed fortunae violentia extitisse. omnium egenos, quod est inter mortalis difficillimum tangi misericordia, cum quis inopem viderit et egentem. denique ut poeta conprobaret hoc ipsum, consecuta responsione Didonis conplexus est quae ratio misericordem in causa miserorum fecerit Didonem: „non ignara", inquit (630), „mali miseris succurrere disco". augmentum

---

2 *potuisse* LR *potuit esse* r *posset esse* r′ in marg. *potuisset esse* ed. 3 *inimicam* L. 5 *evadere* LR *evadens* et transpos. ed. | *sit* LR ed. *est* expectes. 6 *facto* om. ed. 13 *quid* — 15 *maris* om. ed. 19 *multa* ed. 25 *diversis* LR *adversis* ed. 30 *responsione* LR *reprehensione* ed. 32 *argumentum* ed.

laudis multiplicat dicens urbe, domo socias. abundabat autem ad humanitatem demonstrandam, si in civitatem fuissent suscepti: suscepti sunt voluntate Didonis tanta benignitate, ut illos non tantum in hospitium sed et in societatis foedera vocavisset. hinc iam docet poeta quae sint curanda in laudibus. nam inparem se in reciprocis rependendis debuit demonstrare, sed cum hoc vellet exequi, invenit occasionem, nec tamen a laudationis officio alienam, qua multitudinem quoque Troianae gentis laudaret, quae per orbem sparsa apud Carthaginem in numero exiguo fuit. idcirco ait *grates persolvere dignas non opis est nostrae, Dido, nec quicquid ubique est gentis Dardaniae, magnum quae sparsa per orbem.* neque, inquit, nos pauci gratias conpetentis referre possumus beneficiis tuis, sed nec omnes nostri, si ex toto orbe qui sparsi sunt colligantur. *dii tibi, si qua pios respectant numina, si quid usquam iustitiae est et mens sibi conscia recti, praemia digna ferant:* quoniam beneficiis tuis multis et magnis et singularibus atque in aeternum praeferendis humanae vocis obsequia congrue respondere non possunt, habemus deos qui tibi pro nobis quae mereris exolvant. ipsi enim humanos actus et perpendere iustius possunt et aequitate discernere. accedit alter locus laudis: *quae te tam laeta tulerunt saecula?* quibus, inquit, saeculis tu sola talis provenire meruisti? hoc est dicere cur non et alii similes nati sunt? hoc est quod et superius dixit „o sola infandos Troiae miserata labores“. hoc vult occulte disputare Vergilius, saeculorum esse ut vel boni vel mali nascantur, unde apparet dicentis intentio, qui hoc cupit adstruere quaerendo saecula quibus Dido talis potuit nasci, quia,

1 *abundabat* LR *ambulabat* ed. 4 *sed et* LR *s. etiam* ed. 6 *sunt* ed. 7 *respondendis* R. 9 *quoque* om. ed. 16 *dii* LR ut semper. 18 *multis et* LR *et* om. ed. 19 *in aeternum* LR *ceteris* ed. 20 *congrue* om. ed. | *habeamus* ed. 23 *accedit* LR *sequitur* ed. 26 *quod et* LR *et* om. ed. 27 *occulte* LR *obscure* ed. 28 *ut vel* LR *vel* om. ed. 29 *struere* r.

cum per orbem totum Troiani iactati sint, solam benivolam, humanam et largam invenire potuerunt. *qui tanti talem genuere parentes?* quia nascendi ratio per parentes provenit, horum est felicitas, si praecipuos suscipiant liberos. quaeruntur saecula, quaeruntur parentes: Dido sola in toto orbe iustissima memoratur, ut totum singulare sit eius quod summum est nec habeat cum aliquo societatem vel conparationem. quod dixit dii tibi praemia digna ferant, conclusit, verum ne remittendo superis omnem reciprocam vicem ipse videretur totam vicissitudinem reiecisse, deorum, inquit, sit cura praemia referre meritis tuis, quod autem humana mens potest, non taceam laudes tuas; nam *in freta dum fluvii current, dum montibus umbrae lustrabunt, convexa polus dum sidera pascet, semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.* hoc genere ostenditur futurus omnium elementorum et universarum rerum finis, cum dicitur quamdiu fluvii currendo miscentur fluctibus maris, quamdiu stabit cum sideribus caelum, quamdiu solis umbra vel lunae convexa lustraverit montium. denique et alio loco (9, 448) dixit „dum domus Aeneae Capitoli inmobile
610 saxum accolet imperiumque pater Romanus habebit". *quae me cumque vocant terrae,* hoc est quaecumque terrae me vocant. subtiliter se nec cessaturum dixit nec est pollicitus abiturum, ne laederet Didonis animum offerentis societatem regni aut de consensu teneretur. *sic fatus amicum Ilionea petit dextra:* recte amicum dixit et hunc ceteris anteposuit; tunc enim melius probantur amicitiae, si, ut Ilioneus fecit, amicus praesens amicitia absentis causam sic tueatur ac servet, ac si adsistente eo videatur esse conpleta. *laevaque Serestum:* intellegamus amicum ad ambos pertinere, sed praelatum cui dextera porrecta est.

---

1 *sunt* R. 9 *superius* ed. 10 *necessitudinem* ed. 11 *quod* — 12 *taceam* corrupit ed. 12 *nam* LR *n. dicit* r. | *in freta* LR *infra* ed. 14 *pascit* R corr. r. 17 *miscebuntur* ed. 20 *Capitolii* LR in IX *-li.* 24 *habiturum* ed. 27 *sicut* ed. 28 *fecit* LR *f. ut* ed. | *amicitia* LR *amicici* r *amici* ed. 30 *completum* ed. | *amicos* ed.

*Obstipuit primo aspectu Sidonia Dido, casu deinde viri tanto et sic ore locuta est:* primo, inquit, aspectus Aeneae sic Didonis animum repente commovit, ut stupuerit visa eius forma, casum eius deinde miraretur. redeamus ad superiorem ipsius descriptionem et inveniemus stuporis eiusdem causas; dixit enim „os umerosque deo similis“ et cetera. recte ergo commota Dido obstipuit. casu deinde viri tanto: primo, inquit, reginam tanti viri commovit aspectus, secundo casus quo liberari potuit et ad ipsam nulli visus repente pervenire. sic tamen etiam ipsa re-
spondit: *quis te, nate dea, per tanta pericula casus in-* 615
*sequitur? quae vis inmanibus adplicat oris?* dicendo in prima parte sermonis sui nate dea ostendit aliquam se generis eius habere notitiam et, hoc licet apud Aenean posset esse mirabile, addidit indigne illum pati ut ex dea genitus delatus sit per naufragia ad regiones saevas. *tune ille Aeneas quem Dardanio Anchisae alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?* ecce et locorum tetigit et Aeneae ipsius nomen et personam parentum ostenditque se miseratione commoveri, cum dicit per tanta pericula quis te casus insequitur natum ex dea? miratur eam quae debuit potentia numinis sui tueri filium contra omnia incommoda nec tamen facit. ut autem Aeneae admirationem auferret e medio, qua idem teneri potuit, exponit ipsa quomodo factum sit ut et ipsum, quamvis opinione, et genus eius nosset. *atque equidem Teucrum*
*memini Sidona venire finibus expulsum patriis, nova regna* 620
*petentem auxilio Beli; genitor tum Belus opimam vastabat Cyprum et victor dicione tenebat. tempore iam ex illo casus mihi cognitus urbis Troianae nomenque tuum reges-*

---

3 *repente* om. ed. | *stipuerit* LR *obstupuerit* ed. 4 *deinde* LR *denique* ed. 5 *ipsius* LR *eius* ed. 6 *eiusdem* LR *eius* ed. 7 *commota* LR *primo aspectu c.* r. 10 *nullis* ed. | *etiam* LR *et* ed. 15 *possit* ed. | *an digne* LR *indigna* r *indigne* ed. 22 *eam* R *eum* L *enim* ed. | *sui tueri* LR *demonstrari aut interpos.* ed. 23 *fecit* ed. 24 *e medio* om. ed. 26 *eius* L *ee* R *eius* corr. r | *nosceret* ed. 27 *sidonia* LR. 28 *belli* LR corr. r.

*que Pelasgi:* quando, inquit, Teucer pulsus patriis regnis ibat ad novam sedem condendam, transiit per patrem meum et susceptus hospitio rettulit et casum Troiae et nomen tuum et Graecorum commemorationem fecit, ex eo novi omnia et memoria tenui. expositis causis et narrato ordine fabulae offert ultro hospitium maiorem humanitatis suae gratiam sperans, si eiusmodi beneficium non petita
627 conferret. *quare agite, o tectis, iuvenes, succedite nostris:* cum dicit quare agite, hoc debet intellegi: cum videatis non vos esse incognitos, nota autem esse mala vestra et morem esse familiae meae ut veniens hospes excipiatur, sicuti Teucer a patre meo susceptus est, ipsa quoque vos tectis meis excipiam. *me quoque per multos similis fortuna labores iactatam hac demum voluit consistere terra:* nec pudeat, inquit, quod tantum vos attriverit adversa fortuna; cum enim intervenit maior vis, aequo animo sustinenda est. atque, ut hoc persuaderet, proponit exemplum suum et dicit causas miserationis suae. ait enim et me, quam videtis velut felicem, aliquando infelicitas pressit, qua factum est ut iactata per infinita incommoda ad haec loca fortuna cogente perducta sim, ut ostenderet etiam se invitam in ipsis regionibus sedem conlocasse.
630 *non ignara mali miseris succurrere disco:* non disco, inquit, quantum laborem sustineant quos adversa fortuna persequitur; didici enim malis meis quemadmodum succurrere miseris debeam. *sic memorat, simul Aenean in regia ducit tecta, simul divum templis indicit honorem:* ut ostenderet plenam benignitatem animi, et Aenean duxit ad domum et ob eius adventum honorem templis indixit, ut esset publica gratulatio et ad societatem foederis illius etiam deorum favor accederet. dehinc moralitas sequitur, qua ostendatur humanitas plena. non enim omnes aderant, aut universi poterant Didonis interesse convivio. prae-

---

1 *me quoque* post *Pelasgi* interpol. ed. del. ed. post. 2 *colendam* ed. | *patriam meam* edF. 11 *venientes vos excipiar* LR *venientes excipiat* ed. *veniens hospes excipiatur* nos. 22 *etiam si* R corr. r. 31 *fabor* LR corr. L II man. r.

sentes igitur detenti sunt, qui epulas sumerent cum regina, absentibus vero et in litore constitutis misit necessaria victui, quae abunde superessent. et, quia munera cum ornatu suo Vergilius tangit, idcirco posuit *nec minus interea sociis ad litora mittit viginti tauros, magnorum horrentia centum terga suum, pinguis centum cum matribus agnos, munera laetitiamque dei.* viginti, inquit, tauros, ut numero et genere animalium ornaret quod laudare disposuerat. si enim taceret de tauris et eorum numero et boves diceret, minueret gratiam largientis et eorum meritum qui hos fuerant percepturi; plerumque enim pro accepturi persona aut maioris meriti munera aut minora mittuntur. magnorum horrentia centum terga suum: ecce et hic a numero auxit benivolentiam dantis et magnitudine laterum; horrentia pro admirandis posuit. pinguis centum cum matribus agnos: non recessit a numeris nec ab ipsa qualitate; nam pinguis agnos dixit, qui pingues non essent, nisi et eorum matres tales fuissent. cito autem per centenarium numerum agnorum ducenta fuisse capita demonstravit. munera laetitiamque dei: in vino tantum esse missum debemus intellegere quantum congrueret ceteris quae speciatim numerata sunt. ordinatio sensus melius intellectum patefaciet, quae est talis: nec minus interea sociis ad litora mittit munera et dicit quae sint ipsa munera, viginti, inquit, tauros, magnorum horrentia centum terga suum, pinguis centum cum matribus agnos laetitiamque dei. litorum fecit mentionem, ut intellegamus alios fuisse in secessu longo, alios in altero litore, qui cum Ilioneo fuerant liberati, ac per hoc omnibus intellegitur misisse, cum dicit ad litora. *at domus interior regali splendida luxu instruitur.* alia moralitas

---

2 *vero* om. ed. 6 *centum pinguis* ed. 9 *et eorum* — 10 *largientis* om. *taceret* substituit ed. 12 *minoris* ed. 15 *latorum* r. 17 *nam* om. ed. 19 *agnorum* om. ed. 22 *numerata* LR *munera* ed. 23 *esse* LR *est* r ed. 24 *munera* om. ed. 25 *sunt* ed. 26 *suum* LR *s. et* ed. 31 *regalis* L *regali//* cum rasura R at infra *regali.* | *moralitas* LR *molitur* ed.

in descriptione regiae domus. nam cum hospites in convivium vocamus, pro eorum meritis conponimus domum: si mediocres personae sunt, cum cotidiano ornatu instructio solita remanet, sin vero maioris meriti, addimus multa repentina solitis, ut placeamus iis quos officio volumus promereri. in domo igitur Didonis quid agebatur propter Aenean, qui, licet victus, licet naufragus, cum ingenti tamen fama nominis sui veniebat? domus, inquit, Didonis continuo usu iam splendida instruebatur in meliorem faciem, ne displiceret Aeneae. idcirco non sic pronuntiandum est, ut simul universa iungantur, sed separentur hoc modo: at domus interior regali splendida luxu et interiecta mora dicamus instruitur, ut iam splendida ex iugi consuetudine melius ornaretur propter Aenean. et Didonis enim splendori adsignari debuit hic ornatus et Aeneae contemplatio considerari, ne regina ante adventum Aeneae nullum regiae ambitionis cultum videatur habuisse aut Aeneas humilis redderetur, si nihil propter ipsum praeter consuetudinem iungeretur ornatui. domus ergo interior excolebatur solito melius. idcirco dixit interior, quia in exteriorem partem domus interim Troianos induxerat regina, donec necessaria convivio pararentur. *mediisque parant convivia tectis:* quoniam futurum fuit plurimorum convivium, ut fieri solet ubi omnis convivas non potuerint triclinia capere, quaecumque membra vel transitus fuerint stratis plurimis occupantur. hoc est quod dixit mediis tectis parant convivia. videamus iam accubitorum ipsorum rationem; et hic enim virtus facultatum

---

4 *maioris meriti* LR *magnificae* ed. 5 *iis* LR *his* ed. | *volimus* LR *volumus* r. 6 *in domo* — 7 *naufragus* om. *Aeneas* substituit ed. 9 *usus* L. 10 *sic* om. ed. 14 *ex iugi* R *exulgi* in ras. L II man. non satis perspicue *ex vulgi* HO ed. 15 *et* om. ed. | *debuit* LR *voluit vel d.* ed. 16 *contemplatione* ed. | *ne* LR *ne aut* r *ne si* ed. 18 *aut* LR *ut* ed. del. ed. post. 22 *convivio* LR *victui* ed. 25 *potuerunt* ed. | *priciinia* LR *triclinia* r *prima* quaere in marg. r′. 26 *fuerant* ed. 27 *accumbentium* ed. 28 *et hic* LR *et* om. ed.

et divitiarum reginae consideratur et meritum singulorum qui communicaturi convivium fuerant. omnia, inquit, convivia miro splendore parabantur, sed fuit in ipso apparatu diversitas propter distantiam personarum. parabant igitur convivia *arte laboratae vestis ostroque superbo.* hunc locum ex subiectis exponemus, ut appareat cur ostro superbo alia parata sint, alia vero arte laboratae vestis. cum enim omnis accumbentis describeret, ait (697) „cum venit, aulaeis iam se regina superbis aurea conposuit sponda mediamque locavit: iam pater Aeneas et iam Troiana iuventus conveniunt stratoque super discumbitur ostro“. ecce ostendit quod dixit ostroque superbo. item dixit (707) „nec non et Tyrii per limina laeta frequentes convenere toris iussi discumbere pictis“, ut responderet illi parti qua posuit arte laboratae vestis. honestius, ut fit, habiti sunt hospites, ut iisdem stratis quibus et regina uterentur, alii vero toris pictis, hoc est Tyrii. *ingens argentum mensis:* id- 640
circo adiecit mensis, ut ostenderet escarium argentum, ne putaretur in iis speciebus esse quae longe essent ab usu mensarum. *caelataque in auro fortia facta patrum, series longissima rerum per tot ducta viros antiquae ab origine gentis:* hic multiplex argenti laudatio; nam fuit ingentis formae perindeque magni ponderis, insignitum auro et decore mirabili, manu vero artificis ornatum, ut ars cum speciei pretio certare videretur, pictura autem speciebus ipsis adiecta gesta maiorum Didonis et originem continebat, quorum contemplatione meruit longissimo tempore reservari, supplementum laudis et specierum et ipsius dominae per tot ducta viros antiquae ab origine gentis: dignae species quae antiquitatem ac felicitatem maiorum Didonis picturis evidentissimis testarentur.

---

2 *conviviis* ed. 5 *vestis* LR et infra ubi ex verborum structura apparet Donatum revera sic legisse. 13 *iussui* LR. 15 *vestis* LR nec interpretatio aliam lectionem patitur et confirmatur v. 708: *vestes* ed. ubique. | *habendi* ed. 20 *caelataque* LR *collectaque* ed. 28 *supplementum laudis* cf. v. 730, quare similiter distinxi sequentia, *ad suppl.* r.

Interea cum videret Aeneas parari convivium, se intra tecta vocatum esse cum suis, tanta nomine munerum sociis missa atque omnia esse in tuto, *rapidum,* inquit, *ad*
645 *navis praemittit Achaten, Ascanio ferat haec ipsumque ad moenia ducat.* hic ab iis qui verum intellectum non advertunt exoritur quaestio, quia dixit praemittit Achaten, cum ipse secuturus non esset, et putant in eo esse vitium. alii dicunt rapidum prae valde rapidum intellegendum, hoc est satis velocem mittit. sed utrumque non est verum; nam re vera praemittit proprie et necessarie positum est. urgebatur enim Aeneas pietatis ratione, ut videret maturius filium, rebus scilicet in tuto conlocatis, urgebatur alia quoque causa; nam cum vellet aliqua munera Didoni offerre, oportunum tempus, quod tradendis muneribus ante horam convivii esse debuit, nolebat amittere: rapidum ergo Achaten praemisit, hoc est mandatis instructum ut, antequam pranderetur, veniret et celeritate reditus prandio praevento munera oportune perferret. Ascanio ferat haec ipsumque ad moenia ducat. *omnis in Ascanio cari stat cura parentis:* securus de omnibus effectus Aeneas de solo iam videndo filio cogitabat. denique misit qui ei nuntiaret quae gererentur et misit eum de cuius relatione non dubitaret Ascanius. probamenta autem tutae securitatis his indiciis fuerunt, quod eum pater ad se venire praecepit; solius enim remanserat cura, quia conspectibus patris fuerat separatus. *munera praeterea Iliacis erepta ruinis ferre iubet:* multiplex laudatio munerum, quae properabat Aeneas ante initum convivium dare; nam, ut

---

1 *Aeneae* R corr. r. 2 *nomine* LR *nomina* r *varietate* ed. 3 *omnia esse* om. ed. 5 *his* LR ed. *iis* nos cf. 637. 6 *dicit* ed. 7 *et* — 8 *dicunt* om. ed. 8 *rapidum prae* LR (cf. Servium hoc loco et 6, 382) *praerapidum* r *r. pro* ed. 9 *sed* — 10 *praemittit* om. ed.: optimo ergo tenore restituta ex codd. interpretatio decurrit et irritum est quod et ego et Burckasius et Hoppius Donatum hoc loco socordiae accusavimus. 18 *praevento* LR *non praeveniente* ed. | *praeferret* ed. 20 *so* R *solo* r = L. 24 *enim* R *eum* r = L. 25 *solius* — 26 *separatus* corrupit ed.

dictum est, ob hanc causam praemiserat, ut horam prandii praeveniret. gratior enim pransurus accumberet oblatis traditisque muneribus tantis ac talibus. munerum ergo ipsorum laus inducitur, per quae ostentatio posset existere, ut quae fortuna et felicitas Troianorum fuisset posset ostendi et probaretur animus largitoris qui talia habere vel donare potuisset. prima ergo ipsorum laus est quod essent erepta de ruinis patriae, cum incendio superata concideret, quae ipsa duplici ratione intelleguntur de magnis erepta et plurimis. diximus enim occasione specierum ipsarum Aenean laudari. si enim casu quod potuit rapuit, intellegetur habuisse meliora illis, quae incendia consumpserant aut ruina oppresserat, aut si habuit eligendi copiam, ut quod vellet eriperet, non abstulisset nisi quod esset meriti potioris. *pallam,* inquit, *signis auroque rigentem et circumtextum croceo velamen acantho, ornatus Ar-* 650
*givae Helenae:* Helenam ferunt Argivam veterum fabulae et omnium consensus auctorum fuisse pulcherrimam, in tantum ut eius forma infinitorum pictorum et peritissimorum redacto in unum maximo numero, feminarum quoque propositis corporibus nudis pingi nequiverit. itaque quaecumque femina formosa fuerat Helenae nuncupabatur nomine, etiamsi pulchritudinis ratione Argivae Helenae aequari non poterat, ut vel nominis similitudine iuvaretur, ut diceretur esse quod non erat. idcirco Vergilius ait ornatus Argivae Helenae, ut regionis signo monstraret de ea se loqui Helena quae pingi non potuit, addens alia, ut lecturos redderet certiores: *quos illa Mycenis,* inquit, *Pergama cum peteret inconcessosque hymenaeos, extulerat, matris Ledae mirabile donum.* diximus ergo primum meritum istarum specierum quod sint ereptae de ruinis et casibus patriae. accedit aliud: ipsa enim Helena cum esset regis uxor perindeque locupletissima, cum iret ad

---

5 *ut* LR *et* r. 6 *largitionis* ed. | *qui* LR *quia* ed. 12 *quae* ad *meliora* pertinet, non ad *illis*, quare distinxi. 25 *ut diceretur* LR *et d.* edF. 27 *se* om. ed. 28 *inquit* om. ed. 31 *specierum esse* ed.

Troiam, has utpote praecipuas secum sustulit non rediturам se sperans propter admissum adulterium; nam idcirco positum est quos illa Mycenis, Pergama cum peteret inconcessosque hymenaeos, extulerat. addidit etiam matris Ledae mirabile donum, ut tantae pulchritudinis et tanti meriti species nisi a matre donari non potuerint, et, cum donarentur, miratos esse qui vidissent quam laudare potuissent. has ergo idcirco eam secum dixit avexisse, quod ipsis uteretur, quotiens volebat esse formosior, ipsis sine dubio etiam adultero suo melius placitura. ecce meritum munerum quot generibus vel modis expressum, quae superabant formam quae pingi non valuit pulchrioremque reddebant. dicendo ergo ornatus Argivae Helenae hoc sentiri Vergilius voluit, speciebus ipsis superatam illius mulieris formam redditamque pulchriorem. *praeterea sceptrum:* huic quoque additur meritum sic: *Ilione quod gesserat olim, maxima natarum Priami.* quod habuit, inquit, praecipui et nobilis regis filia et natu maxima; solent enim religiosi parentes quae habent optima filiis deferre maio-
655 ribus. *colloque monile bacatum et duplicem gemmis auroque coronam:* haec quoque admiranda debent intellegi. non enim dissimilia esse possent quae tantus tamque opulentissimus rex et benivolus pater filiae natu maximae contulisse docebatur. *haec celerans iter ad navis tendebat Achates:* celerans inquit, laudat hominis diligentiam qui mandata cum celeritate conplebat, quorum effectus, cum praedictis causis et ratione temporis urgeretur, maturitatem plenissimam requirebat.

*At Cytherea,* hoc est cum haec gererentur, *novas artes, nova pectore versat consilia, ut faciem mutatus et ora Cu-*

---

7 *miratos* LR *potius m.* r in marg. | *quam laudare potuisse* LR *quum l. illas potuissent* ed. *quam l. potuissent* nos (i. e. matrem). 8 *eam* om. ed. 10 *etiam* transpos. ed. 11 *expressit* ed. 12 *valuit* LR *potuit* ed. 14 *sentiri* LR *intellegi* ed. 16 *Ilionae* LR. 23 *opulentissimus* LR *opulentus* r sed cf. 11, 226. 24 *dicebatur* ed. 27 *et ratione* L *et rationem* R *ex ratione* ed.

*pido pro dulci Ascanio veniat donisque furentem incendat* 660 *reginam atque ossibus inplicet ignem. quippe domum timet ambiguam Tyriosque bilinguis, urit atrox Iuno et sub noctem cura recursat.* magna et necessaria metuentis Veneris deliberatio, cuius aestus augebat consideratio loci, temporis atque personae. Aeneas quippe Achaten miserat, mandata eius debuit inplere, sollicitabatur Venus, quod iam teneretur Aeneas, credendus eo et committendus non erat nepos. quamvis enim fuissent Troes libenter et tota humanitate suscepti, metuebatur tamen hominum natura infidelis et fallax, stimulabat Iunonis pessimum studium, ne temporis oportunitate captata, occasione quoque loci suadente, qui Troianos in unum congesserat, quos naufragium extinguere non potuit faceret in terris Carthaginis interire. exquiruntur igitur artes novae et consilia elaborata capiuntur, ut Ascanius non pergeret et Achates tamen iussa conpleret. quanta subtilitate usa est Venus, ut deductorem ipsum primitus falleret, dehinc ceteros ad quos fuerat Cupido venturus, sequenti etiam patrem! hoc commentum proficiebat et illi parti, quod sollicitabant Venerem temporis ratio et exiguae substantiae, quia nec resistendi copia fuit per paucos nec fugiendi, quod hiemis causa et navium vitiis inpedirentur, quas constabat esse convulsas. his itaque cum merito angeretur, providendum fuit ne ubi filius eius cum periculo et levi amicitia tenebatur mitteretur et nepos, ne, si forte aliquid adversi existeret, omnis progenies interiret. magnum itaque exigebat sollicitudo ista tractatum, ut neque Ascanius pergeret et Aeneae praeceptis non negaretur effectus, nihilo minus etiam ipsius Aeneae salus uno eodemque consilio conlocaretur in tuto. statuit ergo secundum definitionem

5 *augebat* L *agebat* R *angebat* ed. 6 *miserat* L R *m. qui* ed. 8 *teneretur* L r *teneret* R *tenetur* ed. 9 *erat* L R *fuit* ed. 19 *patrem* L R *parti* r addito in marg. quaere. 20 *esset* L *eet* R *et* nos *esse* edI om. edF. 23 *inpederentur* L *inpenderentur* R *impedirentur* r ed. 26 *nisi* R *ne si* r = L. 29 *et — non* L R *neque* ed.

tractatus sui Cupidinem in Ascanii figuram commutandum atque mittendum, ut hoc genere Ascanium subtraheret, amaret Aenean Dido et Aeneas ipse tutior redderetur, vinceretur perinde Iunonis factio inimicae, ut, etiamsi aliquid adversi niteretur, inplere non posset, cessantibus universis per quos nocere posset. *ergo his aligerum dictis adfatur Amorem.* cum inducitur adlocutio Veneris ad Cupidinem, ibi consilia omnia nove inventa panduntur et, quia exigebat ratio temporis brevitatem, paucis usa est, sed multa conplexa servata illa parte rhetoricae disciplinae sine qua orator nihil est; nam et personarum et loci et temporis rationem tenuit et quid vellet exposuit et quomodo fieri posset ostendit, honestum quoque, facile et necessarium demonstravit, quaestionibus quae inpedimento esse negotio possent quasi obiectis respondit. duxit ergo a nomine naturali principium dicendo *nate* et mira arte hoc primum posuit. officia enim sanguinis filii parentibus in quibuscumque causis negare non debent et tunc magis coguntur ad inplendum quod parentes voluerint, si blandimentis potius quam iubendi auctoritate provocentur. sequitur *meae vires, mea magna potentia:* vindicat sibi, inquit, necessitudo parentum quicquid liberi possunt. hoc loco Vergilius docet inter filios et parentes tale debere esse volendi aut nolendi studium, ut in multis licet corporibus voluntas una et necessitudinis vinculum indistinc-
665 tum integrumque perduret. *solus, nate, patris summi qui tela Typhoea temnis, ad te confugio et supplex tua numina posco:* sunt qui ita distinguant: mea magna potentia solus, et tunc posset, si melior ratio non occurreret. idcirco enim positum est solus, nate, patris summi qui tela Typhoea temnis, ut ostenderetur facile esse quod Venus effici cupiebat. qui enim potuit fulmina Iovis contemnere

---

3 *Dido et* LR *et* om. ed. 4 *inimicae* L item R, sed ipse ut videtur expunxit et *iunonis* suprascripsit. | *factio* L *f. inimicae* R. | *etiamsi* L *si etiam* R. 8 *cupiditatem* LR *cupidinem* corr. R ipse. 24 *aut* LR *ac* ed. 29 *sed tunc* LR ed. *et t.* nos. | *si* LR *quum* ed. 32 *fulmen* LR ed. *fulmena* corr. R ipse *fulmina* r.

ex quibus Typhoeus exarsit facilius potuit mentem feminae possidere. et illud intellegi potest, idcirco Iovis contempti factam esse commemorationem, ne ille se excusaret propter Iunonem. si enim contemptus est aliquando Iuppiter et Amori subiugatus, Iuno procul dubio contemni debuit, quam inferiorem fuisse constabat. fecit ergo benivolum dicendo filium, fecit benivolum dicendo quod potior esset ipso Iove diversis eum amoribus exagitando, fecit benivolum dicendo potentia mea et quicquid virium habere me puto per te habeo, arsit incendio tuo Iuppiter, nullius debes in desiderio meo contemplatione revocari. ecce addit alia, quibus eum ad conplenda quae necessitas exigebat ratione pietatis urgeret. ad te, inquit, confugio, si esset alter qui tantum mihi deberet aut tantum posset quantum tu potes, ipsum quaererem, nunc, quia solus es qui debeas velle et possis inplere quod volo, non tantum confugio ad te verum etiam supplex tua numina posco. ecce omnis partis executa est, quippe et admonuit pietatis ut filium et rogavit ut deum, ut omni ex parte coartatus non deesset obsequiis matris. quid putamus ei oneris accessisse, cum rogatus est ab ea quae auctoritate parentis iubere debuerat? sed hoc necessitas fecit, ut ille precibus et necessitudine sanguinis flexus rebus rite conplendis operam daret. peracta principiorum parte qua fecit benivolum consequenter facit attentum, qua occasione ostendit metus sui causas: *frater,* inquit, *ut Aeneas pelago tuus omnia circum litora iacteturque odiis Iunonis iniquae nota tibi.* posteaquam benivolum fecit et attentum, incipit docilem facere subiuncta continuo narratione totius negotii,

1 *et quibus* LR ed. *ex qu.* r. | *poterit* ed. 2 *contemni* LR *contempti* r ed. 6 *fuisse* LR *esse* ed. 8 *a maioribus* R *amoribus* r = L. 19 *et omni* R *ut o.* r = L. 26 *metus* LR *consilii* ed. | *causas* LR *c. dicens* ed. | *inquit* om. ed. 27 *iacteturque* LR *que* om. ed.: nec vacat *que*, ut Servius opinatur, nec poeta plura inserturus fuit, ut Ribbeckius suspicatur, nec vitium aliquod residet, ut Wagnero videtur, sed *odiis* et *pelago* particula coniunguntur more apud poetas frequentissimo suo loco mota (cf. Hor. carm. 2, 19, 32). 29 *continue* ed.

sed praemittit necessaria, quibus animus audituri non inmerito moveretur, non recedens a personarum ratione; nam in principiis se appellavit matrem et Cupidinem filium, hic Aenean noluit filium dicere, sed, quod faciebat ad causam, frater, inquit, tuus ostendens operam eius non in extranei alicuius negotio, sed in fratris esse necessariam: quod fuit sine dubio honestum et pium, ut frater pro fratre laboraret, vel maxime in salutis causa. dicta Aeneae persona dicit labores eius cum miseratione infortunia quoque infanda commemorans. et, ut magis auxiliandi provocaret adfectum, dicit eum omnia inmeritum pati et deformat inimicae personam quae persequeretur innoxium. cum enim dicit frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum litora iacteturque odiis Iunonis iniquae, iniquam dicendo ostendit Aeneae nullam culpam extare. iniquus est enim quisquis non praecedente peccato persequitur quemquam et perniciose persequitur. atque, ut vere iniquam probaret et maiore oneraret invidia, persequitur, inquit, eum omnia circum litora, ut nullo loco nocendi occasionem praetermiserit: ac per hoc nec in praesenti omissuram intentionem odii sui. his addidit nota tibi: et hoc ad laudem Cupidinis pertinebat; maximum enim crimen eius esset, si fratris adversa nesciret. unde autem Venus nota esse fratri fratris incommoda diceret ipsa evidenter adfirmat dicendo *et nostro doluisti saepe dolore.* hoc genere conpellit eum ad ea conplenda quae fratri essent profutura; si enim praeterita frequenter doluit, debet etiam nunc cavere ne iterum dolenda succedant.

670 *nunc Phoenissa tenet Dido blandisque moratur vocibus:* praestruit sine labore posse perfici quod erat dictura faciendum. iam, inquit, tenet eum Dido usque adeo bona voluntate, ut fabulis blandis moras procuret, ne quoquam abscedat, ostendens non esse difficile ut teneatur animus

---

2 *movetur* ed. 11 *effectum* r. 27 *praeteritis* ed. 29 *hunc* LR ed., sed per *iam* explicatur, unde Donatum *nunc* legisse apparet.

eius adfectu ac per hoc non esse iam necessarium amoris initium, quod habere difficultatem posset, sed amoris augmentum. verum ne Cupido diceret si iam amat, quid opus est ut ad eam pergam? utrumque poeta servavit: et ostendit nullam esse in causa difficultatem, quod iam Dido amaret, et dixit necessitatem, quia ipsius amoris desideraretur augmentum. ait enim *vereor quo se Iunonia vertant hospitia:* cum hoc dicit, ostendit talem amorem Didonis fuisse qui factione Iunonis, quae in illa civitate magna veneratione coleretur, posset abrumpi, proinde necessario quaeri rebus iam conlocatis firmamentum, ut talis amor inponeretur Cupidinis opera quem inimicae potentis nisus expugnare non posset. voluntarius quippe amoris adsensus et humano arbitrio exortus facile potuit eadem voluntate dissolvi, etiamsi Iuno e diverso non esset, sin vero divinis ardoribus fuisset iniectus, hunc nec Didonis perfidia rumpere potuisset nec Iunonis auctoritas. *haut tanto cessabit cardine rerum:* cardo est proprie qui ianuam tenet vel postis, hic fidem facit, cum fores clauduntur, et tribuit firmitatem, denique ipse Vergilius, cum patefactum Priameiae domus vestibulum diceret (2, 493), „et emoti", inquit, „procumbunt cardine postes". translatione igitur hic usus poeta ait haut tanto cessabit cardine rerum; erat enim in potestate voluntate dissolvere amorem quem voluntate susceperat, ceterum divinitus inpactus non posset humano arbitrio submoveri. adserit ergo necessarium esse remedium cui omnis illa factio superata succumbat. idcirco ait *quocirca capere ante dolis et cingere flamma reginam meditor, ne quo se numine mutet, sed magno* 675 *Aeneae mecum teneatur amore,* ut non tantum amet Aenean quantum iudicio suo amandum putat, sed tantum maiore violentia cogatur in amorem quantum mater amat filium, cuius amor nullius violentia numinis valet abrumpi. quocirca capere ante dolis: tractat Vergilius praevenienda

2 *sed* LR *seu* ed. 9 *factione* LR *ratione* ed. 11 *fundamentum* ed. 13 *nisus* LR *visus* ed. 24 *voluntate* om. ed.

esse remedio mala quae metuimus ne accidant quam velle adflictis rebus et perditis subvenire. narrata desideriorum summa quaestionibusque omnibus diligenti examinatione discussis, ut super effectu desiderii conplendo instructum Cupidinem redderet, necessaria protulit. plurimum enim prodest in rebus gerendis iuvare consilio eum quem negotio expediendo praefecerit quisquam; libenter quippe mandata suscipiet, cum adverterit inpositum munus compendioso remedio relevatum. dicit ergo consilium suum instructum ratione personae, loci quoque et temporis. temporis, quo Ascanius iussu patris venire praeceptus est. hoc est quod ait *regius accitu cari genitoris ad urbem Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura.* personae, quod in Cupidine et Ascanio aetas consimilis esset. merito dixit puer ire parat, quia disposuerat dicere et notos pueri puer indue vultus: praestruebat, ut ostenderet in commutatione formae aetatis commutationem non futuram esse difficilem. ad personae rationem etiam illud accedit quod consilii spondebat effectum: illi enim sperabat reginam daturam oscula utpote puero, et dulcia, quia amabilis est aetas puerilis. cuius personae gratiam auctura erat perlatio munerum; nam primo libenter gratiae danti referuntur, in honore est etiam ille qui munerum perlator extitit. *dona ferens pelago et flammis restantia Troiae:* talia, inquit, dona quae ex maiore vi, ignis scilicet et pelagi, liberari potuerunt vel superesse, hoc ideo, ut viderentur interisse meliora. interea ad personae rationem etiam hoc pertinet quod ait mea maxima cura; nolebat enim mittere Ascanium, ne duorum sollicitudine frangeretur, vel ne eum mitteret qui exoriente violentia vel dolo sibi per aetatem adesse non

---

1 *esse* om. ed. 6 *in negotio* ed. 7 *quispiam* ed. 16 *commutatione* LR *communione* r. 17 *aetatis* LR *et aetatis* r. 21 *praelatio* ed. 25 *scilicet* LR *sunt sublata* in marg. add. r′ (in L manu aliena quaedam litterae superscriptae extant quas legere non potui). | *pelagi* LR *non quae* in marg. add. r′ quod quid sibi velit non intellego. | *non potuerunt* LR ed. *non* delevi cf. 647.

posset, vel quia ultra liberorum adfectum nepotes haberi dicuntur. ne autem diceret Cupido cum ego perrexero,
quid fiet, si sequatur Ascanius? ait *hunc ego sopitum* 680
*somno super alta Cythera aut super Idalium sacrata sede recondam, ne qua scire dolos mediusve occurrere possit.* bene somno se dixit capturam puerum; in quibus enim actibus illa aetas posset retineri? vel certe quia pueri omni cura vacui altius et diutius dormiunt et mora fuerat necessaria, dum Cupido iniuncta matris inpleret. adnectit mandati summam, simul etiam faciendi consilium suggerit oportunitate temporis expeditum et idoneum satis ad capiendos mulieris animos; mulier quippe mandabat quae feminarum motus optime nosset. designat igitur tempus quod amoribus oportunum est, designat etiam locum: *tu,* inquit, *faciem illius noctem non amplius unam falle dolo*
*et notos pueri puer indue vultus, ut, cum te gremio ac-* 685
*cipiet laetissima Dido regalis inter mensas laticemque Lyaeum, [cum dabit amplexus atque oscula dulcia figet, occultum inspires ignem fallasque veneno].* huic sententiae etiam Terentius attestatur, qui dixit (eun. 4, 5, 6) „sine Cerere et Libero friget Venus". unde hic facilior esse potuit mentis inclinatio, quia utrumque suppetebat utpote in reginae convivio. noctem non amplius unam, ut ostenderet non longi temporis operam necessariam et mature id fieri debere, quia Ascanius non potuit prolixo spatio somni occupationibus detineri. conpletis omnibus quae artifex et sollicita loquebatur videamus quid adsignet personae fili. nullum dat ille responsum. quid enim personae matris vel maxime in tali causa responderet? et tempus facta, non verba vel fabulas exigebat. *paret Amor dictis*
*carae genetricis et alas exuit et gressu gaudens incedit* 690

---

6 *capturum* ed. | *enim* om. ed. 9 *iniuncta* LR ed. (in L eadem quae supra manus litteras quasdam in marg. add. quas legere non potui). | *compleret* ed. 13 *metus* LR ed. *motus* r nos cf. 2, 547. 14 *locum* LR *l. dicens* ed. 15 *inquit* om. ed. 18 *cum* — 19 *veneno* deest in LR sed explicatur loco Terentii. 20 *attestatur* LR *assentitur* ed.

*Iuli:* officiosi fili partis commendat, quippe quem hortabatur matris adfectus et fratris caritas excitabat. exponebat autem alas, ut alienam speciem mentiri potuisset. et gressu gaudens incedit Iuli: gaudentem inducit Cupidinem, vel quod quasi Ascanius ibat ad patrem, vel quod plena voluntate iussa matris inplebat. hoc est enim praecipuum obsequentis studium, si libens agat quae praecepta sunt quam invitus conpleat. ergo Cupido agebat partis suas. *at Venus Ascanio placidam per membra quietem inrigat et fotum gremio dea tollit in altos Idaliae lucos, ubi mollis amaracus illum floribus et dulci adspirans conplectitur umbra:* tractatur natura hominis et aetatis; pueri enim facile dormiunt utpote securi, quod facilius fit et diu, si accedant alia quae animum cuiusque diverso suavitatis sensu magis ac magis invitent. providetur lucus, mollities quoque et flores, odor florum, secessus, silentium
695 et opacitas umbrarum. *ibat,* inquit, *[dicto parens et dona Cupido regia portabat Tyriis] duce laetus Achate:* ecce subtilitas simulantis alienam personam, ipsum primo Achaten fallit, qui alium ducens pro alio transfigurationem factam non videbat. portabat dona regia et laetus fuit: non fatigabatur puer onere munerum nec taedio ponderis aut itineris frangebatur; supra enim dixit „pallam signis auroque rigentem“ et „sceptrum Ilione quod gesserat olim“, ut ostenderet species quas puer pro levibus ferre non posset.

*Cum venit, aulaeis iam se regina superbis aurea conposuit sponda mediamque locavit:* ecce provenit oportunitas loci et temporis quam praedixerat Venus; nam ea hora qua Cupido pro Ascanio veniebat coeperat discumbi. et primum quidem discubuisse inducit convivii dominam ea ambitione quae conveniebat reginae, eo vel maxime tempore quo susceperat hospitio tantum regem ceterosque

---

1 *officiosi fili partis* L *o. f. paris* R *officio se filius pari* r′. 2 *exponebat* LR *exuebat* ed. 3 *posset* ed. 8 *quam* LR *nec* ed. 14 *accedunt* ed. 15 *lucus* LR *locus* ed. 16 *secessus* Lr *recessus* R ed. 17 *ibat inquit* LR *dicit ibat* ed. | *dicto* — 18 *Tyriis* deest in LR, sed explicatur. 25 *levi* ed.

Troianos, eo loco qui potior apud veteres fuit; denique et Sallustius (hist. III 83 M.) Sertorii convivium sic describit, ut ipsum, quia potior fuit, conlocasset in medio. *iam pater Aeneas et iam Troiana iuventus conveniunt stratoque* 700 *super discumbitur ostro:* non iuventus conveniunt, sed Aeneas et iuventus Troiana simul conveniunt; ut autem eorum meritum emineret, deferuntur iis loca talia quae ostro confectis vestibus fuerant superfusa. *dant manibus famuli lymphas cereremque canistris expediunt tonsisque ferunt mantelia villis:* hic dispositionem familiae regalis ostendit: alii enim hoc est viri aquam abluendis manibus dabant, alii mantelia porrigebant quibus manus ablutae tergerentur, alii canistris panem ministrabant. mos enim fertur apud veteres fuisse ut panis non argenteis vasculis inferretur, sed canistris hoc est speciebus factis ex vimine. *quinquaginta intus famulae, quibus ordine longo cura penum struere et flammis adolere penates:* longus ordo est, cum multi eandem rem servatis vicibus administrant. ubi igitur fuerant quinquaginta ad quarum curam pertinebat procuratio cellarii et deorum penatium cultus, procul dubio illas longo ordine vicissitudo tangebat. *centum aliae to-* 705 *tidemque pares aetate ministri qui dapibus mensas onerent et pocula ponant:* quanta elegantia quantaque brevitate divitias expressit atque laudavit! cum enim vellet ducentorum facere mentionem eorumque sexus atque aetates discernere, non tenuit circumitum, ut diceret ducentos, ex quibus essent centum mares et centum feminae et omnes unius essent aetatis, sed celeritate usus et numerum et aetatem unum et utrumque sexum expressit. hic leviter legentes accipiunt ducentorum descriptionem in quibus eadem aetas fuit, sed nihil magnum aestimantes, si regina ad hanc partem officii ducentis ministris utebatur. et revera nihil fuit magnum ad divitias regalis exprimendas

---

3 *conlocasset* LR om. edI *collocarit* edF: Donati testimonium omiserunt fragmentorum Sallustii editores. 7 *iis* LR *his* ed. 10 *mantilia* ed. 27 *et centum* Lr *et* om. R. 29 *et aetatem* om. ed. | *unum* L *unam* R. 33 *exprimendas* om. ed.

nec memorabile, si numeri tantummodo faceret mentionem, taceret de aetate; cum autem hoc ipsum adiecit dicens pares aetate, illic omnem familiae copiam, decorem quoque et substantiam demonstravit. in evidenti est enim quanta servorum reginae fuerit multitudo, ex qua ducenti pares aetate deligi potuerunt digni qui curarent supra dicta. *nec non et Tyrii per limina laeta frequentes convenere toris iussi discumbere pictis:* ecce diversum discumbentium meritum: Troiani super ostrum discumbebant, Tyrii vero super pictas vestes ac per hoc inferioris pretii. hoc est quod superius dixit (638) „mediisque parant convivia tectis arte laboratae vestis ostroque superbo“. hospitibus delatum est ut super ostrum discumberent, civibus vero pictarum vestium locus attributus est. *mirantur dona Aeneae:* hunc locum duplici intellectu positum debemus accipere et utrumque ad Aeneae laudem pertinentem. si enim consideremus personam Didonis, cui Tyrii obsequebantur et regina fuit et uxor divitis, ipsa quoque ditissima, illic inveniemus specierum laudem cumulatam. mirabantur ergo quae ad donandum Cupido pervexerat, quem putabant Iulum esse, perindeque admiratione monstrabant reginam suam talis species numquam habuisse nec apud quemquam se vidisse. alter intellectus est in eo quod dictum est mirantur dona Aeneae, hoc est mirantur talia Aenean vel habere vel donare potuisse, mirantur igitur substantiam et animum largientis. *mirantur*
710 *et Iulum flagrantisque dei vultus,* utpote eum qui sub mortali forma habuerit inmortalis numinis dignitatem. hoc ex persona poetae dictum debemus accipere, ceterum omnes qui aderant Iulum esse arbitrabantur. *praecipue infelix, [pesti devota futurae expleri mentem nequit ardescit-*

1 *dememorabile* LR edI *nec mem.* r *et m.* edF. 3 *omnem* LR *omnibus* ed. 12 *vestis* L *vestres* R *vestes* ed. cf. 639. 18 *et regina* LR *quod et reg.* r. 22 *regnum suum* ed. 23 *se* LR *istas* ed. 26—27 *mirantur et* LR *et* om. ed., sed non lemmatis esse vult Don. 31 *pesti* — 139, 1 *movetur* deest in LR, sed explicatur.

*que tuendo Phoenissa et pariter puero donisque movetur]:* cum omnis, inquit, teneret admiratio, tum vero Didonem, quae non satiabatur videndo, sed magna consideratione nutriebat incendium sensibus suis, quod fuerat peritura. ardescit tuendo a contrario posuit; consideratio enim satis intenta fastidium parere debet, non inexplebile desiderium. *ille ubi conplexu Aeneae colloque pependit:* etiam hic magnum poetae consilium; primo enim obsequium patri Ascani repraesentari convenerat, ut ipso primitus in errorem misso transfigurationem non intellegerent etiam ceteri. atque ita factum est; nam secutum est *et magnum falsi inplevit genitoris amorem, reginam petit:* falsi inquit, non quod non esset pater eius, sed quod Aenean ipsum Ascani patrem primo subtiliter Cupido fefellisset, quia Aeneas in tantum errorem missus est, ut arbitraretur se filium amplecti et osculari praesentem. ergo non intellegente insidias patre quasi verum hospitis filium venientem ad se regina suscepit. *haec oculis, haec pectore toto haeret et interdum gremio fovet:* exhibens omnem benivolentiae adfectum intuebatur eum libenter et interdum gremio continebat. *inscia Dido insidat quantus miserae deus:* tanto libentius puerum inprudens Dido gremio confovebat, quanto nesciebat qualem deum admoveret amplexibus suis. bene autem miseram dixit quae ignara gestorum benignum in omnibus animum repraesentabat, quae esse potuit inimica, cum ex eo ipso pararetur ad mortem. *at memor ille matris Acidaliae paulatim abolere Sychaeum incipit et vivo temptat praevertere amore iam pridem resides animos desuetaque corda;* novus enim amor inferri non posset, nisi vetus

---

2 *admirati tum mo* LR *admiratio tum magis* r *a. eo m.* ed. *a. tum vero* nos. 3 *si* LR *sed* r ed. 4 *quod* LR ed. *quo* O nescio an recte. | *peritura* LR *perceptura* ed. 5 *ardescitque* ed. | *considerationi* LR ed. *consideratio enim* nos. 6 *intenta* LR *intentae* ed. 8 *consilium* LR *c. est* ed. 12 *inplebit* LR corr. L ipse r. 14 *qui* LR *quo* ed. *quia* nos. 15 *arbitrarentur* R corr. r. 18 *reginam* R. 19 *omnem* LR *omnibus* ed. | *adfectum* LR *aspectum* ed. 21 *insideat* ed.

primo fuisset exclusus, qui ipse, quoniam sensibus Didonis altius insederat, non semel hoc est non uno inpulsu, sed paulatim potuit aboleri. et cui amor coniugalis novus propter Sychaei memoriam vehementer horrebat sensim potuit in praesentis amores induci, vel maxime quia aliquanto tempore desierat videre cuius amore tenebatur. interea sciendum est induci Didonem castam, divitem, pulchram, idcirco deceptam per Cupidinem, ut etiam in eo existimationem non tantum ipsius Didonis verum etiam Aeneae poeta conservet, ne illum ignobilis femina proiecti pudoris sponte amasse aut provocata muneribus videatur aut ille malis subversus innumeris de amoribus inlicitis cogitasse.

*Postquam prima quies epulis mensaeque remotae, crateras magnos statuunt et vina coronant:* mos prolixi et publici convivii describitur; nam confectis epulis bibendi
725 studium sequitur. *fit strepitus tectis vocemque per ampla volutant atria:* sine strepitu enim et clamoribus multitudinis perpotantis esse non potuit. *dependent lychni laquearibus aureis incensi:* huius loci ordinatio talis est: dependent laquearibus aureis lychni incensi. *et noctem flammis funalia vincunt:* consummato iam perpotationibus die noctis tenebrae diversitate procurati luminis vincebantur. funalia autem debemus accipere faces ex funibus praeceratas. *hic regina gravem gemmis auroque poposcit inplevitque mero pateram,* hoc est poposcit pateram inplevitque mero. laus ipsius paterae; ibi enim apparere

---

4 *horrebat* LR cf. 4, 20 *haerebat* ed. 5 *praesentes* R. 6 *desiderat* LR corr. L ipse r. 7 *divitem* LR *d. et* ed. 11 *provata* R corr. r = L. 12 *illum* ed. | *subversus* LR *subversum* ed. *submersus*? 14 *prima quies* in rasura R *exemta fames* L ed. 15 *mos* R *mox* L, sed in *mos* corr. ipse *mox* ed. 15—16 *prolixum et publicum convivium* ed. 17 *iit* L *it* R, sed infra et 2, 1 *fit.* 18 *multitudinis* LR ed. *-do* r (*perpotantis* in *perpotans* corrigere omisit). 22 *consumatio* LR corr. r ed. 23 *diversitati* R corr. r. | *procurati* L *-te* R *-ta* r. 25 *praecaratas* LR *praeceratas* L II man. ed. *praeparatas* r.

poterunt divitiae, ibi veneratio, si decora vel magni meriti fuerint quibus deorum cultus inpletur. aurea, inquit, fuit et gemmis ornata. *quam Belus et omnes a Belo soliti:* 730 supplementum laudis est quia ipsa usi sunt maiores Didonis et durante merito usque ad ipsam per gradus succedendo transmissa est. *tum facta silentia tectis:* res divinas actura Didone omnium vox et strepitus conquievit. supra enim dixit „fit strepitus tectis vocemque per ampla volutant atria“. *Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur, [hunc laetum Tyriisque diem Troiaque profectis esse velis]:* dixit quem rogaret, dixit et eius virtutem vel potestatem. hoc dicendo ostendit hospitum causa se id facere adprobans factum ac demonstrans quod pleno voto Troianos excepisset, ut initam societatem hospitalis Iuppiter suo testimonio et studio roboraret, cum hoc illi Troiani non promisissent. cum autem ipsa esset Sidonia, quasi quodam mortis suae praesagio, Tyriorum et Troianorum fecit tantummodo mentionem, ut illis dies ille esset laetus. merito diei meminit, quod confirmabat et societatem per sacra et convivium; triste enim fuit tenebras nominare vel noctem, vel maxime quia continuatio diem nocti coniunxerat et nondum itum erat ad requiem. *nostrosque huius meminisse minores,* sicuti factum est, ut etiam nunc duret de actibus Didonis fabula. *adsit laetitiae Bacchus dator:* vinum intellegimus dictum, sine quo laetitia esse in conviviis non potest, licet alio loco (georg. 2, 455) dixerit poeta ipse „Bacchus et ad culpam causas dedit“; sed hoc in potestate est hominis positum, si eo bene et moderate aut male et intemperanter utatur. plerumque enim quae ad salutem inventa sunt, dum male nonnulli utuntur, in perniciem et exitium cadunt. *et bona Iuno;* noverat enim inimicam fuisse Troianis: ut magis

---

1 *poterant* LR ed. *poterunt* nos propter *fuerint.* 10 *hunc* — 11 *velis* deest in LR, sed explicatur. 11 *rogavit* ed. | *vel* LR *et* ed. 19 *quod* LR edI *quo* r edF. | *et societatem* LR *s. et* ed. 29 *plene* R *bene* r = L.

735 bona quam cum solito odio interesset. *et vos o coetum, Tyrii, celebrate faventes:* ne esset aliqua incolarum adversus peregrinos aemulatio; quod ipsum quia noverat saepe fieri, inter ipsas sacrorum religiones interdixit. *dixit et in mensam laticum libavit honorem;* in conviviis enim cum huiusmodi honorificentia numinibus exhibetur, pro ara mensa succedit. *primaque libato summo tenus attigit ore:* prima propterea, vel quia ipsa libabat vel quia ipsa potior omnibus fuit utpote regina. summo tenus attigit ore: ut religionis potius quam vini cupidam demonstraret, summis labris tetigit poculum. *tum Bitiae dedit increpitans:* hic de potioribus fuit, denique in sequentibus dixit post alii proceres, ut ostenderet etiam Bitian de numero fuisse maiorum. increpitans: clara voce exhortans. idcirco autem hunc elegit cui porrigeret pateram, quod sciret eum vini esse amatorem, quod ipsum probatur ex eo quod sequitur. *ille inpiger hausit spumantem pateram et pleno se proluit auro:* et pateram, inquit, vacuam fecit et, cum avide biberet et tantum infunderet quantum fauces
740 eius transmittere non possent, perfudit etiam se. *post alii proceres:* intellegitur ritui obsecuti sunt. post exacta convivia, post honores divinos expletos, post consecrationem foederum, post consensum potiorum hoc est Bitiae et ceterorum principum inducitur ludorum descriptio. hic enim regibus vel personis potioribus mos est, ut peractis conviviis exhibeantur voluptates quae ad producendam potationem homines teneant. sed qualis ludos habuerit regina videamus: nihil fiebat turpe nec dicebatur obscenum, *cithara,* inquit, *crinitus Iopas personat aurata.* constat citharae artem inter honestas professiones numerari, denique per hanc Orpheus plurimum potuit, hanc etiam philosophi procul dubio graves et prudentes amant, hanc dili-

---

1 *q:·* (superscr. *u*) L *q·* R *quam* r nos om. ed. | *soluto* ed. 5 *mensa* ed. 9 *reginae* LR *regina* L ipse r. 15 *eligit* R. 17 *eo qui* LR *eo quod* L II man. r. 18 *et pateram* LR *cum* interpos. ed. 29 *inquit* om. ed. 30 *cytherea* LR *citharae* r ed. 31 *tenuit* R *potuit* r = L.

gunt Musae, quibus tradentibus in usus hominum venit, haec in agonibus hoc est sacris certaminibus coronatur: ecce ars honesta, convivium quoque non dissimile. videamus qualia canebat: *docuit,* inquit, *quem maximus Atlans,* hoc est non turpia aut obscena, sed venientia ex philosophiae fonte, quae docuerat Atlans maximus, plenus virtutum verae philosophiae. dicitur iam quid Atlans vel scripsit vel docuit: *errantem lunam solisque labores,* tractavit, inquit, cursus solis et lunae, *unde hominum genus et pecudes, unde imber et ignes, Arcturum pluviasque Hyadas geminosque Triones, quid tantum oceano properent se tinguere soles hiberni vel quae tardis mora noctibus obstet:* quae ille de rerum natura pertractans docuit haec Iopas et voce et iucunditate citharae personabat, scilicet cursibus solis et lunae stare hominum genus et pecorum, tractavit et quomodo imbres existant, unde committantur fulgura, unde siderum transitus fiat vel quibus ex causis in brevitatem aut longitudinem commutentur dies et noctes, quae omnia ad rerum naturam pertinent et nisi a doctissimis tractari non possunt. *ingeminant plausu Tyrii Troesque sequuntur:* primo dixit Tyrios plausum dedisse, deinde Troianos; nescientes enim consuetudinem reginae Troiani nihil debuerant priores efficere, ne in aliquo displicerent, sequi tamen eos qui ex more faciebant non fuit temerarium. universi interea in his voluptatibus fuerant occupati, hoc est cantando, audiendo, plaudendo vel bibendo, regina autem non aegre patiebatur noctem his generibus trahi, sed ipsa quoque morarum causas requirebat, quibus in longum vigilias duceret; aliis enim potantibus vinum ipsa amorem bibebat. idcirco ait *nec non et vario noctem sermone trahebat infelix Dido longumque bibebat amorem*

---

7 *verae* LR *et v.* ed. 10 *ignis* R *ignes* r = L. 14—15 *cursibus s. et l. stare* LR ed. *cursus s. et l. unde staret* r. 16 *et quomodo* L *et* om. R add. r. | *existunt* L ed. *existant* R. | *cum mittuntur* LR (*-antur* R) *mittuntur* ed. *committantur* nos (i. e. conficiantur). 20 *plausu* LR at 2, 1 *plausum*, qnod hic quoque habet ed. 23 *debuerunt* ed. | *aliquo* R *in a.* r = L.

750 *multa super Priamo rogitans, super Hectore multa, nunc quibus Aurorae venisset filius armis, nunc quales Diomedis equi, nunc quantus Achilles.* superflue quae noverat et picta habuit requirebat: quasi igitur summatim et specialitatem temnens haec inmisit sperans eas fabulas tantam moram parere potuisse quanta sufficiebat ei cuius animus de Aeneae praesentia satiari non poterat. interea ad procurandum temporis tractum ad generalitatem quoque sese convertit et usa interrogationibus novis ait *immo age et a prima dic, hospes, origine nobis insidias, inquit, Danaum*
755 *casusque tuorum errorcsque tuos.* brevis quidem propositio, sed quae non brevem narrationem fuisset habitura. respondetur ergo primis duabus propositionibus in secundo libro, tertiae autem in tertio. nam in secundo insidias Danaum et suorum casus executus est, in tertio vero errores suos numeravit, licet in tertio ipso etiam casus suorum nonnullos addiderit, cum de Polydoro, de perditis luis contagione sociis et de amisso patre locutus proditur. novissime posuit *nam te iam septima portat omnibus errantem terris et fluctibus aestas,* ut Aeneas intellegeret et gesta in Troia et septem annorum cursum sibi esse narrandum.

---

2 *aurora* LR *-rae* r. | *qualis* LR. 4 *quae si* LR *quasi* r nos *quae* ed. | *summatim et* LR *s. ex* r *summam retinent* absurde ed. | *specialitatem* L *specialitate* cum rasura super *e* R (huius auctor r videtur propter *ex*). 5 *tenens* LR ed. *temnens* nos: ceterum quod ad generalitatem transire Didonem dicit, vereor ne illa potius specialitas sit. 9 *usa* LR *orsa* ed. 11 *causasque* ed. corr. ed. post. 13 *prius* R *primis* r = L. 16 *ipse* ed. 17 *de* LR *et de* ed. 18 *orditur* LR ed. *proditur* nos. — subscriptio deest in L, sed spatium relictum. in R: *liber primus explicit*, tum in sequ. pag.: *Tiberii — — — liber secundus incipit.*

# AENEIDOS LIBER II.

Memor poeta superiorum, quoniam dixit (1, 725) „fit strepitus tectis vocemque per ampla volutant atria“ et (1, 740) „cithara crinitus Iopas personat“ et (1, 747) „ingeminant plausu Tyrii Troesque sequuntur, nec non et vario noctem sermone trahebat infelix Dido“, coepit secundum librum *conticuere omnes,* Tyrii scilicet et Troiani, qui strepebant vocibus et plausu, Iopas quoque et Dido ipsa. addidit etiam *intentique ora tenebant:* et tacuerunt, inquit, et desiderio ducebantur audiendi. tacuerunt partim propter eius honorificentiam qui fuerat locuturus, partim quia mens hominum novis fabularum contextionibus delectatur et regina volente audire debuerat exhiberi silentium, ne loquentem inpedirent et desideratum Didonis auditum clamoribus revocarent. *inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto* silentio facto: inde hoc est ex loco in quo discumbebat, atque ex altitudine tori, unde et videri potuisset et melius audiri. *infandum, regina, iubes renovare dolorem, Troianas ut opes et lamentabile regnum eruerint Danai quaeque ipse miserrima vidi et quorum pars magna fui: quis talia fando Myrmidonum Dolopumve aut duri miles Ulixi temperet a lacrimis? et iam nox umida caelo praecipitat suadentque cadentia sidera somnos. sed si tantus amor casus cognoscere nostros et breviter Troiae supremum audire laborem, quamquam animus meminisse horret luctuque refugit, incipiam.* narrationis istius

---

1 *poeta* om. edF. 4 *plausum* LR, at in I *plausu,* quod nulla interpretatione obstante recipiendum putavi. 11 *contectionibus* R. 19 *quoque* R corr. r. 21 *Ulyssi* ed. | *temperat* LR, at infra et 361 *temperet,* quod hic quoque habet r.

principia multas virtutes oratorias continent: nam et loci et temporis et personarum Vergilius memor est et Aenean ipsum inducit proposita retinere. quod cum vult ostendere, simul prolixa adserit et multa, quae nec loco nec tempori nec personis convenirent. haec erant vel maxime relaturo contraria; nam audire tristia et proprios dolores referre non est par nec aequali morsu animum ferit. sed quia haec cupiebat regina cognoscere, cuius voluntati pro ratione temporis relatio exacta negari non poterat, confugit ad brevitatis remedium, ut neque ipse multis dura referendo longos cruciatus incurreret neque Didonem tempore quietis fugiente plurimum vigilare perficeret. hoc loco supra artis praecepta Vergilius docet quid in talibus causis observandum sit; nam cum omnis narratio debeat brevitate succingi, tum magis colligenda est, cum propria mala narrantur. nullus enim haec refert, nisi fuerit aliqua ut Aeneas necessitate conpulsus. unde sentiendum est e contrario vitium non esse narrantis, si in relatione laetarum rerum aliquantum fuerit commoratus; prospera quippe et referentem iuvant et erigunt audientem. tractemus ergo infandum regina iubes renovare dolorem: dolores omnes qui ex malis accidentibus oriuntur non habent parem causam perindeque aequales esse non possunt. sunt igitur leves, sunt medii, sunt gravissimi, sunt ex multis diversisque infortuniis congesti et merito infandi. repetit ergo aliis verbis Didonis propositionem, ut ostendat multorum et gravium malorum relationem brevibus esse executionibus conficiendam et tunc, si tempus aut locus admittat ut aliquid inde referatur. ceterum in conventu convivii laetissimi et cum iam caelo nox praecipitaret somnos, nec triste nec prolixum aliquid adserit esse di-

4 *prolixa* LR *pr. esse* edF. 7 *per* R *par* r = L. 12 *perficeret* LR *proficeret* edI *cogeret* edF. 16 *referret* ed. | *fuerit* LR *esset* ed. 18 *de contrario* ed. | *narranti* ed. 20 *quippe* LR *quidem* ed. 26 *ostendit* R *-at* r = L. 28 *executionibus* R om. L *prosecutionibus* r vel *narrationibus* quaere r′. 29 *admittat* LR *abundat* ed.

cendum, personae quoque narraturi incongruum quaeri fabularum genus. quoniam Aeneas non aliena mala, sed propria fuerat narraturus et congesta ex infinitis adversis, idcirco ait infandum regina iubes renovare dolorem, Troianas ut opes et lamentabile regnum eruerint Danai. quod dixit Danai, abiecte pronuntiandum est quasi homines inbelles et nullius virtutis, Troianas autem magnas et merito lugendas, quaeque ipse miserrima vidi et quorum pars magna fui: perdiderat enim regnum, vidit miseranda in exitio Politis et Priami, vidit interisse cum patria omnis opes regni, uxorem quoque amisit et patrem et post omnia perdita malis adhuc innumeris vexabatur. certe nec ipsam Didonem in tanta laetitia conveniebat audire quod mala sua fleret enumerans. idcirco additum est quis talia fando Myrmidonum Dolopumve aut duri miles Ulixi temperet a lacrimis? talia, inquit, desideras audire ab eo qui passus est, quae si hostes ipsi referant vel audiant, non possint a fletibus temperare. ibi enim fuit unus ex Graecis Achaemenides, quem fleturum adserit, si Troiae casus acciperet. tempus quoque quod quieti hominum, non fabulis attributum est non esse multiloquio conterendum. quod ait et iam nox umida caelo praecipitat suadentque cadentia sidera somnos, nonnulli sic intellegunt: nox praecipitatur caelo et praecipitat positum pro praecipitatur. sed non ita est et magis sic intellegatur oportet: et iam nox umida caelo praecipitat somnos suadentque cadentia sidera somnos, ut hoc idem suaderent cadentia sidera quod nox umida caelo praecipitabat. hoc voluit dicere: iam media nox absumpta est, si quidem et aura umida iam coepit et sidera in occasum labuntur. haec enim non fiunt nisi maxima noctis parte transacta. sed si tantus amor casus cognoscere nostros et breviter Troiae supremum audire laborem, quamquam animus meminisse horret luctuque refugit, incipiam: si, inquit, res

1 *incongruum* LR *i. videretur* ed. 4 *dolorem* om. R add. r.
6 *est quasi* LR *et qu.* ed. 12 *multi* R *malis* r = L.

duras amas audire, multiformis luctus meos relationis brevitate constringam; quod enim horret animus meminisse veloci debet sermone transiri. incipit iam respondere primae propositioni et dicere insidias Danaum.

*Fracti bello fatisque repulsi ductores Danaum tot iam labentibus annis:* satis subtilis et artificiosa narratio hominis scilicet victi et eius qui videatur sibi, suis et patriae adesse nequisse, eius cuius auxilium Didoni metuenti omnia debuit videri necessarium, quod in spem certam venire non potuit, nisi Aeneas primo personam suam iusta defensione purgasset. sed haec a ratione temporis sumitur atque personae, nos, inquit, quod magis dolori est, non fortes vicerunt nec bello strenui. quod ipsum ut citius ostenderet et probaret, subnexuit argumentum a persona, ut dictum est, et tempore. a persona sic: fracti bello; nullus enim bello frangitur nisi inbellis, nullus bello frangitur nisi virtute resistentis. a tempore sic: tot iam labentibus annis, quoniam in congressione aperta per annos plurimos obtinere non potuerunt. fatisque repulsi: quamdiu, inquit, Troiae imperium fatis consentientibus stare potuit, repulsi sunt virtute nostra ductores Danaum. *instar montis equum divina Palladis arte aedificant sectaque intexunt abiete costas:* ecce inbellium factum! verterunt se ad insidias, ut desperatam in aperto marte victoriam adminiculo fraudis obtinere potuissent. proinde ad instar montis equum Palladis aedificant et divina arte costas eius intexunt. cur autem Palladis nomine aedificatus sit datur color quo possent homines ab insidiarum suspicione transduci: *votum,* inquit, *pro reditu simulant, ea fama vagatur.* sparsa est plena fraudis opinio, ut et illos studio bellandi deposito redituros Troiani crederent et in munere quod veluti ob reditum fuerant relicturi nulla sollicitudinis suspicio remaneret. hoc autem idcirco

---

9 *omnia* LR *per o.* ed. 11 *per temporis* LR *per* expunxit L ipse r. 23 *inbellium* R *in bellum* L ed. 32 *ob reditum* LR *redituri* ed.

Graeci ultro pro vero vulgaverant, ne videntibus causa fabricati equi per multas et diversas coniecturas occurreret. hoc igitur commentum, quoniam in occulto pro magnitudine sua esse non potuit, accepit verisimilem rationem et divulgatum est. quod autem potuit insidias decipere, si fieret cognitum, in occulto perfectum est. denique de equo dixit ea fama vagatur; ubi venit ad aliam insidiarum partem, quam latere convenerat, ait *huc delecta virum sortiti corpora furtim includunt caeco lateri.* quales viri includendi essent in equi secretis vel quo ordine de plurimis separati, quoniam publica necessitas fuit et pleno obtinendi studio ducebantur, poeta pertractat, licet Aenean loquentem induxerit. vult enim exemplum hinc nasci quid faciendum sit in talibus causis, ut paucorum periculo universis proveniat quod speratur commode profuturum. eliguntur, inquit, egregia virorum fortium corpora et, ut ipse, cum patefieret equus, docuit, non plebeiorum, sed ducum hoc est potiorum. et quia incerta unicuique formidolosa sunt nec possunt sponte adpeti, sors, inquit, dedit ex fortibus primis et plurimis quos equus capere atque occultare potuisset. hos igitur includunt caeco lateri, tenebroso scilicet et undiqueversum clauso. *penitusque cavernas ingentis uterumque armato milite conplent:* cavernas, inquit, et uterum: cavernas debemus accipere loca quae praeter uterum esse potuerunt, cervicis scilicet, armorum et femorum. in hoc exemplo etiam hoc discendum est, unumquemque in causis difficilioribus reipublicae, si ita res exigat, etiam salutem suam debere contemnere.

*Est in conspectu Tenedos, notissima fama insula, dives opum, Priami dum regna manebant, nunc tantum sinus et statio male fida carinis. huc se provecti deserto in litore condunt. nos abiisse rati et vento petiisse Mycenas:* descriptio loci non inaniter posita; talis enim inventus est

---

5 *decipere* LR *praevertere* ed. 11 *separari* L *reparari* R ed. *separati* r *reparati* ed. post. 32 *abisse* L *ab ipse* R r = L. | *petisse* LR.

qui hostilis insidias celare potuisset et Troianorum suspiciones avertere. describitur eius felicitas prior, sequentis autem temporis fortuna deterior. hanc enim insulam si arbitraretur Dido incolumem, quam omnes homines opinione divitem noverant, non crederet conplendis Graecorum insidiis oportunam esse potuisse. omnis ergo eius descriptio ad excusationem tendit non intellectae fraudis. idcirco ait in conspectu fuit Tenedos, sed insula quo facile transiri non posset nec videri aliquid praeter ipsam; inpediebat enim mare quo fuerat clausa. apta igitur Graecis ad insidias proximitatis etiam causa. dives opum, Priami dum regna manebant: magna, inquit, fuit, sed cum staret imperium Priami. hoc ideo positum est fuisse aliquando magnam, ut Dido ab eius veteris felicitatis opinione discederet; si enim staret eius fortuna per idem tempus quo parabantur insidiae, esset suspicio potuisse hostes illic esse habentis annonae de celebritate substantiam. adsignatur ergo illi omnis et plena defectio, ut unusquisque crederet illic Graecos, etiamsi vellent, inopiae causa non fuisse mansuros. additur et statio male fida carinis, ut magis esset verior fides hostilem metum penitus recessisse, cum litus illius insulae periculosam stationem navibus daret. male fida autem statio est ubi stari quidem potest, sed mala fide, hoc est ubi deceptio possit exoriri, si adversa turbinum tempestatumque nascantur. hanc partem idcirco poeta posuit, ut constaret Troianos non vacua suspicione arbitratos navigasse hostis, cum venientis locus ille sine periculo tenere non posset. nos abiisse rati et vento petiisse Mycenas: cum omnia, inquit, convenirent, relictum scilicet, ut opinio pertulerat, donum Minervae, egestas insulae Tenedos et litoris infida statio, abisse eos arbitrati sumus et taedio temporis sedes suas ventis iuvantibus petivisse. *ergo omnis longo solvit se*

---

1 *celerare* LR *celare* L II man. *caelare* r. 11 *proximitas* LR corr. ed. 18 *illi omnis* LR *illis annonae* ed. 27 *vacuas* L corr. II man.

*Teucria luctu. panduntur portae, iuvat ire et Dorica castra desertosque videre locos litusque relictum:* moralitas plena hoc loco monstratur; ubi enim creditum est et multimoda suspicione firmatum belli rabiem abscessu hostis esse submotam, solutus est longi temporis luctus et reseravimus portas, ausi quin etiam sumus procedere aliquantum, revisere loca quae hostis obsederat et deinceps liquerat desertosque videre locos, vacuos ab hostibus quos dudum animus oppletos horrebat. *pars stupet innuptae donum* 31 *exitiale Minervae et molem mirantur equi:* mirabantur aliqui et subtilitatem artis et fabricae magnitudinem. *primusque Thymoetes duci intra muros hortatur et arce locari, sive dolo seu iam Troiae sic fata ferebant:* huius post exitum rerum sententia venit in dubium et, quia nihil ex aperto constiterat, partim proditoris animo partim innocenter sensisse iudicatus est, ideo proditor, quia primus ceteros hortatus est ut equus perduceretur usque ad Minervae templum, ideo innocens, quia maiore vi constabat interisse imperium Troiae. *at Capys et quorum melior* 35 *sententia menti aut pelago Danaum insidias suspectaque dona praecipitare iubent subiectisque urere flammis aut terebrare cavas uteri et temptare latebras:* Capys, inquit, et alii melius sentientes; sed non tunc iudicati sunt melius sensisse, sed post excidium Troiae. contra Capyis sententiam tractantes alia dicebant facienda, ideo ait *scinditur incertum studia in contraria vulgus.* cum totum enim suspicionibus ageretur, nihil potuit recte firmari. quid ergo dicebat pars quae contra Thymoetis arbitrium senserat? dona hostium debere esse suspecta, proinde tradenda praecipitia aut consumenda incendio aut terebrando temptanda.

---

5 *seravimus* R corr. r = L. 7 *liquerat* LR *licebat* ed. 8 *que* om. ed. | *locos* LR *l. hoc est* ed. 16 *sentire* ed. 23 *sed* LR *qui* r. | *iudicantes* R *iudicati sunt* r = L. 24 *Capys* LR (L cum puncto sub *y*) ed. *Capyn* ed. post. *Capyis* nos. | *sententiam* om. edF. 29 *praecipiti id* L *praecipitia id* R (sed *id* del. ipse) *praecipitio* r *in praeceps iidem* ed. *iidem* del. ed. post.

40 Interea omnium consiliis in incertum adductis *primus ibi ante omnis magna comitante caterva Laocoon ardens summa decurrit ab arce.* Laocoontem apparet inter illos non fuisse qui diversa tractabant, denique summa decurrebat ex arce cum caterva ingenti excitatus utique opinionibus incertarum sententiarum, quod incertum metuens ne in perniciem civitatis verteretur praevenire cupiebat. ardentem autem hic non festinantem dixit, ut alii volunt. qui enim dixerat decurrit utique expressit festinantem et plus est currere quam festinare. superest ergo ut ardentem aliter dixerit, scilicet aut ingenio vigilantem aut pro statu publico commotum vehementer. certe non urgeretur ad cursum, nisi animi necessario motu fuisset excitatus. *et procul:* tantum commotum tantumque ostendit poeta illum esse turbatum, ut adhuc longe positus clamaret et antequam tractantibus misceretur, contradicens, ne suspecta hostium dona ducerentur in patriam. *o miseri, quae tanta insania, cives?* invectio ardentis hominis non contumeliosa in civis, sed pro statu publico necessaria, miseri sunt, inquit, qui ea sentiunt quibus miseri efficiantur. denique creditis duo accidere sine fraude potuisse? nam sic posuit: *creditis avectos hostis?* qui enim tot per annos gesserant bellum nec fuerant optatum victoriae praemium consecuti non longius abscedebant. creditis etiam illud tutum esse posse vel vacuum fraude, donum scilicet dici debere quod reliquerunt inimici? hoc est quod ait *aut ulla putatis dona carere dolis Danaum?* non tantum hoc suspectum est, inquit, verum etiam omnia quae sub benivolentiae specie Graecos arbitramur praestitisse. Danaum quod dixit, non solum nomen gentis voluit demonstrare sed hominum etiam genus versutum, dolosum, callidum atque, ut hoc adstrueret, traxit argumentum a persona Ulixis qui bona nesciret et in malis

5 *excitus* ed. 9 *qui* om. *enim* transpos. ed. | *utique* LR *itaque* ed. 13 *metu* LR ed. *motu* r cf. 1,682. 21 *duo* LR edI *dona* edF. 26 *dici lebere* LR *d. debere* L II man. r *Minervae* ed.

fuisset satis instructus: *sic notus Ulixes?* quasi omnes tales essent, quos etiamsi constaret esse dissimilis, fieri potuisse ut magisterio eius pessima semper et noxia cogitarent. Danaum sic pronuntiandum est atque sentiendum, quasi omnes essent versuti et insidiosi. quod ipsum generaliter positum specialitate sequenti voluit conprobare. aliter enim persuadere non poterat raptis ad diversa consilia, nisi evidentioribus argumentis persuasionis suae intentionem, notis et cognitis adsertionibus, roborasset. sic notus Ulixes? oratoria virtute usus est, ut unius Ulixis tergiversatione notissima totam gentem macula tergiversationis adspergeret. incipit iam publicare quid sentiat, tracto scilicet argumento a persona et tempore, quoniam natura callidos dixerat et belli vel maxime tempore factos esse peiores. *aut hoc inclusi ligno occultantur* 45 *Achivi aut haec in nostros fabricata est machina muros inspectura domos venturaque desuper urbi aut — aliquis latet error equo: [ne credite, Teucri, quicquid id est]:* dixit evidenter quid primo et secundo loco sentiret, tertio vero dixit aut et, cum non suppeteret sequens dictum, confugit ad generalem suspicionem et ait aliquis latet error equo. quod cum ita sit, separandum est aut et sic dicendum aliquis latet error equo, ut de eo quod fuit incertus iudicasse videatur, quo genere firmavit, quicquid illud fuisset, esse debere suspectum, quia originem ducebat ab hostibus. *timeo Danaos et dona ferentis:* hostium, inquit, vel maxime Graecorum etiam dona timenda sunt. duplici ex causa adseruit esse metuendum: quod esset hostis insidiosus et callidus et quod eo tempore magis cavendus esset quo simulabat bonitatem. atque ut auctor esset temptandi equi et non tantum verbis verum etiam

---

2 *constarent* R corr. r = L. 8 *persuasionibus* R. 13 *tractato* LR *tracto* corr. R ipse. 15 *esse peiores* LR *peritiores* ed. 18 *ne — est* deest in LR, sed explicatur: lemma distinxi secundum interpretationem. 22 *quod* — 23 *quod* om. *ne credite ut id cuius* substituit ed. 30 *cavendos esse* R corr. r = L.

facto ad audendum ceteros provocaret, *sic fatus validis ingentem viribus hastam in latus inque feri curvam compagibus alvum contorsit, stetit illa tremens uteroque recusso insonuere cavae gemitumque dedere cavernae.* quia supra dixit „penitusque cavernas ingentis uterumque armato milite conplent“, hic posuit omnia illa percussa ictu validissimo quid intus ageretur nuntiasse. *et, si fata deum, si mens non laeva fuisset, inpulerat ferro Argolicas foedare latebras:* fata deum deorum voluntatem accipere debemus, non fatum. si, inquit, dii non avertissent intentionem nostram, eodem momento omnes Graecorum proderentur insidiae. et facta apostropha cum ingenti dolore animi addidit *Troiaque nunc stares Priamique arx alta maneret,* sicuti mansit, antequam dolus obtinuisset.

*Ecce manus iuvenem interea post terga revinctum pastores magno ad regem clamore trahebant Dardanidae:* ecce ubicumque Vergilius ponit, aliquod malum repentinum et insperatum significat ut hoc loco et (203) „ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta“, item (526) „ecce autem elapsus Pyrrhi de caede Polites“ et (11, 226) „ecce super maesti magna Diomedis ab urbe legati responsa ferunt“. ergo, dum illa inter Troianos gererentur, aliud accidit quod ab equi tractatu disputantis averteret; pastores enim Troiani veniebant ad regem trahentes iuvenem manibus post terga innexis, propter quod factum dimissus est equus et omnes captivi illius curiositate transducti, dum novitatis incertum nosse contendunt, manifestas insidias dimiserunt. *qui se ignotum venientibus ultro, hoc ipsum ut strueret Troiamque aperiret Achivis, obtulerat fidens animi atque in utrumque paratus, seu versare dolos seu certe occumbere morti:* consilium relinquendi Sinonis hoc fuit Graecis, ut repertus apud Troianos equi occuleret fraudem et omnem suspicionem averteret quae contra

---

1 *audiendum* R. 3 *album* LR corr. L ipse r. | *ille* ed. 4 *intonuere* ed. 9 *fata deum* LR *fatalem* ed. 11 *proderentur* LR *apertae fuissent* ed. 12 *apostrophe* ed. 17 *posuit* ed. 23 *tractu* ed. 27 *novitate* ed. 33 *everteret* ed.

existere potuisset, Sinonis vero consilium fuit ut omnia praeveniret offerendo praesentiam suam, ne, si interveniret mora, ante secreta equi proderentur quam ille quasi latens fuisset inventus. ex iis tamen quae fuerant gesta potuit apparere quod in Troiae parabatur excidium. nam ille tanta mentis obstinatione animum suum ad partis suas inplendas praeparaverat, ut paratus ad vitam, paratus esset ad mortem, utpote qui, cum se sciret incognitum, ultro obvius venientibus fieret callidus magis quam minus cautus; transegerat enim, ut dictum est, cum animo suo aut adquirere cum periculo victoriam suis aut pro cunctis occumbere. et Terentiana sententia (heaut. 2, 3, 73) hoc loquitur, non fieri sine magno periculo facinus magnum aut memorabile. haec non ipso tempore sunt cognita quo fiebant, sed post excidium Troiae et interitum Troianorum. tamen, nisi dii essent e diverso imperio Priami, Sinonis fraudes inter initia ipsa intellegi debuerunt, quando incognitum se ultro ingessit et eo tempore quo suspecta omnia fuerant. *undique visendi studio Troiana iuventus circumfusa ruit certantque inludere capto:* expressit hominum morem; quis enim non cuperet hostem suum videre captivum? capto interea omnes nitebantur inludere. *accipe* 65
*nunc Danaum insidias et crimen. ab uno disce omnis:* viri fortis animo destruit Graecorum personam occasione omni et defendit suam totum in deorum adversum studium revocans, ut ostendat Graecos insidiis et deorum iniusto favore obtinuisse victoriam, sibi vero Aeneas et defensionem procurat et laudem, cum adserit in Troiae cladibus non Graecos, sed deos extitisse victores. ait ergo accipe nunc Danaum insidias et crimen. duplici genere

---

3 *equi* LR *ea* ed. 4 *iis* LR *his* ed. 8 *qui* LR ed. *qui cum* nos. 9 *magis* om. edF. | *minus* om. ed. 10 *cum* om. ed. 11 *adquireri* LR. 12 *occumbere* LR *o. morti* ed. 16 *tamen* LR *tum* ed. | *e diverso* LR *adversi* ed. 19 *fuerunt* ed. 20 *ludere* R corr. r = L. 23 *crimen* LR (cf. Serv.) *crimine* ed.: distinxi secundum interpretationem. 25 *defundit* LR *defendit* L II man. r. 27 *procuraret* LR *et* add. L II man. *procurat et* r′ edF. | *asseruit* ed. 30 *crimen* LR *crimine* ed.

criminationis Graecos adspergit ex persona captivi atque, ut hoc satiaret, addidit ab uno disce omnis. unum quippe notabile vult esse in viro forti, ut non congressu, sed insidiis certet; ostensurus autem Sinonem mendacem, periurum, sacrilegum ait et crimen, ab uno disce omnis, ut non Sinon solus talis esset, sed qualis esset talis esse omnis Graecos adsereret. *namque ut conspectu in medio turbatus, inermis constitit atque oculis Phrygia agmina circumspexit:* ad commovendam miserationem omnis, inquit, circumfusos attendit, ingemuit et haec dixit: *heu quae nunc tellus, inquit, quae me aequora possunt accipere? aut quid iam misero mihi denique restat? cui neque apud Danaos usquam locus et super ipsi Dardanidae infensi poenas cum sanguine poscunt.* est enim poena quae non adimat vitam. hoc ergo dixit: et crucior generibus multis et sanguis meus quaeritur. *quo gemitu conversi animi conpressus et omnis impetus:* bonitatem Troianorum vult Aeneas ostendere, qui pro supplicio ultimo quod sperabat Sinon solo gemitu eius pro poena contenti flexi sunt. *hortamur fari quo sanguine cretus quidve ferat, memoret quae sit fiducia capto:* in ista interrogatione tria posuit vim propositionis continentia, ad quae Sinonem respondere conveniret.

*Cuncta equidem tibi, rex, fuerit quodcumque, fatebor vera, inquit, [neque me Argolica de gente negabo: hoc primum]:* promittit se omnia vera dicturum qui nulla in parte fuerat

2 *satiaret* LR *magis demonstraret* ed. 3 *forte* LR *forti* r ed. | *ut* — 4 *certet* mut. ed. post., sed recte se habet, si *notabile* in malam partem accipias. 5 *periurum* LR *p. et* ed. | *et crimen* LR *ab uno d. o.* in marg. add. r′, quod genuinum esse sequentia docent. 6 *ut non Sinon solus* LR *talis esset* in marg. add. r′: haec quoque, quia careri iis non potest, ut genuina recepi. | *sed qualis esset talis* LR haec ut antecedentia corrupit ed. 9 *misericordiam* ed. 10 *attendit* LR *respiciens* ed. 13 *et super* LR *insuper* ed. 15 *multis* LR *m. malorum* ed. 24 versum 76 non habent LR neque explicatur interpol. ed. 25 *neque — primum* addidi eadem ductus ratione qua 1, 25.

retenturus veritatem. tibi, inquit, rex, vera dicam omnia adsumpta fiducia velut confitendi, quod apud regem fuisset locuturus, qui et cognoscendi et ignoscendi facultatem habuisset. locutio autem talis est: utcumque est quod sum relaturus, cuncta dicam vera. promittendo veritatem commendavit personam suam et dicendo regem hoc est eum cui tanta reverentia deberetur benivolum fecit, eo magis quod promittebat narrationem quae fidem veritatis ostenderet. hoc, inquit, primum: quid enim ante omnia in eiusmodi causis quaeritur nisi veritas? fatebor et referam non est unum; nam referam significat cum indicatur aliquid simplex et potest proferri sine tormentorum metu, fateri autem est aliquid prodere quod sit contrarium confitenti et habeat crimen ac, si fuerit fraude suppressum, possit poenis durioribus pectore negantis excludi. fuerit quodcumque: cuncta, inquit, et quicquid fuerit fatebor, ut fatebor bis accipiatur, ne fiat per numeros vitium, ut sit fatebor cuncta, item fatebor quodcumque fuerit. hoc primum: denique, inquit, quod negare debueram, hoc primum confitebor. neque me Argolica de gente negabo: quod in aperta probatione esse potuit, etiamsi ipse non diceret, hoc primo confessus est, ut putaretur cetera sine fraude dicturus. neque me Argolica de gente negabo: Graecus sum, inquit, hoc est dicere hostis sum vester. *nec si miserum fortuna Sinonem finxit, vanum etiam mendacemque* 80 *inproba finget:* etsi cum periculo meo, inquit, verum loquar; fortuna enim statum mihi prioris felicitatis eripere potuit, non tamen mutare quod natus sum. dixit ergo quo sanguine cretus, addidit etiam nomen suum, ut personam

---

1 *retenturus* LR *relicturus* ed. | *omnia* LR *omni* corr. R ipse. 4 *et locutio* LR *et* del. r ed. 10 *huiusmodi* ed. 12 *simplex* LR ed. *simpliciter* r (sed vide quod oppositum est *contrarium confitenti*). | *proferri* LR vel *negari* r′ in marg. 15 *possit* LR (L cum nota supra *p* quae *et* significat) *et possit* ed. | *excludi* LR *extudi* (sic!) r′. | *fuerit* LR edI *si f.* edF[I] *sic f.* ed. post. 24 *nec si* LR *hoc primum* praefixit ed. 26 *fingit* R corr. r. | *meo* om. ed. 28 *putare* R *mutare* r.

suam plenissime demonstraret. hoc argumento quod suadebat inplevit, ut Troiani crederent reliqua vera esse dicturum. incipit causas ostendere cessationis suae (non enim vacuum fuit ut recedentibus omnibus Graecis solus ipse sine aliqua ratione mansisset) et ad hanc ipsam partem ducit ex alto principium, in quo sine dubio fuit fabula omnibus nota perindeque vera. sed hac exposita in prima parte subiunxit falsa, quo facile illud quod conposito mentiebatur credi potuisset. itaque coniungitur *fando aliquod si forte tuas pervenit ad auris Belidae nomen Palamedis et inclita fama gloria, quem falsa sub proditione Pelasgi insontem infando indicio, quia bella vetabat, demisere neci, nunc cassum lumine lugent:* Palamedis vera fuit fabula; nam inter ipsum et Ulixen graves inimicitiae extiterant, usque eo ut argumentis Ulixis velut proditorem constet occisum ea vel maxime coniectura, quod Graecos revocaret ab adfectu bellandi et in tentorio eius esset inventum aurum, quod eundem Ulixen ferunt supposuisse. hoc ergo quod fuerat verum de Palamedis morte dedit occasionem mentiendi, ut diceret *illi me comitem et consanguinitate propinquum pauper in arma pater primis huc misit ab annis. dum stabat regno incolumis regumque vigebat conciliis, [et nos aliquod nomenque decusque gessimus.]* pater, inquit, meus ex ea causa quod esset in arma pauper hoc est inbellis aetatis atque ea contemplatione quod Palamedi esset adfinis me ei socium iunxit; deferebatur enim patri meo, quia in numero regum fuit et plurimum viguit. haec nobilitas generis idcirco composita est, ut Troianorum misericordiam de praeterita et praesenti fortuna provocaret ad lenitatem; plus enim do-

5 *remansisset* ed. 6 *duxit* ed. 7 *haec* R *hac* r = L. 9 *coniungitur* LR *subiungitur* r. 10 *aliquod* L *aliquid* R ed. 17 *effectu* r. 18 *esse* LR *esset* r ed. | *inventum aurum* LR *aurum inv.* r. 19 *ergo* L *vero* R r = L. 22 *regnumque* ed. 23 *consiliis* ed. | *et — gessimus* deest in LR, sed explicatur per *deferebatur.* 30 *plus — dolentur* LR temere mut. ed.

lentur qui ex opulentia in miserias fuerint lapsi. redit rursum ad fabulam commendans per omnia personam suam, ut ostendat se bonum socium, bonum amicum, bonum propinquum. commendat etiam Palamedis memoriam dicendo quia bella vetabat, ut ex ea causa praestarent amico viventi quod Palamedi defuncto non poterant. *invidia postquam pellacis Ulixi (haut ignota loquor) superis concessit ab oris:* posteaquam, inquit, idem Palamedes, ut omnibus notum est, recessit a superis, non dixit mortuus est, sed concessit, ut memoria eius digna esset quae post hominis finem vivere mereretur. ego, inquit, post illius excessum, cui et comes fui et commendatus a patre, cui me constabat esse adfinem, *adflictus vitam in tenebris luctuque trahebam.* hoc vult intellegi, ut non sic duceret vitam quomodo qui optant vivere, sed qui cupiunt mori. haec non erant vera, sed quaesita ad fallendum et, ut maiorem moveret misericordiam, addit praeterea aliud quo nimios velut dolores suos exprimeret quibus quasi ex Palamedis luctu fuerat pressus: *[et casum insontis mecum indignabar amici] nec tacui demens et me, fors siqua tulisset, si patrios umquam remeassem victor ad Argos, promisi ultorem et verbis odia aspera movi.* cogitabam, inquit, defendendum esse amicum vim passum ex criminibus falsis, defendendum esse innocentem, sed nimius dolor tantum potuit, ut me fecisset insanum. denique quod tegendum animo fuit, quod alto silentio retinendum non voluntate mea neque integro statu mentis potius effudi quam rettuli; dixi, clamavi quod pietate cogente nimius disposuerat dolor, scilicet de morte insontis in sedibus patriis me

---

1 *miseriis* R corr. r = L. 4 *bonumque prop.* ed. 14 *luctumque* L *luctuque* R ed.: interpretatio dubium relinquit *luctuque* optimi Verg. libri. | *trahebam* lemmatis finis in LR v. 93 add. ed., quem sequenti potius lemmati praefigendum esse interpr. docet. 16 *ut* LR *ut ad* ed. 17 *addidit* ed. | *aliquid* R *aliud* r = L. 23 *falsis* LR *f. et* ed. 26 *fuit* LR *f. ac* ed. 27 *rettuli* om. ed. 28 *clamavi quod* LR *clamavique* ed.

auctore futurum esse iudicium meque ipsum sic adfuturum causae, ut admissi sceleris ultio proveniret. sed omne illud quod incauto dolore diffuderam insidiantis inimici tergiversatione praeventum est, odio scilicet in me meis professionibus concitato neque ipso levi, sed exitium mihi salutis adquirenti. quid enim cogitare posset inimicus, qui se sperabat non esse victurum, si ego incolumis ad patriam remeassem? *hinc mihi prima mali labes, hinc semper Ulixes criminibus terrere novis, hinc spargere voces in vulgum ambiguas et quaerere conscius arma:* notabilis persona est eius qui sic vitam suam ducat, ut sibi concitet inimicos. hoc ergo Sinon inter multa falsa adstruit et purgat, ut dicat: ego quidem iusto dolore commotus inimicitias professus sum nec provocavi alterum, sed ille me, dum in amicum meum scelus admitteret, provocavit, ille iniustas adversum me inimicitias suscepit, ut occiso innoxio me quoque qui mortis eius vindex esse potueram putaret opprimendum. cum igitur me ultorem metueret, spargebat in vulgum novum de me criminum genus et omnia iactabat ambigua, quia vera quae diceret non habebat, quaerebat consiliorum tela quibus me confoderet
100 occasionesque captabat. *nec requievit enim, donec Calchante ministro:* coeperat referre sequentia, sed haec arte mira fallendi suppressit, ut Troianos magis desiderio audiendi accenderet et hac ratione sibi conquireret veniam. idcirco ait *sed quid ego haec autem nequicquam ingrata revolvo? quidve moror, si omnis uno ordine habetis Achivos idque audire sat est? iam dudum sumite poenas: hoc Ithacus velit et magno mercentur Atridae.* ubi ad ipsum cardinem venit in quo mendaciorum consistebat effectus, negavit se dicturum, ne ultro omnia referendo daret

---

1 *auctorem* LR, sed *m* in R abrasa. | *iudicium* LR *ultionis* ed. | *meque* LR *neque* ed. 3 *incaute* ed. 5 *concitato* LR *constituto* ed. 7 *victurum* LR *victorem nec inultum* ed. 11 *ducat* LR *degit* ed. | *concitet* LR *contineat* ed. 12 *ergo* LR *ita* r. 16 *ille* LR *id est ille* ed. 17 *vindex* LR *ultor* ed. 25 *conquiret* R corr. r = L. 27 *memor* pro *moror* LR.

suspicionem falsitatis. ait ergo iam scio me moriturum, cum rettulero omnia: melius est conticiscere et Atridae in lucro habeant quod secreta ipsorum non prodidi; neque enim propter unum inimicum debeo omnis meos prodere. ordinatur sensus sic et eius expositio talis est: sed quid ego nequicquam revolvo haec hoc est refero, quae apud vos erunt ingrata? quidve moror? cur differo poenas meas post relationis beneficium continuo moriturus? vel quid vobis meorum secreta referam, quos vicem mihi scio non esse reddituros? quin potius, si omnis Achivos uno odĭo persequimini, professus sum iam dudum me vestrum esse inimicum, sumite de confesso supplicium, nec vobis hoc inputabo; omne enim malum mihi idem videbitur intulisse qui me quolibet pacto quaerebat occidere.

*Tum vero ardemus scitari et quaerere causas ignari* 105 *scelerum tantorum artisque Pelasgae:* hoc consilio nos accendit audiendi desiderio. denique scitari coepimus hoc est inpensius quaerere et interrogare causas. causa est propter quam fit aliquid; nihil enim fit nisi quod praecedat causa faciendi. ignari scelerum tantorum artisque Pelasgae: nos, inquit, ex nostra simplici et honesta natura pendentes Graecos vera Sinonem loqui arbitrabamur, porro autem illi omnes dolosi sunt omnesque fallaces: satiavit quod ait superius „ab uno disce omnis“. *prosequitur pavitans:* pavitantem debemus accipere aut simulato pavore loquentem aut vere pavitantem ne titubante linguae cursu insidiarum deceptio nasceretur, quas iam videbat in tuto. *et ficto pectore fatur:* pectore ficto coepit loqui, hoc est dissimulata veritate aliud promebat officio linguae, cum

---

2 *est* om. R add. r = L. | *conticiscere* LR *reticere* ed. | *et* LR edI *ut* r edF. 3 *ipsorum* LR *eorum* ed. 9 *vobis* LR *mihi proderit* ed. (*vobis* transpos.). | *referare* LR, sed *s* pro *f* corr. R ipse *res. cupio* r *reserare* ed. *referam* nos. 10 *uno* LR *pariter u.* ed. 11 *persequemini* L *-imini* R *prosequimini* ed. 17 *coepimus* LR *cupimus* ed. 19 *quod* lineola subterducta delere videtur r. 22 *pendentes* LR *iudicantes* ed. 23 *satiavit* LR *et hoc est* ed. 26 *linguae* LR *lingua in* ed. 28 *ficto* in interpr. om. LR add. r.

aliud pectore retineret. *saepe fugam Danai Troia cupiere
relicta moliri et longo fessi discedere bello:* mendacium cum
argumento quo credibile videri potuisset quod dicebat.
paraverunt, inquit, saepe reditum: hoc falsum fuerat, ad-
didit causam veluti reditus maturandi et argumentum
sumpsit a tempore: longo fessi discedere bello, ut qui
annis tot victoriam consequi nequivissent crederentur diu-
110 turnitatis taedio adfectum reiecisse certandi. *fecissentque
utinam:* bene optabiliter posuit; hoc enim et Troiani li-
benter audiebant et Sinoni proderat. huius consilii non
perfecti ultro rationem praestat; potuit enim dici e diverso
si hoc disposuerant, cur factum non est? *saepe,* inquit,
*illos aspera ponti interclusit hiems et terruit auster euntis.*
ut non consilium facto, sed eventus defuerit voluntati.
*praecipue cum iam hic trabibus contextus acernis staret
equus, toto sonuerunt aethere nimbi:* nec soli venti vel
asperitas maris volentis a navigio revocavit, inpedierunt,
inquit, et signa caelestia. *suspensi Eurypylum scitatum
115 oracula Phoebi mittimus, isque adytis haec tristia dicta
reportat:* his, ait, cum omnes non inmerito moverentur,
missum est ad Apollinem, ut quid illud portenderet vel
quid facto opus esset possemus addiscere, sed Eurypylus
remeans triste admodum nuntiavit et dubium. *sanguine
placastis ventos et virgine caesa, cum primum Iliacas Danai
venistis ad oras, sanguine quaerendi reditus animaque li-
tandum Argolica:* caesae virginis ferunt veram esse fabu-
lam, hoc autem quod dicit Apollinem respondisse, ipse
Sinon ad fallendum conposuit et more suo falsum veris
admiscuit, ut ex parte quae fuerat vera conposita men-
dacia tegerentur. addidit animaque litandum Argolica,
quia dicturus fuerat se quaesitum ad mortem; nam si
sanguis humanus diceretur necessarius, potuit quicumque

4 *reditum* LR *r. Graeci* ed. 10 *audiebant* R *audierant* L, sed *iera* in rasura atramento recenti cum imitatione vetustae scripturae: *audiebant* primo scriptum fuisse HO docent, sic et ed. 29 *ex parte* LR *ea* ed. | *fuerant* ed. | *vera* om. ed. 29—30 *mendacita tegerentur* LR *mendacia* nos; temere mut. ed.

mactari, alienus scilicet a natione Graecorum. ecce quomodo conponit fuisse responsum, ut revera videretur inimicus eius occasionem repperisse qua eum diceret occidendum. caesae, inquit, virginis sanguine placastis ventos, cum iretur ad Troiam, sanguine quaerendi reditus: utique alia virgo debuit occidi ob reditum, sed, quia in exercitu viri tantummodo fuerant, dixit fuisse talem responsi partem, ut iam non sexus, sed cuiuslibet, Graeci dumtaxat, provideretur interitus. *vulgi quae vox ut venit ad auris. obstipuere animi gelidusque per ima cucurrit ossa tremor, cui fata parent, quem poscat Apollo:* cum diceret aliquem ex omnibus occidendum, non inaniter subiunxit universos metuisse supplicium; generalitas enim quem fuisset specialiter proditura habebatur incertum. *hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu protrahit in medios, quae sint ea numina divum flagitat:* ecce excusat Calchantem: nunc enim dicit vim passum, ut falsa pro veris diceret, in quo ipso et a persona argumentatus est, quia Ulixen adseruit in perpetrandis sceleribus eruditum. *et mihi iam multi crudele canebant artificis scelus et taciti ventura videbant. bis quinos silet ille dies tectusque recusat prodere voce sua quemquam aut opponere morti. vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus conposito rumpit vocem et me destinat arae. adsensere omnes et quae sibi quisque timebat unius in miseri exitium conversa tulere:* in ipso mendacio cautus fuit, ne dignus videretur qui pateretur talia. si enim ita vixerat, ut omnis suos habuisset inimicos, nec a Troianis veniam meruit inpetrare. solum ergo dicit infestum sibi Ulixen fuisse, quem iusta ex causa fecerat inimicum. Calchas enim et coactus fecit et diu nihil voluit dicere, ex iis tamen quae insinuatione Ulixis acceperat magno insolentis et perniciosi hominis tumultu provocatus dixit ad illa sacrificia Sinonis sanguinem postulari. quo facto

---

14 *proditura* LR *productura* ed. 18 *adseruit* LR *asserunt* r, sed ad *pellacis* v. 90 respicit. 29 *fecerat* LR *ferat* ed. 30 *fecit* LR *fuit* ed. 31 *iis* LR *his* ed. | *acciperat* LR.

omnium processit adsensus, non ideo quod apud omnis habuisset odium Sinon, sed quod unusquisque metueret ne in designati locum subderetur. Ulixis autem factionem fuisse manifestam apertissime conprobatum est ex eo quod haec per ipsum ventura multi praedixerant et Calchas per plurimos dies nullum voluit designare mactandum. *iamque dies infanda aderat, mihi sacra parari et salsae fruges et circum tempora vittae:* iam, inquit, dies aderat execrata quae mihi lucem fuerat ereptura, usque adeo ut iam in me sacrorum esset conpleta sollemnitas, solus supererat meae salutis interitus, ceterum et vittis meum caput fuerat nexum et libamina parata ferebantur atque ipse aderat nefarius dies. *eripui, fateor, leto me et vincula rupi:* fugi, inquit, non culpam alicuius admissi, sed ut crudelissimae mortis exitium innocens evitarem, fugi, ne de morte mea gauderet inimicus, fugi et me fugisse confiteor. potuit dici quomodo potuisti fugere qui fueras vinctus? ait ipse
135 rupi vincula atque ita meae saluti prospexi. *limosoque lacu per noctem obscurus in ulva delitui:* singula non sine ratione posuit: nam omnia fugitivo suffragari potuerunt, limus et lacus, quo non facile possent insequentes intrare. posuit et noctem, ut non tantum a loco verum etiam a tempore duceret argumentum ac tenebris quoque videretur adiutus. obscurus in ulva delitui: timiditatem nimiam vult demonstrare, ut, cum esset in eo loco quo nulli aditus facilis putaretur, addiderit alia quibus esse securior posset. in ulva delitui: ulvam plerique eam dicunt esse quam vulgo budam appellant: nos nihil dicimus interesse utrum ipsa sit an alterius generis species, dummodo sciamus in loco aquoso non defuisse quod celare hominem posset. *dum vela darent:* tamdiu futurus in occulto, quamdiu navigarent, ut suos magis quam Troianos metuisse

---

11 *ceterum* LR *certe* ed. 12 *adque* LR *ad quae* ed. *atque* nos. 14 *culpam* L *culpa//* cum rasura R *culpa* ed. 15 *de* om. ed. 17 *quomodo* L *pc quomodo* (sic) R *propter vincula qu.* r. 25 *eo loco* LR *illo* ed. 26 *putaretur* LR *pateret* ed. post. 28 *appellent* ed.

videretur. denique post hoc velut factum ultro eum se constat pastoribus obtulisse. *si forte,* inquit, *dedissent, nec mihi iam patriam antiquam spes ulla videndi nec dulcis natos exoptatumque parentem, quos illi fors ad poenas ob nostra reposcent effugia et culpam hanc miserorum morte piabunt:* deliberationem suam fingit, quam velut in fuga positus habuit. constitutus, inquit, in latebris haec cum animo meo volvebam: commodum quidem saluti meae fore, si navigarent illi quos fugeram, sciebam enim me et inquiri posse et forsitan reperiri, propter incolumitatem autem meam hoc esse tutum existimans optabam ut navigarent; at ex altera parte occurrebant multa omniaque adversa et satis dura mihi atque luctuosa. primo quippe cogitabam numquam me visurum patriam antiquam. aut magnam dixit antiquam, ut aliis quoque in locis posuit, aut cuius adfectum diuturnitas temporis ac meritum cumulaverat. nec dulcis natos exoptatumque parentem, quos illi forte ad poenas ob nostra reposcent effugia et culpam hanc miserorum morte piabunt: singula singulis dedit, patriam dixit antiquam, natos dulcis et exoptatum patrem. sensus istius loci sic colligitur: si navigassent Graeci, †quod nec patriam visurus esset antiquam nec natos dulcis nec patrem exoptatum, spem autem occurrere peiorem coniectura currente quod illi commoti ex fuga eius occisuri essent omnis et hoc factum miserorum interitu pensaturi. piabunt autem necessario posuit propter piaculum quod fugiendo admiserat et deceperat necessitatem propter quam victima parabatur. haec dicta sunt, ut omnia quae fuerat mentitus confirmaret ac facile crederent Troiani vera esse confessum. *quod te per superos et conscia numina veri, per si qua est quae restat adhuc mortalibus usquam intemerata fides oro, miserere*

2 *inquit* om. ed. 8 *cum* et *meo* om. ed. | *quidem* LR *quippe* ed. 13 *atque* LR *et* ed. 15 *aut m. d. antiquam* LR *antiquam autem aut m. d.* ed. 22 post *Graeci* aliquid excidisse puto cui oppositum sit *spem — peiorem.* 23 *spem* LR *metum* ed. 24 *peioribus* ed. | *quos* ed. 30 *vere* ed.

*laborum tantorum, miserere animi non digna ferentis:* verba ipsius adhibentis ad testimonium deos dubia et incerta et quae premere non possent mentientem. per superos te, inquit, rogo, qui sciunt veritatem. quis nesciat posse omnia scire superos? numquid dixit per superos te rogo qui sciunt me nulla in parte mentiri? per fidem, inquit, si tamen incorrupta potest alicubi reperiri; sciebat enim apud se fidem non fuisse et inde arbitrabatur non esse apud quemquam. miserere laborum tantorum, miserere animi non digna ferentis: sciebat se odiosam utpote hostis gerere personam et ex ea causa dignum esse qui mereretur occidi. tulit se ab hac parte et veniam sibi ex occasione malorum praesentium postulavit. vinctus enim crudeliter fuit utpote captivus. idcirco ait miserere laborum tantorum. utique offerebat vincula sua et captivitatis miserias testabatur.

145 Denique mox secutum est *his lacrimis vitam damus et miserescimus ultro. ipse viro primus manicas atque arta levari vincla iubet Priamus:* usque adeo flendo singulorum animos flexit, ut haec Priamus statim removeri iussisset quibus fuerat nexus Sinon, ut securior redditus cetera quae habere putabatur fideliter enarraret. *dictisque ita fatur amicis:* audiendi desiderio ductus Priamus deposuit auctoritatem regis et cum captivo et hoste amicis locutus est verbis; aliter enim non putabat solvi animos eius, nisi in eum multimoda benivolentia praecessisset. *quisquis es, amissos hinc iam obliviscere Graios, noster eris, mihique haec edissere vera roganti:* superioribus verbis breviter et succincte respondit. suspectis enim rebus et necessario tractatu in medio posito non debuit tempus multiloquio conteri. ait ergo quisquis es hoc est sive Sinon sive alius; dixit enim ille Sinonem se vocitari. amissos hinc iam obliviscere Graios: ecce dixit Graecus „neque me Ar-

---

8 *inde* LR *ideo* ed. 18 *alta* pro *arta* L. 19 *vincula* LR. 26 *processisset* edF. 32 *esse* pro *se* R corr. r = L.

golica de gente negabo“ et „si vela darent, si forte dedissent, nec mihi iam patriam antiquam spes ulla videndi“. noster eris: aperta benivolentia est in hac oblatione promissi, cum dicit noster eris, obliviscere Graios. deponamus, inquit, superioris inimicitias temporis, eris unus e nobis, dimitte ex animo civis tuos, quos iam dimisisti fugiendo. mirum hic poetae consilium; cum enim ad singula Sinonis dicta responderet ex persona Priami credentis quod ille vera narrasset, suppressit „nec mihi iam patriam antiquam spes ulla videndi nec dulcis natos exoptatumque parentem“, ne Priamus haec commemorando quae adfectum maximum retinebant exulceraret animum narraturi, qui debuerat esse conpositus. solos Graios, dixit, obliviscere, quod facile fieri potuit; extiterant enim saluti Sinonis inimici. ceterum patriam, filios et patrem semel in oblivionem ducere non poterat, sed et ille durus et inpius posset iudicari, si haec putaret esse suadenda. mihique haec edissere vera roganti: antequam Priamus proferret quae volebat audire, inculcat Sinoni beneficia sua, ut in nullo falleret et ad interrogata vera potius quam ficta et conposita fateretur. ait ergo mihi: in ipso pronomine grande pondus est intellectus; mihi quippe potest intellegi utpote regi, qui, cum possem artius inquirere veritatem, si fuisses in aliqua parte mentitus, simpliciter quaero, mihi qui te liberavi a vinculis, qui salutem tuam servavi, qui te recepi in meorum numerum. conpletis interea quae necessario fuerunt praemittenda breviter proponit quae cupiebat audire. non enim, ut supra dictum est, adhibenda fuerat mora rebus pro statu publico cognoscendis. *quo molem hanc inmanis equi statuere? quis auctor? quidve petunt? quae religio aut quae machina belli?* plena propositio et in ipsa brevitate verborum satis intellectu latissima; nam quaesitum est cur equus

---

1 *si vela* LR supra *dum v.* 4 *deponemus* r. 6 *nostris* ed. 14 *saluti* om. ed. 19 *inculpat* R corr. r = L. 20 *palleret* ed. 21 *fateretur* LR *responderet* ed. 24 *fuisset* R *fuisses* r = L.

ille factus videretur et cur tantae magnitudinis quove auctore fabrica eius inventa atque perfecta et utrum religionis alicuius causa an belli ratione dictante quidve peterent hoc est quid in ea causa disponerent. *ille dolis instructus et arte Pelasga sustulit exutas vinclis ad sidera palmas:* omni occasione †et ut plurimis locis fecit deformat poeta Graecorum personam, quod non virtute, sed insidiis vicerint. idcirco posuit ille dolis instructus et arte Pelasga: instructus, inquit, natura sua itemque instructus mandatis suorum. hoc ideo positum est, ut ostenderet a perfidia et tergiversatione nullum Graecorum esse inmunem. docuit autem poeta se sui esse memorem; nam ubi Sinonem dixit vinctum fuisse, „oculis", inquit, „Phrygia agmina circumspexit", hic, postquam coepit habere liberas manus, has peieraturus erexit ad sidera. *vos.*
155 *aeterni ignes, et non violabile vestrum testor numen, ait. vos arae ensesque nefandi quos fugi, vittaeque deum quas hostia gessi:* iuravit quidem, sed satis subtilis fuit, ut et Troianos falleret et tamen suorum secreta non proderet; nam tunc suorum proditor extitisset, si protulisset quae re vera in secretis habuerunt. hoc loco tractat Vergilius civem non tantum nascendo verum etiam animo fieri; nam civis qui nascendo provenit civis quidem est, sed, si non benivolentia civis erga patriam et suos vivat, desinit esse quod natus est, et ille qui alienus est, si boni viri repraesentet adfectum, esse incipit civis. si Sinon igitur facilis esset ad prodenda velut suorum secreta, et malum civem profitebatur et Troianis se suspectum faciebat; nullus enim crederet illum sine tormentis vera dicere, nisi commendasset primo personam suam. invocavit ergo sidera omnia sine periculo periurii, aras quoque et supplicia quae velut fugerat testatus est non propter narrationis veritatem, sed propter licentiam quasi verae proditionis.

---

6 *et ut — fecit* LR ed. corruptum puto: fortasse *sicut — dicetur*? 24 *non* transpos. edF. | *desinat* R. 26 *sinon* LR *si sinon* corr. R ipse. 27 *esset* om. ed. 33 *quasi* om. ed.

in quo ipso tuetur personam suam et suorum civium gravat, quos vult ostendere extitisse causam ut civicae religionis naturalia vincula rumperet. cum enim Sinon, ut dicebat, nihil tale de civibus ob culpam (quae nulla fuerat) meruisset, iniusto supplicio propter unius Ulixis inimicitias destinari non debuit ac per hoc videtur iustas causas habere proditionis quem non iam civem, sed alienum esse constabat. cui enim non est a civibus exhibita religio, cui ultimum supplicium praeparatum fuerat desiit habere religiosum civis nomen illique omnes in hostium numerum fuerant redigendi qui omnem civis adfectum nulla ex causa nulloque existente crimine abiecerant. cumque tales extitissent in civem, non ut civis, sed ut reiecti proditione decipi meruerunt. *fas mihi Graiorum sacrata resolvere iura, fas odisse viros atque omnia ferre sub auras, si qua tegunt:* ecce cum summam deprecationis suae colligeret, ostendit se a suis alienum, liceat, inquit, mihi Graiorum sacrata resolvere iura, quasi iam ipse Graecus non esset vel illi eius socii non fuissent. fas odisse viros atque omnia ferre sub auras, si qua tegunt: liceat, inquit, odisse vel prodere eos qui cives mei esse noluerunt. haec ad deprecationem et commendationem Sinonis pertinent, cetera alium ordinem tenent; nam Sinon illi primo parti respondet qua supra Priamus dixit „amissos hinc iam obliviscere Graios, noster eris“. idcirco ait *teneor patriae nec legibus ullis;* parum enim fuerat professum Graium se esse desisse, nisi etiam illud ostenderet, factum esse Troianum hoc est abiecisse quod natus est et esse quod provenerat benivolentia Troianorum. teneor patriae nec legibus ullis; plus est enim voluntate retineri quam legibus, alterum quippe ex studio purae mentis, alterum ex necessitate descendit. *tu modo pro-* 160
*missis maneas servataque serves, Troia, fidem:* apostropham

1 *ipse* ed. 12 *abiecerunt* R *-rant* r = L. 13 *non ut civis* LR *fide protegi* add. in marg. r′, sed nihil desideratur. 14 *reiecti* LR *retecta* ed. | *decipi* LR *hostis officia* ed. 24 *primae* ed. 27 *Graium* om. ed.

ad ipsam civitatem fecit, qua se ostendit suspectum esse ne forte post narrationem omnem iuberetur occidi. tu, inquit, Troia, conservatori tuo fidem serva; mereor enim vicem qui prior salutis tibi beneficium confero. *si vera feram, si magna, rependam:* pendere dicimus erogare aliquid vel quicquam cuilibet conferre. usus est ergo Sinon tali verbo, ut diceret rependam, quasi tantum reciperet quantum dederat, hoc est ut salutem mereretur qui se adserebat salutis beneficium praestare. idcirco posuit si vera et magna pro incolumitate tua feram, debeo paria rependere. respondit igitur etiam illi parti et pollicitus est se vera dicturum, quoniam Priamum meminerat dixisse „mihique haec edissere vera roganti". incipit sequentia, quia quaesitum ex eo fuerat „quo molem hanc inmanis equi statuere? quis auctor? quidve petunt, quae religio aut quae machina belli?" sed quia in propositionis ordinatione et responsionis vitium non est, si non singulis ita ut sunt proposita pareatur, incipit iste ab ea parte quam novissimam quaesierat Priamus. idem enim ex eventu postremam posuit, Sinoni vero, ut fallendi promptior pateret occasio, inter initia fuerat necessaria.

Incipit ergo quae religio? *omnis spes Danaum et coepti fiducia belli Palladis auxiliis semper stetit:* hoc falsum est, sed illud verum *inpius ex quo Tydides sed enim scelerumque inventor Ulixes fatale adgressi sacrato avellere templo Palladium caesis summae custodibus arcis corripuere sacram effigiem manibusque cruentis virgineas ausi divae contingere vittas.* item subiungit falsa, ut media veritas superioribus et deinceps mendaciis positis adderet fidem: *ex illo fluere ac retro sublapsa referri spes Danaum, fractae vires, aversa deae mens. nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris. vix positum castris simulacrum, arsere*

---

5 *pendere* LR *rependere* ed.: Don. ita verbum explicat, ut, quoniam *pendere* sit erogare, *rependere* idem esse dicat quod recipere! post *magna* distinxi secundum interpretationem. 10 *ferebam* R corr. r = L. 17 *et responsionis* LR *et* om. ed. 19 *et eventu* ed. 20 *postremam* R *-mum* L ed.

*coruscae luminibus flammae arrectis salsusque per artus sudor iit terque ipsa solo (mirabile dictu) emicuit parmamque ferens hastamque trementem.* disseramus iam quemadmodum verum Graecorum factum poeta extulerit, quemadmodum more praecipui oratoris unius invidiam criminis aliis quoque ex eo venientibus criminibus cumulaverit. aliter enim Minervam gravius iratam sacrilegis persuadere non posset falsus ipse narrator, nisi ostenderet eam multiplici congerie scelerum provocatam amorem pristinum in acerbum odium commutasse. inpius ex quo Tydides sed enim scelerumque inventor Ulixes: debuit primo admissa scelera narraturus talis personas ostendere quae audere inlicita et facere potuissent. idcirco singula singulis dedit alterum appellans inpium qui in illo scelere et divina iura et humana violasset, alterum dixit inventorem scelerum hoc est qui numquam invenerit quod recte probari potuisset. inventor scelerum proprie est qui relictis usitatis nova invenit scelera, peior est inventor scelerum sceleratis, quia ipse invenit unde ex innocentibus scelerati reddantur. fatale adgressi sacrato avellere templo Palladium: in singulis singula sunt genera sacrilegii: fatale hoc est in quo staret fatum Graecorum; dixerat enim Palladis auxiliis semper stetit, est ergo sacrilegium; adgressi avellere, ut cum sacrilegio conveniret crimen violentiae; nam adgredi et avellere violentorum est; sacrato avellere templo; si diceret templo, levius fuit; multa enim sunt templa quae sacrata non sint nec habeant aliquam venerationem perindeque contempta non laedant, consecrata vero si attrectata vel leviter fuerint, graviter commoventur; avellere templo Palladium: Palladium cum pronuntiamus, pondus addendum est; in ipso enim nomine magnitudo numinis expressa est. caesis summae custodibus arcis: sacrilegium cum homicidio et homicidio admisso in ipsa

---

3 *dixeramus* ed. 12 *audere* LR *videre* ed. 19 *sceleritatis* R. 26 *fuit* LR *esset* ed. 27 *sunt* LR ed. *sint* nos. | *habent* ed. 28 *laedunt* ed. *laedantur* ?

summa arce hoc est ubi simulacri ipsius sacrarium fuit. augmentum criminis admissi homicidii in plurimos et templi custodes, qui humanitatis contemplatione et respectu praesentis numinis cui obsequebantur contingi ne levi quidem iniuria debuerant. augetur autem crimen homicidii etiam ex merito personarum, custodes enim templi non adhibiti fuissent nisi probatae vitae homines et admodum religiosi, casti quoque ac pudici, qui deae tantae ac virgini inservire meruissent. corripuere sacram effigiem manibusque cruentis virgineas ausi divae contingere vittas: videamus scelus admissum in deam quomodo coeperit vel quemadmodum fuerit exaggeratum. adgressi sunt templum, inquit, et sacratum templum quod ingredi quemquam sine veneratione nefas esset, custodes caesi et usque ad ipsum simulacrum gradatim ventum visumque nefariorum oculis et pollutis sanguine humano manibus inpiis contrectatum, usque eo ut non solum simulacri corpus verum etiam vultus eius et virginalis vittas quas in capite gestabat incestare ausi sint. conpleta narratione veri facti, quod etiam ipsis Troianis cognitum fuit, mendacii figmentum artificiose coniungit dicens ex illo fluere ac retro sublapsa referri spes Danaum, fractae vires. verborum superiorum memorem Sinonem posuit; nam quia dixerat omnis spes Danaum et coepti fiducia belli Palladis auxiliis semper stetit, hic dixit ex illo fluere ac retro sublapsa referri spes Danaum. spes, inquit, Graecorum stabat propitio Palladis numine, spes fluebat et stabilitate perdita retrorsum labebatur laesa tot sceleribus dea. aversa deae mens: propter duorum sceleratorum inpie nefarieque commissum ab omnibus Graecis numinis favor abscessit. dixit ergo et laesam Minervam et causas offensionis exposuit, memoravit etiam hoc genere Graecorum spem esse subversam. dicit argumentum multiplex quo iratam deam potuit ap-

8 *quoque* LR *que* ed. 11 *deum* ed. 20 *mendacio* ed. 21 *adiungit* ed. 23 *quia* om. ed. 27 *posita* R *perdita* r = L. 29 *inpium nefariumque* r. 33 *multiplexque* LR *m. quo* r *quomodo* ed. et transpos. | *iratam deam* L *irata dea* R ed.

parere. vix positum castris simulacrum, arsere coruscae luminibus flammae arrectis. hoc primum, inquit, indicium iracundiae suae dedit commotum tot sceleribus numen; mox enim ut eius simulacrum in castris est positum, ex oculis inanimalis materiae flammae non leves, sed in modum fulminis mittebantur. dicit etiam secundum signum salsusque per artus sudor iit. sudor ex simulacro non potest profluere, nisi cum aliquid mali portenditur. tertium signum terque ipsa solo (mirabile dictu) emicuit. hoc quoque fieri non potuit, ut se moveret simulacrum cui deerat substantia qua id posset inplere, nisi cum pernicies aliqua praenuntiabatur. parmamque ferens hastamque trementem quartum signum gravissimum, perniciem evidenter ostendens; nam se hostem sic professa est erigendo scutum hastamque quassando, quod non facit aliquod simulacri numen, nisi cum alicui comminatur interitum. conpleto eo quod iussus est dicere, quae religio, incipit quis auctor exponere et quo molem hanc inmanis equi statuere? quidve petunt? *extemplo*, inquit, *temptanda fuga canit aequora Calchas nec posse Argolicis excindi Pergama telis. omina ni repetant Argis numenque reducant quod pelago et curvis secum avexere carinis. et nunc quod patrias vento petiere Mycenas, arma deosque parant comites pelagoque remenso inprovisi aderunt, ita digerit omina Calchas. hanc pro Palladio moniti, pro numine laeso effigiem statuere, nefas quae triste piaret. hanc tamen inmensam Calchas attollere molem roboribus textis caeloque educere iussit, ne recipi portis aut duci in moenia posset neu populum antiqua sub religione tueri.* Calchantem adserit vatem laesam deam ab Argis ad Troiam revocari iussisse, ut ostenderet quis auctor. dicit etiam quidve petunt, hoc est quid disponant: et nunc quod patrias vento petiere Mycenas,

3 *commotum* LR *cum esset c.* ed. 6 *fluminis* LR corr. r ed. 11 *post* L *p* R *posset* r ed. 13 *gravissimam* R. 17 *iusus* LR *visus* ed. 20 *nec* LR *non* ed. 21 *argi* R *argis* r. 22 *advexere* R ipse corr. = L *adv.* ed. 27 *ne recipi* LR *neu r.* ed. 32 *quo* LR *quod* r.

arma deosque parant comites pelagoque remenso inprovisi aderunt, ita digerit omina Calchas. dixit quod Troianis esset contrarium, scilicèt redituros Graecos, ut cetera facilius crederent. religionis ergo placandae causa factum esse adserit, ut expiarentur quae memoraverat per scelus admissa. exponit dehinc quo molem hanc inmanis equi statuere, hoc est cur tantae magnitudinis. idem, inquit, Calchas iussit grandem molem fieri, ne portas vestras posset intrare; hoc enim pacto adserebat favorem deae ad vestrum auxilium esse rediturum. *nam si vestra manus violasset dona Minervae, tum magnum exitium (quod dii prius omen in ipsum convertant) Priami imperio Phrygibusque futurum:* si laesissetis equum ipsum qui in honorem tanti numinis factus est, multiforme exitium conflari posse Troianis, sed hoc ne velut in maledictum proficeret Troianorum, addidit quod dii prius omen in ipsum convertant. in conclusione ait *sin manibus vestris vestram ascendisset in urbem, ultro Asiam [magno Pelopea ad moenia bello venturam et nostros ea fata manere nepotes]:* satis illis profuturum, si ipsorum manibus in patriam duceretur, usque adeo ut Troianos firmaret ad excindendum Graiorum imperium ultro esse venturos et in eorum nepotes omne exitium esse rediturum.

*Talibus insidiis periurique arte Sinonis credita res captique dolis lacrimisque coactis:* quia poterat dici Aeneae cur tam faciles, cur tam creduli, cur in vestris periculis minus diligentes et cauti, cur belli tempore hostem ista adserentem putastis vera simpliciaque dixisse? ait credidimus, cum iuraret (omnis enim religiosus, qui periurus esse non potest, facile fidem iurantis admittit), credidimus,

4 *factum se esse* LR *se* del. ed. 13 *laesisset* ed. 14 *Troianis* LR *Tr. ait* ed. 17 *sin* — 22 *rediturum* in membrana abrasa scripsit r′. 17 *ascendisse* L. 18 *magno* — 19 *nepotes* deest in L (R?), sed explicatur; omissa habet r′ (fortasse haec ut suppleret erasit quae R scripserat cf. 203). 19 *satis* L ed. *adseruit satis* (r′ in) R. | *illi* ed. 22 *esse rediturum* L *esse* om. (r′ in) R. 26 *cauti* LR *c. fuistis* ed. 27 *credimus* LR (infra *credidimus*) corr. r ed. 28 *quippe iurus* R corr. r.

cum fleret, aestimantes illas lacrimas vero morsu doloris, non fraude mentientis effundi. quod ait capti dolis et lacrimis coactis, post interitum cognitum est, non illo tempore quo Sinon loquebatur. dolis vero capti hanc habet rationem: doli enim definitio est cum aliud agitur, aliud simulatur; aliud ergo in animo Sinonis fuit, aliud in verbis et lacrimis et in equi mole tam magna, quae non religio, ut figmentis adsertum est, sed imperii Troiani pernicies fuit. *quos neque Tydides nec Larissaeus Achilles, non anni domuere decem, non mille carinae:* unius fraude decepti sumus qui fortissimorum manibus et ingentis numeri per annos decem non sumus superati. conplexus est hic personas specialiter positas, numerum mille carinarum, temporis vero ratione excusationem praetexuit monstrans imperium Troiae non virtute aliqua, sed insidiis et fraude esse superatum. insidiae fuerunt in equi fabrica, reliqua in persona Sinonis. interea videtur illi propositioni Priami non respondisse qua dictum est aut quae machina belli? sed quid opus fuerat huic respondere, cum aliorsum traxerit equi rationem quae fuerat Troianis et ipsi regi suspecta? *hic aliud maius miseris multoque tremendum obicitur magis atque inprovida pectora turbat:* omni occasione purgat Aeneas crimen perditae civitatis et regni et in eo ipso in quo reprehendi poterat partis laudis exquirit ostendens, ut superius positum est, Graecos non virtute, sed dolis et fraudibus consecutos esse victoriam, adiungit hoc quoque, etiam dolos ipsos atque ipsas fraudes potuisse Troianorum astutia subverti, si studium superum diversae partis consilia non in tantum fovisset, ut Troianorum etiam mentes omni errore confunderet. denique adnectit quod hoc ipsum ostendat et probet: *Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos, sol-*

---

1 *existimantes* ed. 5 *enim* om. ed. 13 *numerum* LR *per numerum* ed. fortasse *numero* vel *ac numerum*? 27 *etiam* om. ed. 28 *astutias* L *is* superscr. II man. *astutia//* R cum rasura *astutiis* ed. | *averti* LR ed. vel *subverti* r′ in marg., quod recipiendum putavi. 32 *Neptuno* LR *-ni* r.

*lemnis taurum ingentem mactabat ad aras.* Laocoon, inquit, non sua nec cuiuslibet voluntate, sed iudicio sortis Neptuno sacerdos exciderat, quod munus procul dubio non sine arbitrio divino per sortem Laocoonti apparebat iniunctum. debuit ergo ipsorum favore tutus esse adversus omnem vitae suae perniciem, quorum voluntate fuerat ordinatus, sed nihil hoc valuit, ubi per sacrificantis interitum ad omnium Troianorum et ipsius patriae dispositum tendebatur exitium, in tantum ut ipse Neptunus sacerdotem suum sacrorum sollemnia gerentem in ipso adhuc actu constitutum, mactantem ingentem taurum hoc est optimum, cuius forma amplissima speraverat sese numini placiturum, nec iuverit aliquo auxilio et magis eius hostibus hoc est geminis anguibus, quo facilius pervenirent, placidum praebuerit mare. hoc est quod ait *ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta.* potuimus hoc signo praevidere manifestam inminere perniciem; significabant enim hostis venturos a Tenedo, et maximos duces et geminos. ubicumque ponitur ecce autem, res horrenda et repentina significatur, ut (318) „ecce autem telis Panthus elapsus Achivum" et (526) „ecce autem elapsus Pyrrhi de caede Polites" et multis aliis locis est positum. *horresco referens:* quanto cum tremore visum est cuius relatio sine perturbatione animi non potuit explicari! descriptio venientum satis aperteque terribilis; nam festinatio et oculi ardentes et linguae saepe continueque vibrantes demonstrabant alicui adlaturos interitum. hoc ostendit dicendo *inmensis orbibus angues incumbunt pelago pariterque ad litora tendunt, pectora quorum inter fluctus arrecta iubaeque sanguineae exuperant undas, pars cetera pontum pone legit sinuatque inmensa volumine terga. fit sonitus spumante salo, iamque arva tenebant ardentisque oculos suffecti sanguine et igni sibila lambebant linguis vibrantibus ora.*

3 *exciderat* LR *exierat* r *ordinatus erat* ed. 20 *ut* — 21 *Achivum* om. R suppl. r′. 25 *aperteque* L *apert* cum ras. R *aperteque* r possis *aperta atque* suspicari, sed cf. 5, 670 *satis vehementerque.* 29 *iubetque* LR corr. r.

*diffugimus visu exangues.* pontum pone legit id est transmittit, transit, ut alio loco (3, 292) „litoraque Epiri legimus", quod est praeterimus. quod autem in reliqua venientum descriptione est solum hoc continet, quia diversis terroribus fuerat plenum. venientibus vero anguibus ad terram diffugimus, inquit, exangues, visu ipso consternati: quoniam de anguibus loquebatur, adlusit, ut diceret diffugimus exangues. exangues tamen proprie significantur sine sanguine; calor enim, quo constat sanguis in corpore, si metus intervenerit, qui frigore non caret, excluditur perindeque convalescente gelida passione consumitur quod calebat. *illi agmine certo Laocoonta petunt:* agmen dicitur actus serpentum; cursus enim et iter pedum est, quos constat non habere serpentes, perindeque inproprium est, si hos dicamus ambulare vel currere. Laocoonta petunt certo agmine, ipsum scilicet sacrificantem. *et primum parva duorum corpora natorum serpens amplexus uterque implicat et miseros morsu depascitur artus:* inpietatem hic 215 superum vehementer expressit. primo enim sacerdos in ipsa adhuc sacrorum solemnitate constitutus adpeti pernicie tanta non debuit, concremari etiam filiorum exitio, occidi, cum pater filiis subvenire niteretur insontibus, ipsi etiam parvuli, qui in illa aetate nihil audere aut committere potuissent, crudeli morte interisse. cetera descriptio serpentum ad demonstrandam saevitiam facti pertinet et ad crudelitatem numinum confirmandam. interea necatis liberis, cum ipse quoque pari casu urgeretur ad mortem, *clamores,* inquit, *horrendos ad sidera tollit, qualis mugitus,* 222 *fugit cum saucius aram taurus et incertam excussit cervice*

---

3 *quod aut* L *quot autem* R *quod autem* r *quod ait* ed. 4 *descriptione eius* LR *eius* om. edF *est* nos. 13 *actus* LR *tractus* r. 21 *etiam* LR *nec cum* ed. *nedum etiam* r′ (quaere in marg. r). 22 *occidi* L *occiditur* R. | *cum pater* LR *pater cum* r. 23 *audire* R corr. r. 24 *potuissent* LR *p. ut* ed. | *interissent* LR *interierunt* r *interire meruissent* ed. *interisse* nos (sc. non debuerunt). | *cetera* LR *reliqua* ed. 27 *casu* R *cusu* L *cursu* ed. 24 *aram* LR *aras* ed.

*securim:* qualis tollit mugitus, cum aris taurus admotus non pleno ictu percutitur et aras effugit, talis emittebat Laocoon clamores ad sidera. reprehendentis scilicet animo faciebat, quod nec subvenirent tam saeva perferentibus et indigna fieri paterentur. adlusit autem de mugitu tauri, quoniam in illo sacrificio taurum fuisse memoraverat. tollit bis accipiendum est, ut sit tollit mugitum taurus, tollit Laocoon clamores ad sidera, ut illo vel vox per-
225 veniret unde insontibus non potuit subveniri. *at gemini lapsu delubra ad summa dracones diffugiunt saevaeque petunt Tritonidis arcem sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur:* confirmatur ista coniectura, quod non inertia sua neque sola Sinonis fraude, sed inimico etiam deorum studio et vel maxime ipsius Minervae, cuius donum Laocoontis manu constabat esse pulsatum, Troiani decepti sint, cum dracones ambo perfecta Laocoontis ac liberorum poena ad templum Minervae contenderunt nec solum contenti fuerunt parietibus templi, sed ad ipsam quoque arcem, hoc est ubi deae simulacrum stabat, celeri lapsu pervenerunt vestigiisque eius et clipeo contecti sunt. mirandum non est clipeo et simulacri vestigiis tegi potuisse quos supra et longos et validos dixit et multiplici ambitu circumdedisse Laocoontis corpus ac liberorum et fuisse superfluam partem. interea amplexus dixit serpentum, cum pueri et Laocoon necarentur, ut ostenderet Vergilius esse blandos, esse aliquando etiam perniciosos amplexus. vulgatum autem constat et omnibus manifestum in mari angues, in terra serpentes, in templo dracones poetam dixisse.

*Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis insinuat pavor:* tum vero tunc magis; supra enim dixit horresco referens et diffugimus visu exangues, nunc autem perfecto Laocoontis et filiorum exitio et draconibus con-

---

1 *securum* R *securem* r. 3 *scilicet* om. ed. 4 *faciebat* LR *tollebat* ed. 26 *esse blandos* LR *esse* om. ed. 31 *tum magis* ed. 32 *autem* LR *vero* ed.

ditis sub scuto et pedibus deae magis magisque creverat pavor. *et scelus expendisse merentem Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur laeserit et tergo sceleratam intorserit hastam:* ex argumento eiusmodi timida omnium coniectura ducebatur, omnes quippe arbitrabantur Laocoontem meritum poenas dedisse utpote eum qui donum Minervae violasset. de poena filiorum Laocoontis, qui insontes necati sunt nec quicquam admiserant, nihil hoc loco dixit; natorum enim durum interitum, quem ante suam mortem Laocoon viderat, inter paterna supplicia numeravit. *ducendum ad sedes simulacrum orandaque divae numina conclamant:* omnium una fuit eademque sententia atque ab universis concordanti voce clamabatar ducendum in patriam simulacrum equi et numinibus laesis atque offensis satis esse faciendum. *dividimus muros et moenia pandimus urbis. accingunt omnes operi pedibusque rotarum subiciunt lapsus et stuppea vincula collo intendunt:* plena describitur amentia Troianorum; nam eo tempore quo nec finitum bellum fuerat nec positum neque aliqua coniuratione sopitum muniri magis quam prodi civitas debuit. scindimus, inquit, muros et hoc facto totam prodimus hostibus civitatem; muris enim inconsulte patefactis interiora moenia pandebantur. ecce et augmentum sceleris: accingunt omnes operi, ne quis ab illo nefario et inpio facinore esset inmunis, pedibusque rotarum subiciunt lapsus et stuppea vincula collo intendunt, quaerebantur celeritatis remedia, ut mature in patriam mitteretur interitus; nam pedibus ingentis machinae subiciebant rotas et funis intendebant collo, ut rotarum mobilitas et tractus funium et civium atque aetatum omnium et sexuum nisus exitiale

---

4 *augmento* LR *argumento* r edF. | *huiusmodi* R. 6 *meritum* LR *meritam* r *merito* ed. | *poenam* R *poena* L *-as* II man. 8 *nec* LR *qui nec* ed. | *admiserit* R. 20 *coniuratione* LR *coniunctione* ed. | *prodi* LR *patefieri* ed. 21 *pacto* ed. 22 *hostibus* om. R. 28 *rotarum* LR *lapsus* add. rHO ed. *rotas* nos, quia *mobilitas* sequitur (potest archet. *rotar* habuisse, quoniam *r* et *s* saepe permutantur). 30 *nisus* LR *conatus* ed.

illud malum celerius in patriam ducerent. *scandit fatalis machina muros feta armis. pueri circum innuptaeque puellae sacra canunt funemque manu contingere gaudent:* ibat in patriam ultimum fatum, et puerorum utriusque sexus inprudens aetas secuta errores nostros religiosa cantabat, exerebant innoxii parricidalis manus patriae simul, parentibus ac sibi ducentes exitium. quisquis funem contigisset vel rotarum lapsus adiuvaret laetabatur existimans diis sese talibus officiis placiturum. *illa subit mediaeque minans inlabitur urbi:* mira admodum descriptio ingredientis equi; cum enim traheretur tanta magnitudo, cum quodam tremore movebatur. hunc tremorem Vergilius ratione temporis dictante vertit in comminationem, ut non tam moveri videretur magnitudine sua quam minari. mediaeque minans inlabitur urbi: nisi ordinatio verborum conpetenter fiat, remanet poeta in vitio. quomodo enim equus in media urbe labebatur qui portas nondum fuerat ingressus? posterius enim dictum est quater ipso in limine portae substitit. ordinamus ergo sic, ut nec vitium sit et manifestior intellectus appareat: illa subit et inlabitur et nondum ingressa iam mediae urbi minari videbatur. *o patria, o divum domus Ilium et inclita bello moenia Dardanidum! quater ipso in limine portae substitit atque utero sonitum quater arma dedere. instamus tamen inmemores caecique furore et monstrum infelix sacrata sistimus arce:* non, inquit, in hac causa dii patrii defuerunt; nam omne malum quod mox fuerat venturum ipsis per signa monstrantibus evidentissime proditum est. sed mens inpedita plenis erroribus id quod pro nostra salute faciebat non curavit ad-

---

2 *pullae* LR corr. L II man. r. 5 *religiose* ed. 6 *exercebant* ed. 8 *adiuverat* LR *adiuvisset* ed. *adiuvaret* nos. | *diis sese* LR *se diis fore* ed. 15 *fiat* L, sed ita scriptum, ut *piat* legi possit, quod R habet, inde *accipiatur* L II man. H ed. *fiat* r. 17 *nondum* LR *non* ed. 19 *ordinemus* ed. 26 *omnem alium* L in *omne malum* corr. partim ipse partim II man. 29 *faciebat* LR ed. vel *fiebat* r in marg. fortasse *faciebant* cf. 5, 804?

vertere. in ipsa enim porta et frequenter substitit, hoc est lapsus eius inpediti sunt, et quotiens id factum est totiens ex eius utero armorum sonitus dati sunt. cumque haec fierent et res manifesta nec mente intellegeretur nec videretur oculis, inde magis gliscente amentia unde potuit insidiarum prodi commentum, factum est ut in sede religiosa crudelis fabricae latebrae conderentur. quod autem ait o patria, o divum domus Ilium, hoc adstruere voluit, illam civitatem non iam plurima templa multorum deorum habuisse, sed universam templum fuisse cunctorum. *tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris ora dei iussu non umquam credita Teucris:* accessit, inquit, iis omnibus etiam denuntiatio Cassandrae, quae accepta non est, quia responsa eius fuerant Apollinis iussione damnata. *nos delubra deum miseri, quibus ultimus esset ille dies, festa velamus fronde per urbem:* tanta, inquit, nos per idem tempus dementia presserat, ut inminente nostro et civitatis exitio laetis frondibus templa omnia tegeremus. non dixit coronavimus templa, sed teximus, ut ostenderet satis officiosos fuisse iuxta deos qui in illa clade cum ipsis essent cultoribus perituri.

*Vertitur interea caelum et ruit Oceano nox involvens umbra magna terramque polumque Myrmidonumque dolos:* vertitur caelum et ruit nox. hoc vult adludere, quod versata aliqua re cadat ex ea quod intrinsecus tenet. versato ergo caelo quod praebebat lucem tenebrae ex eo continuo ceciderunt hoc est nox diei successit, ut insidiis Graecorum suffragium quoque nocturni temporis iungeretur. involvens umbra magna terramque polumque Myrmidonumque dolos. involutum dicimus quod, cum apparet primitus, dehinc opertum penitus oculorum conspectibus abiuratur, involuta igitur dixit omnia, utpote quae non viderentur obsistentibus tenebris. *fusi per moenia Teucri conticuere,*

---

4 *manifesta* LR *manifestae* ed. | *intellegerentur* — 5 *viderentur* LR ed. *-retur* nos. 11 *operit* R corr. r. 12 *iis* LR *his* ed. 31 *abiuratur* LR *abstrahitur* edF.

*sopor fessos conplectitur artus:* necessitate, inquit, laboris ac temporis silentium factum est omnium omnesque dormierunt fusi, laboris propter equi tractum, temporis vero quo homines natura urgente coguntur in somnum. *et iam*
255 *Argiva phalanx instructis navibus ibat a Tenedo:* iter per terram dicimus fieri, hoc tamen loco ibant inquit, hoc est navibus ferebantur, quoniam insulam dixerat Tenedum, ne, si navium non fecisset mentionem, putaretur inmemor sui, ut terram poneret quam secundum descriptionem superiorem nullam esse constabat. *tacitae per amica silentia lunae litora nota petens:* multi vitium putant scribentis, ut qui dixit „et ruit Oceano nox involvens umbra magna terramque polumque Myrmidonumque dolos" hic diceret tacitae per amica silentia lunae. nullum in hoc vitium est, si quidem nonnullae noctes habent primas partis tenebrosas, sequentis vero luna superveniente inlustris. tale ergo noctis tempus elegerant Graeci quod tenebras haberet oportunas conplendis insidiis et somni quietem daret et dehinc aliquid luminis ex radiis lunae, ut sine periculo vel errore venirent a Tenedo ad civitatis excidium. litora nota petens, ut duo venientibus suffragarentur, luna et litorum notitia. *flammas cum regia puppis extulerat,* quia, venientis Sinon si videre nequibat, flammarum lumine adventum suorum poterat noscere. quo cognito idem Sinon, *fatisque deum defensus iniquis,* hoc est voluntate deorum ad Troianorum adversa servatus, qui solus pervigilans est propter conplendas insidias, *[inclusos utero Danaos et pinea furtim] laxat claustra Sinon.*

---

3 *laboris* LR *labore* r ed. (falso cum *fusi* coniungentes). | *temporis vero* LR (non mut. r) *concepto tempore v.* ed. 6 *ibant* LR ed.: aut *navibus* excidisse aut *hoc est* post *navibus* transponendum esse puto. 7 *Tenedon* ed. 10 *nullam* LR ed. *insulam*? 15 *habeant* LR *habent* r ed. 18 *et somni* LR *et quod. s.* ed. 21 *suffragarent* R. 23 *si* transpos. ed. 27 *et propter* LR quaere adnotat r *et — insidias* ante *qui* transpositum vel *et propter timorem* additum vult r′ *est* pro *et* corr. edF. 28 *inclusos — furtim* deest in LR, sed explicatur.

*illos patefactus ad auras reddit equus:* hos, inquit, auris reddidit equus quos tenebat inclusos. bono verbo usus est reddit: quos, inquit, latebris occultandos acceperat reddit aeri; non potuit dici reddit luci eductos ex tenebris, quoniam nox fuerat. *laetique cavo se robore promunt:* laeti vel propter conservationem salutis suae vel quia provenerant quae desperatam multo tempore victoriam conplere potuissent. incipiunt enumerari qui fuerant clausi, ut specialiter eorum nominibus et meritis expressis ostendatur in causa reipublicae hoc est publici commodi optimum quemque salutem suam debere contemnere: *Thessandrus,* inquit, *Sthenelusque duces et dirus Ulixes.* ecce ostendit et nomina et dignitates, sed licet Ulixis non dixerit dignitatem, intellegitur tamen etiam de ipso dixisse. cum enim dicit duces et iis Ulixen adiungit, etiam ipsum potest videri ducem posuisse. potest etiam sic, ut idcirco de Ulixis dignitate tacuerit, quoniam fuit nota persona. tribus evidenter ostensis, ne continuatio nominum fastidium faceret, quemadmodum universi per equi altitudinem descenderint ad terram in medio posuit. *demissum,* inquit, *lapsi per funem:* haec descriptio et ad superiora nomina pertinet et ad ea quae posterius posuit. *Athamasque Thoasque Pelidesque Neoptolemus primusque Machaon et Menelaus et ipse doli fabricator Epeus:* doli fabricatorem non fabrum intellegere debemus, quoniam tanta moles ab uno fieri non potuit, sed inventorem fraudis ipsius. omnes, ut dictum est, demissum lapsi per funem. quod ipsum satis ingeniosum fuit, ut taciti per funem laberentur, ne ex altitudine saltu venientes in terram aut laederentur aut strepitu suo dormientis facerent excitari. denique etiam hoc profecit ad effectum fraudis, usque adeo ut nec ipsi vigiles armatos subito emersisse sensissent. *invadunt*

---

1 *aeri* pro *auris* ed. post. 6—7 *pervenerant quo* ed. 8 *incipit nunc enumerare* r′. 11 *thesandrus* L. 12 *inquit* om. ed. 15 *iis* LR *his* ed. 19 *faceret* LR *pareret* ed. 22 *achamasque* LR. 23 *neptulemusque* LR. 24 *ipheus* LR. 27 *satis* om. ed.

*urbem somno vinoque sepultam. caeduntur vigiles:* insperatum malum vigiles primo pertulerunt et ante omnis occisi sunt, ne nuntiarent suis quae gererentur. *portisque patentibus omnis accipiunt socios atque agmina conscia iungunt:* portas patentis dixit et illam quae vere porta fuerat et illam quae propter equi transitum fuerat procurata. ordinatur autem sensus sic: caeduntur vigiles portisque patentibus omnis accipiunt socios atque agmina conscia iungunt et invadunt urbem somno vinoque sepultam, ne sit vitium poetae quod primum invasam urbem posuit ac postea descripsit socios omnis receptos esse per portas. non enim soli qui in equo fuerant conditi omnem poterant invadere civitatem, sed prudenter agendi ordo servatus est nec aliquid temere factum. nam primo patefactus est equus, dehinc vigiles occisi, ne hoc ipsum nuntiarent universis, suscepti quoque omnes socii, tunc per totam urbem sparsi sunt et ad vicem mortuorum dormientis caedere coeperunt, quippe quos duplex oppresserat malum, vinum plurimum et ex fatigatione altior somnus. ecce laus bonorum civium; periculo quippe paucorum procurata victoria est quae annis decem et mille navibus et infinito armatorum numero quaeri non potuit.

*Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris incipit et dono divum gratissima serpit:* ne crimen esset ipsius Aeneae quod ipso dormiente civitas interisset, iusta et multiplex praetenditur excusatio. omnes, inquit (252), quieto silentio tenebantur (dormiebant bene diceretur, si somno tantum et non etiam vino viderentur oppressi), se tamen Aeneas adserit ea hora quietum fuisse qua omne animantum genus reficit somnus, cuius initia tantum ponderis habent tantaque vi mentes opprimunt, ut omnium cogitationum cura summota altius sopiantur. cumque sit somni divinum munus et ad refectionem hominum diis

10 *ne* LR *ut* ed. | *invasam* LR *fraude expugnatam* ed. 27 *dormiebant* LR *et d.* ed. 28 *sed* LR ed. *se* nos. 29 *quietum* LR *se quietum* ed. (vel *quietis tum* r′ in marg.). 33 *somnus* ed.

volentibus attributum, crimen non est, si concesso tempore
dormiatur. *in somnis ecce ante oculos maestissimus Hector* 270
*visus adesse mihi largosque effundere fletus:* hic Vergilius
tractat non veras, sed verisimilis imagines videri, cum ali-
quae dormientibus offeruntur. idcirco dixit ex Aeneae
persona visus adesse, quia Hector illi non verus neque
ipse qui fuit, sed verisimilis visus est. incipit iam ima-
ginatio ipsa: descripsit tristia omnia atque adversa signi-
ficans, maestus, inquit, fuit largosque fletus videbatur
effundere. *raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento*
*pulvere perque pedes traiectus lora tumentis, squalentem* 277
*barbam et concretos sanguine crinis vulneraque illa gerens*
*quae circum plurima muros accepit patrios:* gerens ad
omnia pertinet, ut sit squalentem barbam gerens et con-
cretos sanguine crinis gerens vulneraque illa gerens, ut,
etiamsi nihil verbis nuntiasset, coniectura colligeretur fu-
nesta portendere, utpote quae essent victi, occisi, tristis ac
sordidi. *ultro flens ipse videbar conpellare virum et maestas* 280
*expromere voces:* ecce et hic adserit poeta non veras esse
imagines, sed verisimilis quae videntur in somnis. deni-
que non dixit Aeneas flevi aut locutus sum, sed visus
sum mihi flere vel loqui, tristia sine dubio, quia talis
persona videbatur adstare. *o lux Dardaniae, spes o fidis-*
*sima Teucrum, quae tantae tenuere morae? quibus Hector*
*ob oris expectate venis? ut te post multa tuorum funera,*
*post varios hominumque urbisque labores defessi aspicimus?* 285
*quae causa indigna serenos foedavit vultus? aut cur haec*
*vulnera cerno? ille nihil nec me quaerentem vana moratur,*
*sed graviter gemitus imo de pectore ducens:* errorem dor-
mientis voluit poeta describere, ut quod optime noverat
quasi nescius interrogaret, deinde eo tempore quo mani-
festo discrimine tenebatur, eo tempore quo non ad inanis
fabulas, sed ad insinuandum interitum Troiae et ad ex-

---

8 *descripsit* L *describit* R *describi* r *et describens* ed. | *tristitia* LR *tristia* r ed. 11 versus 274—276 *hei — ignis* lemmati inseruit ed. desunt in LR neque explicantur.

citandum dormientem fuerat ventum. denique, dum vana superfluaque perquireret, non ille ad interrogata respondit, sed cur venisse videretur ductis ex alto gemitibus expressit, qui tamen vel ex qua causa fuerint ipsi gemitus ipse in sequentibus evidenter ostendit. fugam quippe viro forti suadebat imago viri fortis, civi optimo optimus civis. quod ipsum non suaderet, si superesset aliquid cui posset ope aliqua vel auxilio subveniri. denique mox consequitur causa quae omnem vim desperationis ostenderet ipsaque omnis stricta brevitate concluditur, ut periculum praesens et mox inevitabile futurum vitari potuisset. ait enim *heu fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis,* scilicet non venturis interiecto spatio temporis, sed quae in praesenti et monstrari et videri potuissent. recte autem coepit a doloris signo dicens heu fuge; dolebat enim duo. qui enim ad auxilium debuit hortari virum fortem magis dicebat fugiendum ei. et, quod sic interierat totum, ut non superesset aliquid quod posset boni civis adiumento
290 fulciri, additur secunda desperatio *hostis habet muros:* possedit hostis unde expugnari potuerat. tertia desperatio *ruit alto culmine Troia,* hoc est concidit iam cui poteras subvenire. hi igitur fuere gemitus admonentis, quod omnia in unum mala nefariaque convenerant, fuga, ut dictum est, indicta viro forti et interitus Troiani imperii. verum ne desertae patriae genitalis incursurum se culpam arbitraretur Aeneas, si id fecisset, augmentum plenissimae desperationis adiungit, ut hanc modis omnibus submoveret. nulla est quippe, si relinquatur quod sic periit, ut nulla possit opitulatione fulciri. quod ipsum ut apertius signaret, addidit *sat patriae Priamoque datum,* ut plenum venisse interitum demonstraret. *si Pergama dextra defendi possent etiam, hac defensa fuissent:* quia poterat Aeneas

---

1 *dum* L R ed. *cum?* 16 *hortare* L R corr. r. 19 *hostes* L R. 20 *possidet* r. | *expugnari* L R *is reici* ed. | *potuerat* L *potuissent* R *-isset* r. 21 *alto* L R *alto a* ed. 27 *hanc* L R *hunc* ed. 28 *quippe* L R *culpa* r. 32 *possint* L R, sed infra *possent.* | *hec* L R *haec* r *hac* r′: lemma secundum interpr. distinxi. | *poterit* R *poterat* r = L.

dicere auxiliabor captae urbi, ille praevenit et ait contra tantam vim humanam nihil posse virtutem. et subnexuit huius rei probationem, si possent, inquit, Pergama humano auxilio communiri etiam hoc est adhuc, et mea potuit dextera defendi. sic ergo pronuntiandum est, ut dicamus si Pergama dextera defendi possent etiam. sic enim et alio loco (4, 38) positum legimus „placitone etiam pugnabis amori?“ hoc est adhuc. ipso verbo hic quoque usus est, scilicet potuisse sua dextera defendi patriam, si ei adhuc incolumitas sineretur. *sacra suosque tibi commendat Troia penatis, hos cape fatorum comites, his moenia quaere magna, pererrato statues quae denique ponto:* ecce ostendit et fugiendum esse et non esse flagitium, si fugerit, cum ipsam patriam inducit Aenean velle liberari per fugam et sacra et deos quibus aliquando viguit asportanda commendantem; atque eo magis petendam fugam, quod constaret regnum illud ope hominis ulterius defendi non posse, quod nec dii sui tueri potuerunt. quantum autem Aeneae addatur ad meritum ex hoc datur intellegi, cum illi sacra et deos suos intercepta Troia commendat; aut enim nimium religiosum probare voluit aut ipsis religionibus conservandis aptissimum aut diis ipsis certe potiorem. nullus enim commendatur nisi qui sit eo cui commendatur inferior. haec autem dicit sacra et eos commemorat deos quorum poeta in themate mentionem fecit dicens (1, 6) „inferretque deos Latio“. ecce etiam hic agitur causa fugituri, ne ullam ex eo contrahat culpam. suadet fugam imago viri fortis, suadet ipsa etiam patria, quae in auxilium sui viri fortis animum debuit invitare, datur fugituro deorum societas omniumque sacrorum. quid enim

---

4 *potuit* LR *potuissent* edF, sed *defendi* impersonaliter positum videtur, ut poetae verba varientur. 6 *posset* LR, sed supra *possent.* 7 *placitione* LR corr. L ipse r *placidone* ed.: 4, 38 nihil de hac interpretatione verbi *etiam.* 10 *sineretur* LR *relinqueretur* ed. 11 *has* LR. 14 *ipsam patriam* LR *ipsa patria defendi non possit* ed. 15 *quibus — commendantem* om. ed. 28 *patria* om. R add. r.

Aeneas posset in ea causa in qua dii ipsi nec suis nec sibi adesse potuerunt? verum quia sacrorum et deorum debuit expressius ostendere rationem, a generalitate transiit ad speciem dicens *sic ait et manibus vittas Vestamque potentem aeternumque adytis ecfert penetralibus ignem.* sacra dixit quae ad consecrationem pertinebant, vittas scilicet et aeternum ignem, deos dixit penatis et Vestam ipsam. hos cape fatorum comites: qui commendatur alicuius meriti debet ostendi, ut ipse quoque monstretur profuturus ei cuius auxilium senserit. idcirco ait hos cape fatorum comites, adiuvabunt, inquit, fata tua, cum tui comites fuerint. his moenia quaere magna: magni sunt, inquit, magnum debes parare quod regant. hoc cum dicit, spem maximam futuri temporis pollicetur, ut calamitatis praesentis incommodum venturae prosperitatis utilitate pensetur. his, ait, statues moenia hoc est perficies. pererrato ponto: ut ostenderet vera se insinuare, praedixit prospera et iis laboriosa coniunxit.

*Diverso interea miscentur moenia luctu et magis atque*
300 *magis, quamquam secreta parentis Anchisae domus arboribusque obtecta recessit, clarescunt sonitus armorumque ingruit horror:* conpletis, inquit, admonitionibus Hectoris malorum omnium vis diversis generibus cumulata est. nuntiabantur quippe caedes et luctus fragore armorum et lamentabilibus vocibus, incendia vero ingruere significabant ingruentes aestus, quorum iam pulsabar ardoribus. nunc illud saltem profuit, quod domus patris mei longius fuerat submota. *excutior somno:* non dixit expergefactus sum; hoc enim aut ex satietate somni contingit aut de tranquillitate animi ac securitate mentis potest provenire:

3 *transit* L *-iit* II man. = R. 5 *etfert* R *ecfert* r = L. 7 *deos* LR edI *deo* edF[1] *ideo* ed. post. 8 *cape* LR *accipe* ed. 13 *quod regant* om. ed. 18 *iis* L *his* R ed. 22 *complexis* edF ut 640. 24 *nuntiabuntur* R corr. r = L. | *et luctus* LR *ex educto* ed. | *fragor* LR *fragore* corr. ed. 25 *et lamentabilibus* LR *cum l.* r. 27 *nunc* LR *nec* r fortasse recte. 28 *fuerat* om. R add. r′ = L.

quies ergo dormientis abrupta est. *et summi fastigia tecti ascensu supero atque arrectis auribus adsto:* volui, inquit, quid causae esset explorare de summo. ascensu igitur meo superavi summum tectum et attentis auribus singula coepi captare, conprehensurus scilicet ex alto quae videri per incendia possent vel audiendo cognosci. mittit similitudinem, ut ostendat quemadmodum civitas ardebat vel quemadmodum strepitus vel clamores diversi veniebant ad auris eius, comparans sibi pastorem, segetes vero ardentis incensae patriae, maiorem vim maiori violentiae, furentis austros saevientibus Graecis. idcirco ait *in segetem veluti cum flamma furentibus austris incidit aut rapidus montano flumine torrens sternit agros, sternit sata laeta boumque labores praecipitesque trahit silvas, stupet inscius alto accipiens sonitum saxi de vertice pastor. tum vero manifesta fides Danaumque patescunt insidiae.* tunc, inquit, incertis et dubiis recedentibus manifesta veritas patuit, tunc Graecorum insidiae dominantibus iam malis nostris evidentissime claruerunt. narratis interea quae auribus acceperat incipit referre quod pertinebat ad visum: *iam Deiphobi dedit ampla ruinam Vulcano superante domus, iam proximus ardet Ucalegon, Sigea igni freta lata relucent.* iam, inquit, ardebat quicquid nostris parietibus proximum fuit, Deiphobi et Ucalegonis domus, iam funestis incendiis patriae inluminatum fuerat mare. *exoritur clamorque virum clangorque tubarum:* eo pertinet, quia dixit tum vero manifesta fides Danaumque patescunt insidiae. tantum quippe profecerant Graecorum doli, ut nihil iam superesset quod occulte molirentur, usque adeo ut nec clamare metuerent nec suorum animos tubarum clangoribus excitare. videamus hic qualis Aeneae tractatus inducat, cui imago Hectoris fugiendum dixerat et cuius aspectibus interitus patriae subiacebat. audito, inquit, tubarum clangore et aperto excidio civitatis accensus non fugi, ut Hectori visum est,

---

12 *incedit* LR corr. r. 24 *iam* LR *et iam* ed. 31 *inducatur* ed. 32 *fugiendum* LR *f. esse* ed. | *affectibus* ed.

sed *arma amens capio,* hoc est omnibus adversis, mente
turbata non in fugam, sed in arma conversus sum. *nec*
315 *sat rationis in armis, sed glomerare manum bello et con-*
*currere in arcem cum sociis ardent animi:* non enim, in-
quit, integram mentis intentionem habere potui quem
tubarum licet hostilium clangor et excidium patriae geni-
talis accenderat. secutus igitur quod amat armatus et
dimisso tutiore consilio, quod amentia confuderat, ardente
patria ipse quoque ardebam furore bellandi, usque adeo
ut glomeratam sociorum manum quaererem bello, ut, si
fieri potuisset, vel arcem tueremur ab hostibus. *furor*
*iraque mentem praecipitant:* iracundia, inquit, et furor con-
silio deficientem praecipitabant, hoc est non quo volebam
inpellebar, sed quo vellet amentia. hoc loco egregie po-
suit mentem praecipitant; quicquid enim praecipitanter
urgetur maiore vi coactum non quo voluerit, sed in eam
partem cadit in quam ruinae pondus adduxerit. *pulchrum-*
*que mori succurrit in armis:* quia victoriae conquirendae
non fuerat spes, non ut vincerem ferebar in bellum, sed
armatus volui mori et interire cum patria.

*Ecce autem telis Panthus elapsus Achivum, Panthus*
320 *Othryades, arcis Phoebique sacerdos, sacra manu victosque*
*deos parvumque nepotem ipse trahit cursuque amens ad*
*limina tendit:* ego, inquit, animo ardebam ut adunatis
quam plurimis vel arcem defenderem, sed iam etiam ipsa
fuerat capta. denique Panthus, arcis eiusdem sacerdos et
Phoebi, violentia inde periculi praesentis exclusus repente
apparuit et, licet telis hostilibus fuisset elapsus, quia
tantae fuit pietatis ac religionis, officii sui etiam in ultimo
discrimine non est inmemor factus; nam secum avexerat
omnia quae in illa arce colebantur. portabat quippe suis

---

3 *stat* LR corr. L II man. r. 6 *licet* LR *scilicet* ed. 7 *accenderat* LR corrupit edF. 11 *vel arcem* LR *arcem saltem* ed. 12 *praecipitat* L corr. in *-ant* ipse. 13 *deficientem* LR *deficiente mentem* ed. 15 *praecipitat* R. 16 *vi coactum* LR *impulsu* ed. 24 *adunatis* LR *collectis* ed. 29 *nihil timo* R *in ultimo* r = L. 30 *secus* R *secum r.*

manibus sacra, portabat et deos victos, ut ostenderet humanum auxilium adversus eam vim non fuisse necessarium cui ipsi quoque dii pro se resistere nequiverunt. parvumque nepotem ipse trahit: quoniam fugientis avi passibus non valebat concurrere, trahebatur. cursuque amens ad limina tendit: tutis exclusus ad intuta confugiens plenam testabatur amentiam, cum eo fugiens curreret ubi cum ipsis diis potuisset incendi. *quo res summa loco, Panthu? quam prendimus arcem?* interrogatio brevis pro ratione temporis sumpta, quaesita etiam pro persona fugientis, qui se ac deos et nepotem hostili violentiae subtrahere cupiebat, pro eius quoque persona qui adversa licet mature volebat audire. ait ergo quo res summa loco, Panthu? summa rerum est malorum vel bonorum concinna definitio, qua celerius exprimi possint adversa vel prospera. quam prendimus arcem? arcis est secunda defensio, inventa idcirco, ut evictis muris ipsa succedat. recte ergo quaesitum est quam prendimus arcem? videbat enim fugientem Panthum arcis munimine cum ipsis diis evidenter exclusum et sciebat nullam esse aliam praeter ipsam. noverat quoque ex insinuatione praeterita Hectoris hostili multitudine iam muros esse possessos. *vix ea fatus eram, gemitu cum talia reddit: venit summa dies.* miram in respondendo celeritatem posuit extitisse pro ratione temporis supra dicta et pro ratione personarum, fugientis scilicet et audire cupientis: antequam interrogationi meae finem, inquit, feci, ille mixto verbis gemitu talia reddidit. cum propositionibus omnibus responderi conveniat, hoc vel maxime loco praedicanda vehementer est poetae nostri artificiosa subtilitas. isdem enim verbis eademque brevi-

---

4 *avi* R *aut* L om. ed. 5 *occurrere* LR ed. *concurrere* nos. 6 *exclusis* ed. | *intuta* LR *non tuta* ed. 10 *pro persona* L *pro* om. R add. r. 11 *et nepotem* LR *ac n.* ed. 13 *mature* LR *celeriter* ed. 14 *rerum* LR *res* r. | *malarum vel bonarum* ed. 15 *possit* R. 16 *arcs* L *x* superscr. II man. *arx* R ed. *arcis* nos (cf. *somni* 269). 19 *arcis munimine* LR *ab arce* ed. 27 *inquit* om. ed.

tate et instruxit inscium et quae summa esset rerum plene perdocuit: ille dixit „quo res summa loco?“ hic dixit venit
325 summa dies. *et ineluctabile tempus Dardaniae,* hoc est quod luctando superari non possit. venit bis accipiendum est, ut sit venit dies, venit tempus. *fuimus Troes, fuit Ilium et ingens gloria Teucrorum:* interiit, inquit, totum quicquid apud nos floruit. expressa rerum summa incipit dicere quid geratur vel quid viderit, quamvis et hoc possit ad summam rerum pertinere: *ferus omnia Iuppiter Argos transtulit.* ferus Iuppiter moraliter positum; in adversis enim nimio malo vel certe, ut putamus, iniusta ex causa commoti etiam deos male tractamus. unde ergo ferus ipse ostendit dicens omnia quae apud nos fuerant laeta transtulit in Graecos et sic nos nimia feritate prostravit, ut cui noceret postea non haberet, nullis scilicet reliquis reservatis. Argos omnia transtulit, hoc est felicitatem Iliensem Argos transtulit. Argos, non ad Argos quasi ad Graecos, sed ad civitatem quae Argos diceretur. *incensa Danai dominantur in urbe:* non pugnant adhuc Graeci, sed securi de victoria dominantur utpote ardente universa civitate. *arduus armatos mediis in moenibus adstans fundit equus:* magna perturbati hominis et metuentis prosecutio; cum enim iam equus fudisset armatos, omissis rebus perfectis, quasi adhuc gererentur quae transierant, fundit inquit, non fudit, modus enim inperfectus maiorem terrorem facit. ordinatur autem sensus sic, arduus equus in mediis moenibus adstans fundit armatos, ne incipiat esse vitium, si dicamus in mediis moenibus fundit. *victor-*
330 *que Sinon incendia miscet insultans:* cum teneretur inter initia Sinon, insultabant captivo Troiani, uni omnes: nunc ipse universis et patriae, ad cuius interitum fovebat incendia hostis magis animo quam necessarie faciens,

---

2 *hoc* R *hic* r = L. 7 *floruit* LR *fuit* ed. 16 *reliquis* LR *-iis* r om. ed. 17 *non ad* LR *non* ed. 25 *inperfectis* R *-us* r = L. 32 *māḡ* LR *magno* ed. *magis* nos. | *animo* LR in *animi* corr. r (*magnanimi* velle videtur). | *qui* LR ed. del. r *quam* nos. | *necessarie* L *-riae* R *-ria* r. | *faciens* LR *faciebat* ed.

nunc insultationis hoc fuit quod dicit. *portis alii bipatentibus adsunt, milia quot magnis umquam venere Mycenis:* ecce etiam hic portarum bipatentium significatio est; supra enim dixit „portisque patentibus omnes accipiunt socios atque agmina socia iungunt“. ostendit unam portam quae ingredientibus atque regredientibus muris incolumibus fuerat praeparata, alteram dicit quae diruta murorum parte fuerat patefecta, ut equi moles inmensa posset induci. per has ergo portas cum paulo ante poeta dixisset „omnis accipiunt socios atque agmina conscia iungunt“, hic quoque illo inperfecto modo utitur Panthus, ut metum maximum referendo confirmet. adsunt, inquit, milia quot magnis umquam venere Mycenis, quasi non Tenedo remeassent quos habuit Troia. dicitur iam causa propter quam nec Panthus fugere extra patriam potuit nec Aeneas secundum Hectoris sententiam valebat exire: *obsedere alii telis angusta viarum oppositis, stat ferri acies mucrone corusco stricta, parata neci.* omnia, inquit, adversa sunt et in eum desperationis cardinem ducta, ut nec consistere in patria quisquam sine pernicie possit nec saluti fugiendo consulere. *vix primi proelia temptant portarum vigiles et* 335
*caeco Marte resistunt:* cum supra dixerit „caeduntur vigiles“, quomodo hic dicit vix primi proelia temptant portarum vigiles et caeco Marte resistunt? aut non omnes caesi tunc fuerant cum hostis muros intraret et reliqui resistebant aut illis omnibus caesis aliarum portarum vigiles utcumque certabant.

*Talibus Othryadae dictis et numine divum in flammas et in arma feror:* cum talia mihi, inquit, Panthus insinuasset, quasi quodam deorum numine sic sum accensus, ut desiderarem mori. dixerat enim „pulchrumque

---

1 *nunc* LR ed. expunxit et *non* superscr. addito in marg. quaere r′ fortasse *nam*? | *insultationem* ed. | *patentibus* LR *bi* superscr. L II man. 2 *nunquam* ed. 5 *ostendit* LR *que* add. r. 7 *fuerat praeparata* LR *fuerat* om. edF. 13 *nunquam* ed. 14 *quos* L ed. *sed quos* R. 17 *oppositi* ed. 30 *sum* LR *fui* ed.

mori succurrit in armis“: ecce hic dixit in flammas et in arma feror, ut ostenderet in tanto discrimine civitatis et desperatione omnium rerum mori se maluisse quam vivere. *quo tristis Erinys, quo fremitus vocat et sublatus ad aethera clamor:* illo ibam, inquit, ubi maximus fuerat clamor hoc est ubi maximum periculum fuit et facilior mortis occasio.
340 *addunt se socios Ripheus et maximus armis Epytus oblati per lunam Hypanisque Dymasque et lateri adglomerant nostro iuvenisque Coroebus Mygdonides:* dicturus plurimorum nomina, ne omnium facta continuatione odiosum faceret narrationem, interposuit quae separatione facta fastidium removerent. unde ordinatur sensus hoc modo: addunt se socios et lateri adglomerant nostro oblati per lunam Ripheus, Epytus Hypanisque Dymasque iuvenisque Coroebus. hic quaeritur cur dixerit oblati per lunam, cum ipse superius (250) posuerit „vertitur interea caelum et ruit Oceano nox involvens umbra magna terramque polumque Myrmidonumque dolos“. hoc ne sit vitium, talem, ut supra dictum est, noctem debemus accipere quales sunt plerumque, cum luna non per omne spatium noctis apparet.
347 *quos ubi confertos audere in proelia vidi, incipio super his:* multum quippe persuasio valet ubi iam inest voluntas persuasioni ipsi consentiens; si enim potest inviti quo velis transduci sententia, eo magis facilius trahitur uniuscuiusque mens, si persuasio eam volentem paratamque reperiat. *iuvenes, fortissima frustra pectora, si vobis*
350 *audendi extrema cupido est certa sequi, quae sit rebus fortuna videtis, excessere omnes adytis arisque relictis dii quibus imperium hoc steterat, succurritis urbi incensae: moriamur et in media arma ruamus; una salus victis*

---

7—8 *rhipeus* — *aephitus* — *hyphanis* — *dimas* LR. 11 *separatione* LR *desperatione* ed. 23 *potsst* LR *possunt* L II man. HO ed. 27 *audendi* (et in interpr.) LR *audentem* (in interpr. *audendi*) ed.: *sequi* in lectione Donatiana a *certa* pendet; contortam Donati (et Servii) interpretationem, qua *frustra* cum *succurritis* coniungitur, nulla interpungendi arte significare potui. 28 *dii* LR (ut semper).

*nullam sperare salutem:* sensum loci istius, quo facilius intellegatur, ordinamus hoc modo: iuvenes, fortissima pectora, quae sit rebus fortuna videtis, excessere omnes adytis arisque relictis dii quibus imperium hoc steterat, frustra succurritis urbi incensae: si vobis audendi extrema cupido certa sequi, moriamur et in media arma ruamus; una salus victis nullam sperare salutem. intellectus sic accipiendus est, iuvenes quidem estis fortissimi et de fiducia virtutis in bellum prompti cupitis adversis patriae subvenire, sed auxilium vestrum incensae quid proderit? non est igitur frustra laborandum vel maxime cum ea quam dii sui deseruerunt qui eius imperium tuebantur, et quoniam in omnibus praeventi sumus, moriamur si non pro ipsa, vel post eius interitum et in armatos ruamus voluntate promptissima; una enim salutis via est victis, si salutem quam tueri non possunt desperando contemnant. *sic animis iuvenum furor additus:* tantum, inquit, valuit persuasio mea, ut aetatis iuvenum voluntatisque intentio furore quodam ferretur accensa. *inde lupi ceu raptores atra in nebula, quos inproba ventris exegit caecos rabies catulique relicti faucibus expectant siccis, per tela, per hostis vadimus haut dubiam in mortem mediaeque tenemus urbis iter, nox atra cava circumvolat umbra:* secundum necessitatem temporis miram conparationem induxit. lupus enim inprobissimum genus est animalis, saevum satis et in praedam semper ac vehementer intentum et tunc magis cum catulos habet, cui nihil aliud aptum sit ad conplendas insidias quam caligo ac tenebrae, salutem sic contemnens, ut sine eius desperatione vivere non possit, contraria iugiter cogitans, ut quod optat inveniat. ita, inquit, et nos aperta in pericula ruebemus; neque enim dubia pernicies fuit, cum ferremur per mediam urbem, per confertos hostis et armatas strictis mucronibus dexteras,

1 *superare* LR *u* del. L II man. r. 10 *incensae* LR *i. urbi* ed. 17 *valet* LR *valuit* L ipse r. 18 *aetatis* LR edl *aetas* r? edF. 21 *hostes* LR. 22 *vidimus* R *vadimus* r. 27 *cum* LR *quando* ed. 28 *tenebras* L *-brae* ipse *-bra* R *-brae* r.

unum habentes in subsidio, quod tenebrosae noctis auxilio iuvabamur. noctis istius qua interitus extitit Troiae varietatem Vergilius posuit. in prima enim eius parte (250) dixit „vertitur interea caelum et ruit Oceano nox involvens umbra magna terramque polumque Myrmidonumque dolos“, sequenti in parte (255) dixit „tacitae per amica silentia lunae“, item ait (340) „oblati per lunam“, nunc nox atra cava circumvolat umbra. diversitas ista hoc genere videtur posse dissolvi, ut iam diximus, ut nox illa nec tota habuerit tenebras nec omnis ex radiis lunae fuisse videatur inlustris. si ergo primum noctis tempus fuit tenebrosum, sequens vero superveniente luna probatur inlustre atque ita, ut in diem quoque durare potuisset, quomodo hic dicitur nox atra cava circumvolat umbra? debet enim convenire in ista luporum conparatione etiam noctis similitudo, quae tunc insidiis apta est cum densatur tenebris. hic accipere possumus perseverasse quidem lunam, sed fumo obscuratum eius lumen qui ex magno civitatis incendio vomebatur. *quis cladem illius noctis, quis funera fando explicet aut possit lacrimis aequare labores?* meminerat se dixisse (6) „quis talia fando Myrmidonum Dolopumve aut duri miles Ulixi temperet a lacrimis?“ hoc ipsum hic quoque repetivit, multiplices, inquit, dolores et vel maxime proprios cuius animus potest referre sine lacrimis aut labores tantos verbis aequare? hanc generalitatem incipit enumerare per species adserens in ipsa relatione personam praecipui civis et deorum religiosi cultoris speciesque ipsas dividit in ea quae maiores possent gemitus excitare: *urbs antiqua ruit, multos dominata per annos [plurima perque vias sternuntur inertia*
365 *passim corpora perque domos et religiosa deorum limina].* cecidit, inquit, urbs antiqua: fuit dolor quod periit patria, quam utique religiosus civis optabat sibi esse superstitem;

19 *vemebatur* R corr. r. 21 *laborem* L R, sed infra *labores.* 22 *temperet* L R (supra *temperat*). 28 *ipsas* L R *ipsius* ed. 30 *plurima* — 31 *limina* inserui eadem ductus ratione qua 1, 25. 32 *fuit dolor quod* L R temere mut. ed.

periit cuius imperium per annos infinitos floruit. ruit antiqua: antiquum nobile et maximi meriti veteres posuerunt; nihil enim potest esse diuturnum nisi quod sit firmum et dignum quod debeat etiam futuris saeculis reservari. huic igitur nobilitati patriae suae conparat tempus quo ipsa cum civibus atque universo imperio et opibus suis absumpta est, felicitas, inquit, tantorum temporum unius noctis spatio adversante subversa est, fuit ergo etiam consideratione temporis dolor. cum enim perdita gemerentur, quae inimicae noctis unius angustiae exclusa latitudine longaevae felicitatis exciverant, adiecit miseranda, quorum alia significabant indignitatem rerum, alia crudelitatem hostium, postremo alia quae in deos quoque admissa sacrilegia testarentur. indignitas fuit quod interfectorum corpora oppleverant vias (quae aliter vici appellantur) et contra suum decus non meruerant hunc exitum talemque mortis casum subire, cum caderent. ecce aliud exequitur, quod praeter civis adfectum etiam de contemptis numinibus dolet utpote deorum antistes praeclarus et cultor: perque domos, inquit, et religiosa deorum limina, ut non tantum vici verum etiam privatae domus, templa quoque humanis corporibus plena [essent] et caesorum hominum sanguine redundarent. tantum hic addidit, ut relationis invidiam gradatim faceret graviorem. quid enim deterius dici potuit accidisse quam illo usque Troianorum mala fuisse progressa, ut homines qui hostiarum sanguine placare consueverant deos hos cruore proprio funestarent? ita in unum colligitur omnium infelicitas, ut periret primo patria cum regno atque opibus suis, cives caesi iacerent in publico aut in domibus suis aut certe in templis sub deorum occisi conspectibus nihilque iam reliqui foret quod sine magno luctu videri potuisset. *nec soli poenas dant sanguine Teucri quondam*

---

9 *in consid.* ed. 10 *angustiae* LR *angustiis* ed. 11 *exciverant* LR *exciderant* ed. *exuerant* r. 14 *sacrilega* r. 18 *aliud* om. ed. 20 *deos* LR ed. *domos* r, quod interpretatione firmatur. 22 *plena* LR ed. *essent* addidi.

*etiam victis redit in praecordia virtus victoresque cadunt Danai:* dicitur aliquid quod a crimine victos excuset: cadebant, inquit, etiam Graeci certantibus nobis, sed nihil proderat; iam enim constabat eos plenam victoriam consecutos. fuit tamen solacium in adversis victi manibus cecidisse victorem. *crudelis ubique luctus, ubique pavor et plurima mortis imago:* quacumque oculorum isset intentio sola lugenda cernebantur et lacrimae.

370 *Primus se Danaum magna comitante caterva Androgeus offert nobis socia agmina credens inscius atque ultro verbis conpellat amicis:* inferiore in parte ostendit Vergilius auspicium dimicantibus Troianis oblatum, quod erravit Androgeus; nam hoc Coroebus coniectura collegerat. idem Androgeus socios suos hos existimans, inertiae et tarditatis obiurgans sic arguebat, ut tamen in obiurgatione ipsa perfectam victoriam nuntiaret. prima enim disciplina bellantum est obtinere gloriam, tunc demum ire in praedam, cum totius gloriae fuerit securitas procurata. Androgeus igitur quid ait? nos, inquit, confecimus bellum, nos praedas egimus de hostibus victis et incensa omni civitate opes Troianas in nostra lucra convertimus, et vos, tamquam nihil interea gestum sit, nunc primum venitis moris omnibus inplicati? ad hunc tractatum pertinet *festinate, viri; nam quae tam sera moratur segnities? alii*
375 *rapiunt incensa feruntque Pergama, vos celsis nunc primum a navibus itis. dixit et extemplo (neque enim responsa dabantur fida satis) sensit medios delapsus in hostis. obstipuit retroque pedem cum voce repressit.* cum haec dixisset neque responsum acciperet (consulto enim tacitum est, ne dissimilitudo linguarum corrigeret eius errorem), intellexit sese in manus hostium venisse. denique stupefactus cum se subtrahere niteretur, non valuit, cum esset nostro circumdatus coetu. *inprovisum aspris veluti qui*

---

3 *inquit* om. ed. 14 *hos* om. ed. 17 *bellantium* ed. | *irae* LR *ire* r *venire* ed. 18 *quaerit* R *fuerit* r = L. 19 *quid* L *quod* R r = L om. ed. | *inquit* om. ed. 33 *asperis* LR.

*sentibus anguem pressit humi nitens trepidusque repente* 380
*refugit attollentem iras et caerula colla tumentem:* conparatio facta est quomodo sensit Androgeus hostilem se incurrisse congregationem per inprudentiam et quomodo se subtrahere voluit. idcirco addidit *haut secus Androgeus visu tremefactus abibat,* ut ostenderet errore confusum se fugiendo explicare nequisse, et dicit quomodo factum sit *inruimus densis et circumfundimur armis ignarosque loci passim et formidine captos sternimus.* cum vidissemus, 385
inquit, errore captos hostis et metu, ignoratione quoque loci confusos, inruimus, inquit, densis et circunfundimur armis, hoc est in circulum fundimur atque universos occidimus. solum induxit loquentem Androgeum, solum se subtrahere voluisse, dixit tamen ignarosque loci et formidine captos sternimus id est occidimus, ut ostenderet non solum fuisse, sed plurimos, licet et supra dixerit (370) „primus se Danaum magna comitante caterva". quod autem dixit Graecos metu et locorum ignoratione confusos, hoc procul dubio proficiebat Troianorum commodo, qui nec metu premebantur et locorum cognitionem plenissimam retinebant. *adspirat primo fortuna labori:* primo labori quod ait, intellectum duplicem potest demonstrare, ut primus labor habuerit prosperam fortunam, quam sequens non habuit, aut certe, quia in primo ostendit auspicium fortuna ex hostis errore, posse ceteros diversis erroribus superari. *atque hic successu exultans animisque Coroebus: o socii, quae prima, inquit, fortuna salutis monstrat iter quaque ostendit se dextra sequamur:* propter amorem Cassandrae Coroebum venisse ad Troiae auxilium superius dixit, propter eandem causam posuit etiam ex praesenti eventu gratulatum. denique primus suspicione ductus est prospera esse posse futurae dimicationis auspicia, si quod ostenderat exitus rerum Troiani sequerentur; ait

---

10 *metu et* ed. 12 *atque* LR *et* ed. 16 *solum* LR *s. eum* ed. | *et supra* LR *et* del. r. 20 *et locorum* LR *neque l.* ed. 25 *fortuna* LR *-nae* ed. 27 *quae* LR *qua* ed.

enim errore deceptus est hostis, errore ceteros possumus superare, denique hoc nobis fortuna monstravit. satis proderit, si divinum beneficium et intellegere velimus et sequi. error cum suis decepit Androgeum, erroris sunt tenenda consilia, ut universi mactentur. suadentis autem more subnectit consilium et possibilitatem faciendi; frustra enim unicuique suadetur aliquid faciendum, nisi et via monstretur qua fieri possit et esse facile et commodum fuerit demonstratum. turpe autem non esse insidiis hostem vincere et periculum praesens docere debuit et captum de Graecis exemplum. *mutemus clipeos Danaumque insignia*
390 *nobis aptemus:* consilium Coroebus non quaesiit nec difficulter invenit; offerebat enim prosperitas arma retrahenda prostratis. ecce unum subsidium, maturandi vero nullum adferebatur inpedimentum, cum induere aliena arma expositis propriis non esset arduum vel certe difficile. *dolus an virtus, quis in hoste requirat? arma dabunt:* optemus, inquit, sequatur victoria, quis postea quaesiturus est fraude an virtute vicerimus? *sic fatus, deinde comantem Androgei galeam clipeique insigne decorum induitur laterique Argivum accommodat ensem:* accommodat dixit commode adponit.
395 *hoc Ripheus, hoc ipse, Dymas omnisque iuventus [laeta facit]:* descriptio Coroebi omnibus servit, qui hoc idem fecerunt; fecit enim et Ripheus, feci, inquit, etiam ipse, fecit et Dymas et, ne singulorum nomina specialiter enumerando moram faceret, transiit ad generalitatem, simul etiam vitavit longae dictionis horrorem, quem posset incurrere, si omnium percurreret nomina; ait enim hoc fecit etiam cetera iuventus laeta. nec inmerito posuit laetam, videbatur enim posse fieri ut hoc fraudis genere obtinerent. *spoliis se quisque recentibus armat:* spoliis ideo recentibus,

---

12 *quaesiit* L *quaesit* R *quaesivit* r ed. 13 *retrahenda* LR *detr.* ed. 16 *arduum* LR *tardum* ed. 18 *sequatur* LR *sequetur* r *ut sequatur* ed. 22—23 *laeta facit* deest in LR, sed explicatur. 24 *fecit inquit etiam ipse* LR ed., sed apparet Donatum *ipse* de Aenea intellegere, ergo *feci* emendavi. 29 *laetam* LR *laeta* ed.

quia mox fuerant retracta mactatis. *vadimus inmixti Danais haut numine nostro:* ecce quantum profuit inventio doli et fraudis, ibamus, inquit, inpune hostibus mixti et non voluntate inpulsi propria, sed nescio quo numine. *multaque per caecam congressi proelia noctem conserimus, multos Danaum demittimus orco. diffugiunt alii ad navis et litora cursu fida petunt. [pars ingentem formidine turpi scandunt rursus equum et nota conduntur in alvo]:* hac, inquit, occasione et noctis suffragantibus tenebris, cum nec videri nec agnosci possemus, multos Graecos occidimus, usque adeo ut hostes ipsi caesorum metuentes exemplum confusa mente terga dare cogerentur fugientes ad litora aut equi latebram repetentes. verum quia pro natura singulorum terror ipse fuerat describendus, divisit metuentis; quos enim non admodum formido turbaverat fida litorum et navium suffugia requirebant, qui vero in plenam fuerant amentiam versi concurrebant ad equum, quasi illa ratione tegi ac defendi potuissent qua dudum Ulixes et ceteri.

*Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis!* dicturus insidiarum dolum diu et usque ad plenum effectum durare nequisse adserit etiam deos iis esse adversatos qui pro patria laborabant. dii, inquit, successibus nostris invidentes persistebant, ut opibus Troianis plenus proveniret interitus. bene, ait, nobis consiliorum dolosa favebat inventio, sed quod contra deorum voluntatem humana procurarat industria mox inefficax redditum est. *ecce trahebatur passis Priameia virgo crinibus a templo Cassandra adytisque Minervae, ad caelum tendens ardentia lumina frustra, lumina, nam teneras arcebant vincula palmas:* consilium, inquit, nostrum, quia contra deorum studium nitebatur, mox incurrit adversa, videmus repente indigna omnia

1 *mox* LR ed. *modo* O fortasse recte. | *retracta* L *netracta* in *detr*. corr. R cf. supra 389. 2 *aut nomine* R corr. r. 5 *caelum* R *caecam* r. 19 *ulixis* LR. 22 *etiam hiis deos* LR *e. deos his* H ed. *e. d. iis* nos. 25 *nobis* om. edF. 28 *priamea* LR. 31 *nitebamur* ed. 32 *incurrerunt* ed.

exerceri in Cassandram, propter cuius amorem nimium auxilio Coroebus Troianis accesserat: cuius causa factum est ut ex maxima spe certaminis prosperi in apertam perniciem veniremus universi. videamus nunc quam vim habeat intellectus descriptionis Cassandrae; partis enim loci habet communis et in verborum singulorum angustiis latissimam tenet exaggerationis invidiam, ac si proponamus thema esse in eos qui personam talem de loco religioso sic trahebant quemadmodum Vergilius posuit. ecce, inquit, passis crinibus Priameia virgo Cassandra a templo et adytis Minervae trahebatur. in singulis verbis crimina singula continentur, quae quia hostes faciebant, fiebant tuto utpote iure belli; et illi hoc gratissimum ducebant quos constabat inimicos, sed Troianis hoc fuerat indignissimum et ipsi Aeneae vel maxime propter id quod dixerat (5) „quaeque ipse miserrima vidi". primum ergo quod ait ecce, hoc est dum bene ac prospere certamina nostra ferrentur, repente apparuit quod multiplici indignitate et scelere actuum nostrorum cursus et gesta turbaret. trahebatur enim per publicum quae paterno merito et suo ne cum honestis quidem officiis multorum decuit obtutibus offerri, trahebatur virgo virorum plurimorum manibus, trahebatur crinibus passis, quod fuit virginali verecundiae satis inimicum, trahebatur sacerdos manibus inpiorum, trahebatur a templo et ab ipsis deae penetralibus rapta, trahebatur manibus post terga constrictis. ad caelum tendens ardentia lumina frustra, lumina, nam teneras arcebant vincula palmas: cum haec tot indigna perferret, tendebat oculos ad caelum, quia inpedita nexibus manus levare non poterat. quod faciebat frustra; quaerebat enim in caelo ultores deos, quibus adversantibus imperium Troiae conciderat, et eos, quorum cum domus esset Ilium, templis suis prodesse noluerunt vel certe non potuerunt.

---

6 *in* om. ed. 10 *priameia* LR. 12 *fiebat* LR ed. *fiebant* nos. 15 *id quod* LR ed. *id* del. r fortasse recte cf. v. 5. 21 *obtutibus* LR *i* superscr. L II man. *obtuitibus* ed. 25 *penetrabilibus* LR (et infra).

sic ergo crimina admissa in Cassandram colliguntur, quod regalis, quod virgo, quod passis crinibus, quod crinibus trahebatur, quos habuit ad ornatum, quod per publicum, quod vincta, quod trahebatur a plurimis; in deos vero hoc modo, quod a templo, quod ab ipsis penetralibus, quod sacerdos, quod a conspectibus deae: quorum alterum dolebat Aeneas adfinitatis causa quaesitae per uxorem suam, alterum religionis, utpote qui esset deorum antistes et cultor. *non tulit hanc speciem furiata mente Coroebus et sese medium iniecit periturus in agmen:* cum omnibus nobis, inquit, non inmerito indignissimum videretur, tum magis Coroebus exarsit, quod talia videret in sponsa. non ergo passus est ulterius tale spectaculum de suis adfectibus fieri et, quia amore et facti ipsius indignitate non tam ira, sed furia ducebatur, neglecto salutis suae commodo non pugnaturus in hostis, sed moriturus invasit mediumque agmen inrupit. medium agmen veritus non est, quod non timuit mori. *consequimur cuncti et densis incurrimus armis:* nos quoque non defuimus periclitanti; nam statim etiam ipsi consecuti armato hostium coetu sumus circumdati. *hic primum ex alto delubri culmine telis nostrorum obruimur:* ecce iam, quoniam invitis numinibus certabamus, occasione horrendi casus qui exercebatur in Cassandram quod antea prodesse coeperat in contrarium versum est; nam induti spoliis hostium, dum Coroebo et Cassandrae cupimus subvenire, de summo delubri tecto, dum putamur etiam nos Graeci, nostrorum telis obruimur. tela hic accipi debent quae hominem possunt vulnere quolibet opprimere, ut lapis, fustes et cetera similia. haec enim possunt de summo armatos occidere ictu potius

---

1 *erga* R *ergo* r. 8 *utpote qui* LR cf. 365 *u. quae* ed. | *dearum* ed. 9 *cultor* LR *cultrix* ed. 15 *tam* LR (sed R dubitat) *iam* r *tantum* ed. | *furia* LR *furore* ed. 16 *in hostis* LR *in* del. r. | *invasit* LR *eos i.* ed. 19 *quoque* LR *qu. inquit* ed. 20 *secuti* ed. 27 *obruerimus* L *obrui erimur* R *obruimur* L II man. r ed. *obrui coepimus* r′. 29 *fustes* LR ed. *fustis*? an *lapides*?

et pondere. ceterum gladius nihil proficit iactus ex parte superiore et super arma descendens. *oriturque miserrima caedes:* miserrima, inquit, caedes, utpote quam cives civibus inferebant. *armorum facie et Graiarum errore iubarum:* excusatur civium in civis crudelissimum factum ignorantiae merito; hos enim armorum hostilium facies, non voluntas propria in scelus inpulerat. *tum Danai gemitu atque ereptae virginis ira undique collecti invadunt, acerrimus Aiax et gemini Atridae Dolopumve exercitus omnis:* conpendio usus est, ut non tantum ereptam virginem verum etiam multos hostis ob eam causam commotos diceret convolasse simul; etiam subnexuit praecipuorum nomina, et aliorum numerum generaliter posuit, sic acerrimus Aiax et gemini Atridae, hoc specialiter, et generaliter conclusit dicendo Dolopumve exercitus omnis. qualis autem concertatio extitisset facta conparatione monstravit: *adversi rupto ceu quondam turbine venti confligunt, Zephyrusque Notusque et laetus eois Eurus equis, stridunt silvae saevitque tridenti spumeus atque imo Nereus ciet aequora fundo.* licet enim singulari incumbente vento magna turbatio existat in pelago, saevior tamen est cum aliquot venti confligunt contrariis e partibus flantes. *illi etiam, si quos obscura nocte per umbram fudimus insidiis totaque agitavimus urbe, apparent:* praeter illam cladem quae nostrorum telis inflicta est, dum Graecorum armis instructi putamur hostes esse, etiam ex parte ipsorum hostium alia calamitas accessit; nam illi quos persecuti sumus in tenebris per urbem totam vel quos errore armorum suffragante fefellimus repente apparent. *Primi clipeos mentitaque tela agnoscunt atque ora sono dicordia signant:* ab eo quod est discors declinavit plurali numero ora discordia. nec inmerito acrius movebantur quam moveri hostis in hostem debuit; dolebant enim fraudem se passos

3 *utpote* om. ed. 6 *hostium* LR *hostilium* L ipse r ed. 22 *aliquod* LR. 23 *fundimus* R *fudimus* r. 31 *et declinavit* R *et* del. r.

eiusmodi, ut sub caesorum armis latitantes evaderemus hostis et alios quoque niteremur occidere. *ilicet obruimur numero [primusque Coroebus Peneleі dextra divae armi-* 425
*potentis ad aram procumbit]:* ilicet ubicumque ponitur extrema omnia accidere vel accidisse significatur. dudum enim dixit „telis nostrorum obruimur“, hic dixit obruimur numero, hoc est ita sumus multitudine ingenti vallati et circumventi, ut occurri non posset aut resisti. denique qui primus inventor insidiarum fuit primus Coroebus occisus est et primus ante ipsius Minervae aras occubuit nec ei prodesse numinis praesentia potuit propter cuius sacerdotem defendendam videbamur esse collecti. *cadit et Ripheus, iustissimus unus qui fuit in Teucris et servantissimus aequi:* ecce, inquit, laus deorum, perit indigna morte qui iustitiae et aequitatis merito sic ceteros anteibat, ut solus esset nec haberet aliquem cui conparari potuisset. quare hoc factum putatur, ut superiores fierent scelerati et perirent inmeriti? *diis,* inquit, *aliter visum.* ubi ponitur hoc illi visum est non iustum iudicium, sed pravae voluntatis studium et libido significatur. denique, ut dictum est, perierunt innoxii et sceleratis vincendi copia attributa est. additur quod indignitatem ipsam magis accumulet: *pereunt Hypanisque Dymasque confixi a sociis.* admittebatur scelus, neque ullum fuit crimen, utpote quod non unusquisque voluntate, sed errore admiserat.
*nec te tua plurima, Panthu, labentem pietas nec Apollinis* 430
*infula texit:* servavit ad finem cum apostropha eius personam in qua ostenderet deos tantum fuisse a commodo Troianae defensionis alienos, ut etiam Panthus occumberet pius, gravis, religiosus cum ipsis insignibus sacerdotis.

---

3 *primusque* — 4 *procumbit* deest in LR, sed explicatur. 14 *periit* ed. 25 post *admiserat* in edF haec sequuntur quae nec LR habent nec HOU nec edI: „confixi a sociis augetur commiseratio interfici enim durum est sed durius a suis interfici exaggeratur quod dixerat heu nihil invitis fas quemquam fidere divis“. 30 *gravis* LR *gr. et* ed.

*Iliaci cineres et flamma extrema meorum, testor in occasu vestro nec tela nec ullas vitavisse vices Danaum, et, si fata fuissent, ut caderem, meruisse manu:* quia videbat Aeneas esse criminosum vel esse posse dedecori quod cadentibus tot, tantis ac talibus ipse evasisset, iurisiurandi religionem ultro ante obiectum quod metuebat opposuit. habet enim maiorem fidem quod prius quam exigatur offertur, habet et bonae constantiae firmissimum testimonium non extorta sed oblata purgatio. hos versus nonnulli male pronuntiando intellectum planum et manifestum sic errore confundunt, ut longe aliud quam dictum est tradant; sic enim volunt: Iliaci cineres et flamma extrema meorum testor in occasu vestro ibique distinguunt addentes postea nec tela nec ullas vitavisse vices Danaum, hic rursum pronuntiationis faciunt separationem et subnectunt ac si fata fuissent ut caderem, addunt in fine accusativum singularem, ut dicant meruisse manum, cum meruisse manu legendum sit et intellegendum. huic alienae pronuntiationi addunt intellectum similem ducti errore quo male iungunt et deterius separant. nos sic pronuntiandum et intellegendum dicimus: Iliaci cineres et flamma extrema meorum et separamus testor, quod testor semel positum saepius debemus accipere. dehinc dicemus in occasu vestro nec tela nec ullas vitavisse vices Danaum, item separatione facta veniemus ad sequentia et, si fata fuissent, ut caderem, facta hic quoque separatione concludemus dicentes meruisse manu. ut autem evidentior fiat huius pronuntiationis integritas, ostendemus iam quotiens accipi debeat testor: vos, inquit, testor, Iliaci cineres et flamma extrema meorum; in occasu vestro nec tela nec ullas vitavisse vices Danaum testor (dicturus est recentiores et

1 lemma distinxi secundum interpretationem, qua Don. *testor* quater accepto totum in quattuor partes dissolvit, *vices* de successione aliorum hostium intellegit, *et si* pro etiam si positum vult. 23 *sed pius* L item ut videtur R in *saepius* corr. L II man. r. 25 *veniamus* ed 26 *concludimus* r. 30 *nec tela* om. ed.

diversos hostis venisse, cum domui Priami soceri sui et pro ea pugnantibus cuperet subvenire); et, si fata fuissent, ut caderem, testor (ut sit Iliaci cineres et flamma extrema meorum, vos testor sic ad certamen exisse, ut, si fieri ullo modo potuisset, obtinerem, sin vero aliud fata voluissent, ut caderem; utrumque enim viro forti congruens fuit, utrumque gloriosum, ut, si posset, vinceret, sin vero adverso eventu fuisset exceptus, cum patriae genitalis et suorum cineribus interiret); testor meruisse manu. aperiendi melius huius loci causa continuum dicamus intellectum, ibi et pronuntiationis invenietur integritas: testor vos, Iliaci cineres et flamma extrema meorum, testor in occasu vestro non timuisse arma et hostium vices, et cum alternis recentiores occurrerent, aeque testor non timuisse pugnare vel mori, et, si fata fuissent, ut caderem (sic, inquit, processi ad bellum, non ut viverem tantummodo verum etiam ut caderem, si hoc fata voluissent), militis autem officio functum testor me plurimum meruisse hoc est laborasse. cineres, inquit, Iliaci, ut ostenderet non remansisse praeter cinerem. iuravit et flamma extrema meorum: extrema flamma est quae illo usque perseverat, donec sit aliqua substantia, qua conversa in cineres et materies simul interit et consumitur incendium. per haec igitur iurabat Aeneas, quoniam fidem rerum nullis poterat testibus adprobare, quae necessitas cum existit, itur ad ea quae maximae sunt venerationis, ut credi possit quod deficientibus probamentis adseritur. adstruit iam rebus manifestis quae collegerat, cum iuraret, ut evidenter ostendat et animum suum et labores proprios, firmabat hoc ipsum dicendo se non gladios timuisse hostium, non

11 *pronuntiationis* LR *-nibus* ed. *-ni* ed. post. 25 *quae nec.* LR *quia n.* ed. 27 *iam* LR *tam* ed. 28 *quae* L *ea quae* RHO ed. 29 *firmabat* LR *firmatque* R ipse fortasse *firmabatque*; videtur enim cum *quae collegerat* coniungendum esse. 30 — 208, 1 *non sub recentiorum succedentes* LR *non hostium vices sibi recentiorum succedentes* r′ *armis* post *rec.* inepte inseruit ed.: fortasse *non subsidium recentiorum succedens? neque* pro *non* ed.

†sub recentiorum succedentes. *divellimur inde:* inde, inquit, divellimur hoc est necessitate adacti violentiae inviti separamur ab eo loco in quo certamen supra dictum nobis fuerat. quales vel quanti non inaniter posuit a qualitate et quantitate ducens probationem laboris sui; hoc enim genere ostendit mori se voluisse, sed fato voluntati eius adverso esse servatum. divellimur inde inquit, dicit
435 qui vel quanti vel quales: *Iphitus et Pelias mecum.* separandum est divellimur inde, separandum ab eo Iphitus et Pelias. ceterum si iungatur, mecum erit foedum, ut videatur dixisse divellimur inde mecum. ecce duo soli remanserant cum Aenea; supra enim dixit necem ceterorum. ipsi vero duo quales fuerint gloriae suae causa et ostentationis adsignat: *quorum Iphitus aevo iam gravior, Pelias et vulnere tardus Ulixi.* amborum facta conparatione utrumque monstravit inbellem, alter quippe gravior fuit aetate, alter et vulnere, hoc est ambo quidem senes fuerunt, sed alterum debilitaverat gravius senium et gravior aetas oppresserat, alterum, qui aliquid forsitan posset, non tantum senectus inplicaverat verum etiam vulneris causa. cum igitur ostendat se tantum laborasse pro patria, ut dudum cum paucis fuerit, nunc solum se adserat effectum, ostendit se secundum praemissum iusiurandum et certandi quantum posset habuisse adfectum et moriendi voluntatem; neque enim sperare victoriam potuit, cum iam hominum et rerum omnium interitus extitisset. *protinus ad sedes Priami clamore vocati:* non est locus iste pro transitu habendus; de superioribus enim pendet. denique si subtrahantur verba iurisiurandi et quae dudum dicta sunt inferioribus iungantur, unus fiet sensus; a descriptione enim pugnae recesserat in qua ceciderunt Coroebus, Panthus et ceteri, dehinc dixit divellimur inde, Iphitus et Pelias; ipse enim fuit tertius qui loquebatur. si coniungamus ergo superioribus protinus ad sedes Priami

---

5 *dicens* R *ducens* r = L. 16 *inbellum* R corr. r. 30 *a* om. ed. 33 *fuit* om. edF.

clamore vocati, erit unum atque coniunctum, ut sit per illorum mortem et Panthi protinus inde divellimur, Iphitus et Pelias clamoribus vocati mecum qui ex domo Priami mittebantur. unde post iusiurandum non caput fecit quasi novae relationis, sed remeavit ad ea a quibus recesserat, ut iuraret. protinus ad sedes Priami mecum clamore vocati, non specialiter vocati ab aliquo, sed clamor ipse suggerebat subveniendum esse domui regis Priami. *hic vero ingentem pugnam, ceu cetera nusquam bella forent, nulli tota morerentur in urbe, sic Martem indomitum Danaosque ad tecta ruentis cernimus obsessumque acta testudine limen:* hic, inquit, ingentem pugnam cernimus Martemque indomitum cernimus Danaosque ad tecta ruentis cernimus obsessumque acta testudine limen cernimus. tanta illic autem vis pugnae fuerat tantaque illo hostium multitudo confluxerat, quasi per ceteras regiones urbis nusquam pugnaretur, nulli caderent ferro. ne frequenter poneret cernimus et turparet dictionem suam, semel posuit cernimus, sed, sicuti supra exposuimus, pro frequenter posito debet intellegi. causa autem quae fuerit tanti certaminis in aperto est; ibi enim fuit rex, uxor ac liberi, hi propter maiorem victoriae gloriam aut occidendi fuerant aut capiendi; praeterea quod illic sperarentur regales divitiae aviditatem expleturae victoris. obsidebat limen eius testudo, *haerent parietibus scalae postesque sub ipsos nituntur gradibus, clipeosque ac tela sinistris protecti obiciunt, prensant fastigia dextris:* manifesta descriptio; alii quippe obsidebant ante fores, per quas fugere possent qui clausi tenebantur, alii per scalas ad summa tendebant, scuta, inquit, et gladios sinistris manibus tenentes ac tegentes corpora sua propter ea quae de summo iaciebantur, dextris vero nitebantur, ut tectorum fastigia occuparent. fastigia aut tectorum, ut diximus, posuit aut superiora parietum,

15 *autem illic* r. 16 *concluserat* R *confluxerat* r = L. 26 *ac tela* LR firmatur interpretatione *ad t.* r. 28 *fores quas* LR ed. *per quas* vel *qua* r′. 31 *faciebantur* LR corr. L II man. r.

445 quoniam paulatim ascendebant. *Dardanidae contra turris ac tota domorum culmina convellunt:* nostri, inquit, diruebant turris et domorum ruinis pro telis utebantur. causa autem diruendi haec ostenditur; constabat enim Troianos non recte agere, ut domui regis manus infestas inferrent, idcirco dixit *his se, quando ultima cernunt, extrema iam in morte parant defendere telis.* extrema iam in morte constituti, inquit, nullum iam sperantes fore superstitem cui deberent illa reservari diruebant, ne instantem vim possent vel morari faciendo aut ultionem aliquam consequi de violentis. interea quia scalas dixit, non tantum pluris adseruit verum etiam docuit plurali numero dici oportere. docet hoc etiam Sallustius qui ait (Iug. 60, 7) „postquam unae atque alterae scalae comminutae sunt". haec ergo Graeci faciebant, redit ad Troianos: *auratasque trabes, veterum decora illa parentum devolvunt.* nulla pulchritudo locorum, nulla firmitas fuerat necessaria turrium atque tectorum ubi occurrebat salutis ultima desperatio. hoc extrinsecus et in superioribus agebatur, redit ad ea quae extra fores vel intrinsecus agebantur. ait enim *alii*
450 *strictis mucronibus imas obsedere fores, has servant agminc denso:* qui in superioribus fuerant iaciebant ponderosos ictus, ut scutorum testudinem rumperent, qui autem fores interius obsederant observabant paratis ad necem mucronibus, ut, si hostes aditum perforassent, in ipsis ingressibus mactarentur.

*Instaurati animi regis succurrere tectis auxilioque levare viros vimque addere victis:* constitutae, inquit, in periculo manifesto debuit domui regiae subveniri et, licet vires ex

2 *tecta* pro *tota* ed. 3 *pro telis* om. R add. in marg. r′. 8 *constitutis* LR *constituti* L II man. r. 9 *ne* LR ed. *ut* r′, sed Don. *ne* hac ratione positum saepissime habet. 10 *faciendo* LR ed. *iaciendo* r ut supra. 11 *interea* LR *verum* r. | *quia* LR *quod* ed. | *scalis* R *scalas* r = L. 13 *qui* LR *cum* ed. 14 *commutatae* ed. 16 *illa* LR *alta* ed. 17 *locum* LR *locorum* r ed. 20 *extra* LR ed.: ne quis corruptum putet, ad Graecos aditum temptantes referendum esse moneo. 27 *succurrire* LR. 29 *manifeste* ed. | *viris* R *vires* r = L.

praecedentibus defecissent, tamen res ipsa fovebat animi adfectum et novitatem quandam virium suggerebat. oportuit enim foveri qui pro ea certabant ipsorumque animos solacio nostrae opitulationis attolli. vult ostendere se laborantibus subvenisse, sed quemadmodum id facere potuerit obsessis foribus domus Priami et ingenti eo collecta armatorum manu utique non in cassum fuerat referendum; potuit enim non credi factum, cum obstarent multa contraria. *limen erat caecaeque fores et pervius usus tectorum inter se Priami postesque relicti a tergo, infelix qua* 455 *se, dum regna manebant, saepius Andromache ferre incomitata solebat ad soceros et avo puerum Astyanacta trahebat:* praebuit mihi adeundi facultatem locus, cuius cognitionem habere potui utpote Priami et civis et gener, idem ex hac causa incognitus hostibus, quod a tergo domus relictas fores habuisset. relictas dixit et a tergo; quicquid enim post dimittitur relictum manet ac desertum, ut alio loco (Ge. 4, 127) positum est „cui pauca relicti iugera ruris erant“ hoc est deserta. usque adeo inaccessa illa pars fuerat, ut Andromache, post infelix facta ex mariti sui Hectoris morte, manente adhuc regni fortuna, ire saepius soleret ad soceros, Priamum scilicet et Hecubam, qui ipsum genuerant Hectorem, et secum Astyanacta filium trahere, quia deerat qui iuvaret aut ipsam aut puerum. consideranda sunt interea singillatim verba, quae tantam habent virtutem, ut exprimant revera remotum fuisse locum illum ab hominum accessu. limen erat, hoc est fuit ostium, caecaeque fores, non quod fores caecae (neque enim oculos habere potuerunt), sed quae sic fuissent institutae, ut praetereuntes has videre non possent, et pervius usus tectorum inter se Priami: celebrabatur earum usus, sed ab iis qui interius commanebant. haec descriptio ostendit duas domos fuisse coniunctas, unam

---

1 *fovebat* LR *movebat* r. 5 *potuit* ed. 19 *deserta* LR ed. *deserti* r. 20 *post* deletum vult r. 24 *astianactam* (et infra) LR corr. r. 29 *potuissent* ed. 31 *inter se* om. ed. | *celebratur* R corr. r.

in qua Priamus, alteram vero in qua Hector commanebat, ut transiretur ex una ad alteram fores dabant occasionem, quae ob hanc causam fuerant factae, ut essent notae commanentibus, extrariis vero incognitae. hunc locum cum pronuntiamus, sic debemus ordinare a tergo, ut a tergo sint postes et limen, non relicti a tergo; dubium enim non est a tergo fieri quicquid fuerit relictum. qua se, dum regna manebant, saepius Andromache ferre incomitata solebat ad soceros et avo puerum Astyanacta trahebat: tam in abstruso et abdito fuerant constitutae, ut per has Andromache nullis in obsequio comitibus hoc est deductoribus, ut matronam et nurum regis adhuc florentissimi decuit, non semel, sed saepius transiret ad soceros faciens hoc sine pudoris et verecundiae detrimento, utpote quae iret per secretum locum ad personas religione satis ac necessitudinis ratione coniunctas. huius loci tanta etiam proximitas fuit, ut Astyanacta filium suum admodum parvulum non iuvantibus baiulis, sed ipsa ad avum propria manu retinens traheret nec ipse fatigaretur, licet maternis gressibus aequari non posset neque illa sentiret laborem, quae non magni roboris trahebat infantem. *evado ad summi fastigia culminis,* scilicet qua se Andromache ferebat ad soceros nec videbatur ab aliquo. ego, inquit, evado ad summi fastigia culminis, hoc est vadendo et ascendendo pervenio ad fastigia culminis summi, *unde tela manu miseri iactabant inrita Teucri:* illo, inquit, perveni unde nostri satis instanter tela iaciebant, sed frustra. testudo enim superius descripta telis ipsis adimebat effectum. dicit iam consilium suum quod suggesserat necessitas pro ratione loci ac temporis et personarum. in summo enim fuerunt qui adversus hostis in imo positos inpediente testudine frustra pugnabant. oportunum ad obtinendum fuit, si provideretur aliquid quod non qualicumque ictu testu-

4 *extraneis* ed. 19 *nec* LR *ut nec* r′. 19—20 *maternis gressibus aequari* LR ed. *maternos gressus aequare* r. 25 *unde* om. ed. 30 *fuerant* R. 31 *adversus* om. ed. | *inpedient et testudine* LR *inpediente t.* nos temere mut. ed.

dinem laederet, sed opprimeret pondere. *turrim in prae-* 460
*cipiti stantem summisque sub astra eductam tectis, unde*
*omnis Troia videri et Danaum solitae naves et Achaica*
*castra, adgressi ferro circum qua summa labantis iuncturas*
*tabulata dabant:* meritum turris dicitur, sed iam solitis
officiis non necessariae (omnis enim felicitas Troiana con-
ciderat), contemnenda proinde fuerat quae cum ipsis de-
fensoribus suis mox fuisset arsura. hanc, inquit, petimus
ferro et abscissis iuncturis omnibus quae magnitudinem
tantae altitudinis retinebant *convellimus altis sedibus in-* 465
*pulimusque: ea lapsa repente ruinam cum sonitu trahit et*
*Danaum super agmina late incidit.* ecce profuit Aeneae
consilium, quod repentinum et insperatum ruinae pondus
adiuvit. huius, inquit, concidens magnitudo Danaum super
agmina late incidit. quod dixit late, potuit fieri ut ruina
illa super plurimos cecidisset perindeque non paucos ne-
casset. idcirco posuit Danaum super agmina, ut hoc
dicendo consilium suum praeferret et inventum. *ast alii*
*subeunt:* hoc ipsum superfluens, inquit, hostium multitudo
frustrata est, alii quippe continuo successerunt. *nec saxa*
*nec ullum telorum interea cessat genus,* scilicet quibus ex-
pugnaretur recentior multitudo.

*Vestibulum ante ipsum:* ipse exponit quid sit vestibulum
dicens *primoque in limine Pyrrhus exultat:* ferocem natu- 470
ram hominis monstrat vel eius qui plenae victoriae fidu-
ciam gereret. sic enim Priami domus possessa fuerat, ut
ad ipsum limen et vestibuli prioris ingressum non tantum
intrepidus verum etiam exultans Pyrrhus pervenisset. *telis*
*et luce coruscus aena:* erectus animo et conspicuus muni-
mentis armorum. *qualis ubi in lucem coluber mala gra-*
*mina pastus, frigida sub terra tumidum quem bruma*

---

19 *superfluens* om. ed. 23 *ea ponit* LR *exponit* r. | *quid* L *quod* R corr. r = L. | post *vestibulum* lacunam quattuordecim fere litterarum, deinde lemma incipiens ab *in limine* habet L item sine lacuna R *dicens primoque* inserui *ipse — sit* om. „vestibulum primam ianuae partem posuit primoque" interpol. ed. 29 *ahena* ed.

*tegebat, nunc positis novus exuviis nitidusque iuventa lubrica convolvit sublato pectore terga arduus ad solem et linguis micat ore trisulcis:* descripturus hostem natura ferum, aetate insolentem et successibus prosperis superbum ipse quoque Aeneas hostis animum in adversarios gerens quali hunc animali credidit conparandum? sic, inquit, saeviebat ut serpens, qui vomit venena, qui nescit aliquando misereri, qui captat tempora quibus procedat aut lateat, qui se tunc putat esse formosum cum emergit ex latebris. haec conparatio in deformationem proficit Pyrrhi; nam ut serpens non virtute, sed veneno confidit, ita et huic non arma ad capiendam victoriam, sed insidias adserit profuisse nec umquam in proeliis visum nisi tunc cum alienis dolis procurata victoria est. *una ingens Periphas et equorum agitator Achillis, armiger Automedon, una omnis Scyria pubes:* omnes isti quid faciebant qui iuncti fuerant Pyrrho? *succedunt,* inquit, *tecto et flammas ad culmina iactant:* virtutem dicit artemque mittentium flammas ex inferiore parte ad altissima culmina tectorum. *ipse inter primos correpta dura bipenni limina perrumpit:* correpta bipenni hoc est properanter bipenni rapta perrumpebat dura limina hoc est fortia et quae facile superari non possent. potest tamen videri bipennem duram dixisse hoc est idoneam quae tanti roboris fores perrumpere potuisset; denique addidit *postisque a cardine vellit aeratos,* ut appareret duram speciem fuisse necessariam, quae firmitatem aeratorum postium posset evincere. *iamque excisa trabe firma cavavit robora et ingentem lato dedit ore fenestram:* ecce quantum valuit bipennis fortitudo, vicit quod putabatur vinci non posse. adlusit autem de ostio ad fenestram, ceterum cavernam dicere debuit factam. in ostio, inquit, fenestra facta est, non qua posset totus homo ad interiora pertendere, sed per quam interim

---

14 *est* LR ed. *esset*? 15 *achallis* LR. 21 *perrumpit* R *perrupit* L *m* superscr. man. II. 22 *perrumpebant* ed. 32 *inquit fenestra* LR ed. *fen. inqu.* r (quia *in ostio* ad antecedentia retrahit).

cerneretur oculis quid interius ageretur. *apparet domus intus et atria longa patescunt, apparent Priami et veterum penetralia regum armatosque vident stantis in limine primo:* fenestra illa totum quod prospectibus hostium negabatur ostendit. videbatur quippe quicquid interius fuit, videbantur in ipso vestibulo observantes armati. *at domus interior gemitu miseroque tumultu miscetur penitusque cavae clangoribus aedes femineis ululant, ferit aurea sidera clamor. tum pavidae tectis matres ingentibus errant amplexaeque tenent postes atque oscula figunt:* crescente desperatione et intercepta spe (clausa enim antea domus patuit) plangebant feminae omnes, quae interius clamoribus atque ululatibus prodebant hostibus extremam formidinem suam, quae res utique accendebat hostis ut perficerent intentionem suam. denique sequitur *instat vi patria Pyrrhus.* quis enim non provocaretur ad effectum plenissimum rerum audiendo talia et videndo? descriptio autem domus atque eius amplitudo non frustra narrata est, in qua non tantum aedificiorum ambitio praeferebatur verum etiam monstrabatur nobilitas et superior felicitas Priami. dixit enim apparent Priami et veterum penetralia regum, ut ostenderet regnum quod Priamus tenuit per maiores eius ad eum succedendo pervenisse. quanti autem doloris fuit una nocte concidisse penitus quod per infinitos reges multis etiam saeculis floruerit! armatosque vident stantis in limine primo: ipsi sunt de quibus dixit imas obsedere fores. instat vi patria Pyrrhus: *nec claustra nec ipsi custodes sufferre valent, labat ariete crebro ianua et emoti procumbunt cardine postes.* cum eo magis Pyrrhus insisteret, quia viderat armatos interius, et evertendis foribus operam daret, maiorem vim nec claustra nec custodes qui

---

11 *clausae* L ed. *clausa* cum rasura R *clausa enim* nos. | *ante ea* LR *antea* r ed. | *patuit* om. ed. 12 *omnes quae* LR ed. *omnesque* r. 16 *effectum* LR, sed in *affectum* corr. R ipse. 25 *floruerat* ed. 27 ante *nec claustra* atramento repetitum *instat vi patria Pyrrhus* LR om. ed. 28 *emoto* ed. 31 *maiorem* — 216, 1 *custodes* mutando et perperam distinguendo corrupit ed.

intus aderant nec postes ipsi poterant ferre. custodes postes etiam possumus accipere, quoniam alio nomine etiam custodes appellantur dicti a custodiendo; ipsis enim nitentibus ianua custoditur et firma stabilisque perdurat et quicquid in omni domo est plena fide servatur. omnia itaque cum deficerent, cum ipsis eversa postibus ad plenum obtinente violentia ceciderunt. *fit via vi, rumpunt aditus primosque trucidant inmissi Danai et late loca milite conplent:* vis, inquit, ianuam patefecit, vis aditum dedit ad interiora tendendi caesis quam primum qui in ipso vestibulo primi violentis occurrerant. *non sic, aggeribus ruptis cum spumeus amnis exiit oppositasque evicit gurgite moles, fertur in arva furens cumulo camposque per omnis cum stabulis armenta trahit:* conparatio, qua melius possit adverti qualis illa vis fuerit Pyrrhi, qualis etiam ceterorum. in torrentis conparatione qui inmensos aggeres ad firmissimas obices rumpit et ita effusus saevit, ut quicquid invenerit perdat aut rapiat, potiorem vult extitisse violentiam dicendo non sic, aggeribus ruptis cum spumeus amnis exiit oppositasque evicit gurgite moles. *vidi ipse furentem caede Neoptolemum geminosque in limine Atridas.* vidi, inquit, furore plurimos hostium ferri et infinitorum non satiari suppliciis. *vidi Hecubam centumque nurus Priamumque per aras sanguine foedantem quos ipse sacraverat ignis. quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum, barbarico postes auro spoliisque superbi procubuere, tenent Danai qua deficit ignis.* vidi, inquit, multa indigna (illic enim fuit auxilium praebens domui regis, inde contigit ut malorum omnium spectator esset qui venerat defensurus), ut responderet illi parti qua dixit in libri istius capite (5) „quaeque ipse miserrima vidi". et est genus propositionis; nam dicturus est Priameiae mortis exitium, ut ostendat quomodo aras et ignis quos ipse aliquando

---

10 *quam primum* ultima verba prioris librarii L fol. 56 fin., incipit alter a *qui in ipso* fol. 57 in. 15 *averti* LR corr. r. 28 *fuit* LR ed. *fui* r. | *ut* om. R add. r. 29 *esset qui venerat* LR ed. *essem q. veneram* r.

sacraverat foedarit sanguine suo. tenent Danai qua deficit ignis: non dixit tenent Danai qua ignis non fuit, sed qua deficit, ut ostenderet omnia iam fuisse consumpta. ignis enim ubi habuerit quod absumat, viget, absumptis autem quibus nutriebatur et vigebat valere non potest. illa ergo parte ibant Graeci qua ignis defecerat neque adhuc supererat quod ardere posset. exponamus nunc quae in hunc locum tractanda distulimus; ait enim „vidi ipse furentem caede Neoptolemum geminosque in limine Atridas", et est vidi Neoptolemum, vidi geminos Atridas, ut bis intellegatur vidi. sed et Atridas debemus furentis intellegere ut Neoptolemum. vidi Hecubam centumque nurus Priamumque: hic quoque ter accipiendum est vidi, ut sit vidi Hecubam, vidi nurus, vidi Priamum. hucusque intellegendum est vidi, quod ipsum noluit crebro ponere, ne inferret dictioni foeditatem. item dixit quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum, barbarico postes auro spoliisque superbi procubuere: sicuti ad omnia aptatum est vidi, ita et in communi omnibus respondet procubuere hoc modo: procubuerunt, inquit, quinquaginta thalami cum tanta nepotum spe, procubuerunt et postes barbarico auro superbi et spoliis. aurum barbaricum ad ornatum postium pertinet eorumque fabricam, qua fuerant superbi. fabrica autem barbarica ......, ut nomen sit artis; opus quippe quod barbaricum dicitur ceteris praestat. item spoliis superbi, id est glorias ostendentes praetereuntibus eorum dominorum qui illa pugnando atque vincendo retraxissent hostibus superatis. superbi ergo ornatu artis atque materiae, superbi etiam spoliis.

---

1 *foedaret* LR *foedasset* ed. *foedarit* nos. 6 *deficerat* LR *deficeret* ed. 11 *ubi intellegatur* LR *u. intellegitur* ed. *ut bis intellegatur* nos. 19 *in communibus* L ed. *in communi* R *in communi omnibus* r′, quod recipiendum putavi, *in communi hic omnibus* r. 23 *fabrica qua* LR *fabricam qua* ed. 24 post *barbarica* sex fere litterarum spatium vacat in L *ea est* vel simile aliquid excidisse patet: cf. 11, 777. 26 *gloriam* ed. 28 *detraxissent* ed. cf. 389. | *ornatu artis* L ed. *ornat uariis* R *ornatibus variis* r. 29 *materiae* LR ed. *materia* r. | *superbia* LR *superbi* r ed.

*Forsitan et Priami fuerint quae fata requiras:* utitur referens magno conpendio, ut quod sciebat quaeri potuisse sponte ingerat quam expectet interrogationem. mala enim sua et plena crudelitatis...... vel maxime tempore quo quies omnibus defuit optabat maturius facto fine concludere. forsitan, inquit, et Priami fuerint quae fata requiras: dicendo et Priami ostendit omnis quorum supra meminit esse consumptos. licet iam dixerit omnia procubuisse, dixerit etiam Priamum ipsum interisse, cum aras foedasset sanguine suo, non hoc idem repetit, sed ordinem nunc et genus mortis eius exponit et indignum exitum vitae fortunamque eius miserabilem memorat. *urbis uti captae casum convulsaque vidit limina tectorum et medium in penetralibus hostem:* crescentium malorum ubi sic fieri vidit augmenta, ut nihil iam nisi captivitas superesset (invasa enim civitate quid restabat spei? accessum est ad limen domus, sumpsit augmentum desperatio, hostis non tantum ingressus verum etiam usque ad penetralia pervenit, quod fuit extremum), quid facere debuit sapientissimus rex nisi captivitatem indignam qualicumque mortis exitu praevenire? inferre sibi manus nec poterat nec aude-
510 bat. *arma diu senior desueta trementibus aevo circumdat nequicquam umeris et inutile ferrum:* bis accipiendum circumdat, ut sit circumdat arma, circumdat ferrum. *cingitur ac densos fertur moriturus in hostis:* visum est ei arma capere, non ut peteret pugnam aut certando victoriam quaereret, sed ut in armis positus pro integro et forti

3 *ingerat* LR *i. prius* ed. 4 post *crudelitatis* sex fere litterarum spatium vacat in L *fata eo* suppleas. 5 *debuit optabat* LR *optabatur debuit* ed. *defuit optabat* nos. 8 *licet* LR *ilicet* ed. 10 *foedasse* LR *-set* r ed. | *non* LR *tamen n.* ed. 11 *et nunc* LR *nunc et* r ed. 15 *ubi nihil* LR *uti n.* r *ut n.* nos. 16 *invasa* LR *capta* ed. 18 post *ingressus* rasurae quattuor fere litterarum vestigia in L: nihil deest, *ingressus* substantivum est pendens ab *usque ad* cf. prooem. in. 23 *accipiendum* LR *a. est* ed. 24 *ut sit circumdat* om. R add. r = L. 25 *et arma* LR. ed. *et* deletum vult R ipse *ei* nos. 26 *peteret* LR *iniret* ed.

procumberet· desueta trementibus aevo circumdat nequicquam umeris et inutile ferrum. et personam et res inutilis posuit; nam diu desueta arma hoc est quae in usu esse desierant superveniente domini senectute perindeque otiosi et fessi ac per hoc vetustate corrupta umeris antiquitate dissolutis inposuit et inutile ferrum, quod absumpsisset robigo longi temporis. his gestis cingitur hoc est armatur et quasi certaturi specie in confertos hostis moriturus egreditur. iste usque adeo adfectum moriendi habuit, ut unus, senex, otio quoque longissimo dissolutus, desuetudine torpidus iret in hostis densos auctorem suae mortis facile inventurus in plurimis. hoc loco plerique errantes putant Priamum amentia quadam ductum hoc vel temeritate fecisse (fecit consilio et singulari prudentia qua uti solent in extremis sapientes, ut moreretur potius quam captivitatis ludibriis subiaceret), sed falluntur isti intellegentibus ex subiectis. poeta enim divino ingenio praeditus loca semper ac tempora personasque pertractans dedit viro prudentiam et in adversis aptissimam consilii definitionem, quoniam hostes obtinuerant patriam, possederant domum, penetralia quoque diripiebant. temporis in persona mulieris alia sententia fuit, quae pro ingenio feminei sexus arbitrata virum suum turbatum ex praesentibus amentia ferri .......... *quae mens tam dira, miserrime coniunx, inpulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit, non tali auxilio nec defensoribus istis tempus eget, non, si ipse meus nunc adforet Hector. huc tandem con-*

---

1 *procuburet* L *procumburet* R sequitur in utroque *atrementibus* omisso *desuet.* 2 *cingitur* post *ferrum* in marg. additum vult r contra Donati distinctionem, ut docet inferius *his gestis cingitur.* 8 *certatur* LR *certaturus* r *certaturi* ed. *confertus* LR. 9 *effectum* R corr. r. 11 *iret* LR *isset* ed. 14 *fecit* LR *quod f.* ed. 16—17 *degentibus ex* LR *de versibus* r′ *discedentes ex* ed. *intellegentibus ex* nos cf. 533 (de hoc dativi usu v. Madvig gramm. 241 n. 6). 19 *vero* R *viro* r. 20 *possiderant* LR. 21 *temporis* deletum vult r. 24 post *ferri* spatium undecim litterarum vacat in L supplendum puto *ut eum vidit.* 25 *couis* R *quo ruis* r.

*cede, haec ara tuebitur omnis, aut moriere simul.* tractavit Hecuba personam senis non convenire laboribus belli existimans illum vincendi vel utique certandi stimulo provocari: arma certe ipsa robigine ac vetustate et desuetudine corrupta, nullo dimicaturi commodo profutura, non posse a sene defendi patriam illo vel maxime tempore quo iuvenes et fortissimi perierant, nec loci esse fiduciam, cum iam hostes in ipsis domus penetralibus degerent, non tantum ipsum perditis omnibus subvenire non posse, sed ne ipsum quidem Hectorem, si etiam tunc mansisset incolumis. huc tandem concede, haec ara tuebitur omnis, aut moriere simul: aliquid numinis ara ista retinet, omnis faciet salvos aut, si nihil valuerit, omnes pariter moriemur. *sic ore effata recepit ad sese et sacra longaevum in sede locavit:* ...... cuius aetatis fuit vel qualium virium inde apparet, quando hunc mulier anus ab incepto revocavit et in sacra sede constituit.

*Ecce autem elapsus Pyrrhi de caede Polites, unus natorum Priami, per tela, per hostis porticibus longis fugit et vacua atria lustrat saucius. illum ardens infesto vulnere Pyrrhus insequitur iam iamque manu tenet et premit hasta. ut tandem ante oculos evasit et ora parentum, concidit ac multo vitam cum sanguine fudit:* fortunam Priami, quam supra proposuit poeta, describit. voluit enim mori, occurrit uxor ne fieret, sed casus attulit viam pereundi. Polites quippe, unus ex filiis eius, Pyrrhi vulnere letali percussus, servavit ex eventu animam, donec ad conspectum parentum fugiens perveniret, sed urgente hoste et ita inminente, ut alio ictu saucium gravius premeret, concidit et mortuus est. hic poeta definit animam esse sanguinem aut in sanguine esse animam. denique effuso

---

3 *velutque* LR *vel utique* nos *causa veluti* ed. 8 *degerant* LR *-rent* r ed. 11 *mori* LR *ere* add. r *simul* add. r′. 12 *omnis* LR *aut o.* r. 13 *ore* om. LR. 14 post *locavit* sex fere litterarum spatium vacat in L suppleas *Priamus.* 19—20 *euacua* L *euacua* R *et vacua* L II man. r. 23 *quem* LR *quam* ed. 24 *posuit* R ed. *proposuit* r = L.

Politis sanguine anima quoque cum ipso consumpta est. ecce fortuna Priami et fatum, cuius causa factum est ut filius eius letaliter percussus vicerit valentem hostem, ut ante oculos patrios caderet. *hic Priamus, quamquam in media iam morte tenetur, non tamen abstinuit nec voci iraeque pepercit:* ecce inventa est quaesitae mortis occasio: nec Pyrrhus potuit Politen saucium fortis et valens sequi fugientem nec per longa spatia currentem alius percussor excepit; totum enim fortuna servaverat Priamo, ut causas mortis quas quaerebat incurreret. denique factum est; nam excitatus luctu et acerbitate mortis fili inmanissimi hostis feram naturam maledictis in se durissimis provocabat. *[at tibi pro scelere, exclamat, pro talibus* 535
*ausis] dii,* inquit, *siqua est caelo pietas quae talia curet, persolvant grates dignas et praemia reddant debita:* dii tibi, hoc est praesentes, ad quorum se suffragium defensionemque contulerat, et si est in caelo aliqua pietas numinum quae nefarie commissa reciprocis ultionibus vindicent, persolvant meritis tuis detestabilibus congrua. incipit iam unius facti crimina memorare dilatans invidiam quamvis in hostis personam. *qui nati coram me cernere letum fecisti et patrios foedasti funere vultus:* hoc ex occasione obiciebat Pyrrho pro crimine, quasi Politen ipse distulisset, ut ante ora parentum occumberet, quasi quod casus attulerat alienus culpae deberet adplicari. qui nati coram me cernere letum fecisti et patrios foedasti funere vultus: non culpat hostem, quod Politen occidit (stulte

---

1 *polito* LR *polite* r *Politae* ed., sed 663 *politis* LR. 2 *fortunam* ed. 3 *vicerit* i. e. currendo. 5 *tam* LR *tamen* L II man. r. | *abstenuit* LR corr. r. 6 *quaesita* ed. 7 *nec* LR *nam* ed. | *sequi* LR *consequi* R ipse. 8 *currentem* LR *-ndo* r *currens* ed. | *alius* L *aliu//* cum rasura R *alium* r *alicuius* ed. 8—9 *percussore accepit* L *-rem a.* R *percussionem a.* ed. *percussor excepit* nos. 10 *quas* LR *quam* r. 13 *provocavit* r. | *at* — 14 *ausis* deest in LR, sed explicatur; *tibi* post *inquit* contra metrum inseruit LR, delevi cum ed. 18 *vindicet* ed. 21 *personam* LR ed. *persona?* 25 *alienus* LR *alterius* ed. | *debuerat* LR ed. *deberet* nos.

quippe faceret hoc reprehendere in eo quod, ut diximus,
iure belli faciebat aut fecerat), sed et culpat quod non
hostis, sed eventus attulerat, quod non faceret nisi dolens
et desiderans mori. post maledicta etiam convicia sub-
540 nexuit dicens *at non ille satum quo te mentiris Achilles*
*talis in hoste fuit Priamo, sed iura fidemque supplicis eru-*
*buit corpusque exangue sepulchro reddidit Hectoreum meque*
*in mea regna remisit.* places tibi, inquit, et nobilitate
velut paterni nominis gaudes, cum Achilles pater tuus
non sit, hoc est mater tua in Achillis matrimonio posita
te adulterio conceptum protulit. hoc verum esse argu-
mento confirmat, si filius, inquit, Achillis esses, servares
in persona mea quod ille moderatione custodita servavit.
nam cum ei supplex essem, erubuit potius et doluit for-
tunam meam quam mihi in adversis gratulatus est cor-
pusque Hectoris reddidit et me remisit in statu quo fui.
quia adstruebat Achillis factum et volebat eum iuste ali-
quid ostendere praestitisse, ut ex hoc deformaret personam
Pyrrhi, tacuit ille scelerati hominis facinus: percepto
auri ingenti pondere dimisit ad sepulturam, victus scilicet
non humanitate, sed praemio. cumque alia quoque exer-
cere posset in supplicem, me quoque in regnum meum
redire permisit. cum autem de concesso Hectoris corpore
loqueretur, bene poeta posuit reddidit; hostibus enim sola
anima debetur hostilis, corpus autem, quoniam in nullius
est potestate, dimittitur sepulturae: reddidit ergo, quoniam
hoc contra humanitatis leges inlicite tenebatur. *sic fatus*
545 *senior telumque inbelle sine ictu coniecit:* ecce desiderium

---

2 *eculpat* LR *hoc culpat* H ed. *et culpat* O. 4 *conucia* LR corr. L II man. r. 7 *ex sanguine* LR corr. L II man. r. 9 *velut* om. ed. 10 *matrimonium* ed. 11 *adulterium* LR corr. L II man. r. 14 *ei* LR *ad eum* ed. | *essem* LR *issem* ed. | *docuit* LR *doluit* adnotat R substituit r. | *fortuna mea* ed. 15 *quam* (ad *potius* referendum) LR *qua* ed. *qui* ed. post. (*mihi in adv. grat. est* i. e. adversis meis laetatus est). 16 *statum* ed. 17 *iustae* LR corr. ed. 19 *scelerate* LR corr. ed. | *funus* LR ed. *facinus* nos cf. 1, 484. | *percepto* LR *quod p.* ed. 20 *victus* LR *iustus* ed.

mortis manifestum post maledicta et iniurias senex iuvenem provocat nec corporis nec teli suffragante virtute. telum ait inbelle, ut firmaretur quod superius dixit „et inutile ferrum“. quod autem dixit sine ictu coniecit, praecedens dictum voluit adprobari; positum est enim „trementibus aevo circumdat nequicquam umeris“. *rauco quod protinus aere repulsum et summo clipei nequicquam umbone pependit:* nonnulli hic faciunt inanissimam quaestionem dicentes non posse pendere quod repellitur. his ergo reddenda ratio est, ut vacuato quod male sentiunt incipiant sequi quod prudenter est dictum. nam et repulsum est et pependit. missum enim telum constabat quod vetustatis vitio fuisset hebetatum, quod rigorem perdidisset illius temporis, quo in usu Priami fuit, cum adhuc . . . . . . . . . . . . . . . . . . . ., emissum ab eo qui omne virtutis robur cum ipsis iuventae temporibus amisisset. talis ergo teli effectus plenus esse non potuit, ut perforato penitus scuto ad hominis corpus et exitium perveniret, nec tamen in totum inefficax fuit. repulsum est enim resistente aere, sic tamen, ut pendens inhaereret, penetrato scilicet aliqua ex parte scuti contextu. hinc intellegendum est qualis in primis annis fuerit Priamus, quem non fefellit in illa aetate destinatio feriendi; obtinuisset enim, si corporis etiam tum vis et teli substantia perdurasset. qualis autem etiam Pyrrhus ostenditur qui ictum senis vitare non potuit! *cui Pyrrhus referes ergo haec et nuntius ibis Pelidae genitori, illi mea tristia facta degeneremque Neoptolemum narrare memento:*

---

1 *iuve* R *iuvenem* r. 2 *sui fragante* L *suffragante* in rasura R *sui suffr.* ed. 4 *rerum* R *ferrum* r. 5 *adprobare* R. 13 *temporis quod* LR ed. *quo* r. 14 post *cum adhuc* sequitur spatium viginti litterarum vacuum in L *tum adhuc* R *adhuc* deletum vult R ipse vel r *adhuc* om. „telum ipsum fuisset“ inseruit ed.: *iuvenis floreret vigore* vel simile aliquid supplendum est ita, ut *missum*, non *emissum* legatur propter anaphoram. 18 *pervenisset* ed. 20 *inhaereret* LR *in hoc esset* ed. | *contectu* ed. 21 *hic* ed. 23 *tumoris* LR *tum vis* nos *roboris* ed. 24 *quales* LR *qualis* r ed. | *autem* LR *a. fuerit* ed. 27 *tristitia* LR.

550 *nunc morere:* quale responsum deberet iratus dare ex maledictis et iniuriis motus expressit; in ipsa enim responsione ostendit se verbis potius Priami et obiectis saevissimis excitatum, dum eadem replicat: ibis, inquit, ut patri meo ipse referas male gesta mea et crudelis actus et me degenerem nunties, interea morere. ecce brevitas necessarie posita; properare enim Pyrrhus ad ultionem debuit quem tanta commoverant. *hoc dicens altaria ad ipsa trementem traxit et in multo lapsantem sanguine nati:* ecce animus vehementer irati. hoc, inquit, dicens, hoc est dum adhuc loquitur, traxit senem, traxit aetatis vitio tremulum, traxit ad ipsas aras deorum quos Priamus dixerat vindices fore, traxit lapsantem in filii sanguine. tantum potuit vis iracundiae, ut non consideraret Pyrrhus in Priami nece piaculum se admittere et inpietatem plenissimam profiteri. fecit, ut dictum est, irati mente existimans se non sacrilegum hominem neque inpium fore, sed ipsum Priamum reatum incursurum, si aras foedaret sanguine suo, quas hostiarum caede promereri consueverat, et fili sanguine suum quoque misceret. incipit iam descriptio necis Priami, in qua plerique omissa ordinatione sensus a vero intellectu dissociant veritatem. traxit, inquit, trementem *implicuitque comam laeva dextraque coruscum extulit ac lateri capulo tenus abdidit ensem.* melius non puto exponendum hunc locum quam ipsis verbis quibus factum descriptum est. tenuit omnis comas Priami et sinistra manu inplicavit dextraque extulit, ipsas scilicet comas procul dubio cum capite abscidit. quasi abscisio capitis non suffecisset ad perficiendam hominis necem,

1 *ex* LR ed. *et*? 2 *metus* LR *motus* r (cf. 41 et 1, 682) *acerbissime* ed. 4 *favissimis* LR *foed-* L II man. ed. *grav-* r *saevissimis* nos. 7 *necessario* ed. 9 *labsantem* L *lapsantem* R *labentem* ed. *labantem* ed. post.! 12 *quos* LR *quas* ed. 15 *sed admittere* L *set a.* R *se a.* r *infandum* ed. 16 *irati* LR *irata* r ed. 17 *existimans se* LR *non e. se* r *e. se nec* ed. *e. se non* nos. 21 *ne eis* R *necis* r = L. 24 *abdedit* LR. 26 *omnem comam* ed. 27 *implicuit* ed. | *extulit* LR *ensem* inepte add. ed.

quoniam vehementer irati personam induxerat, et lateri, inquit, abdidit ensem usque ad capulum: lateri intellegendum est non suo quasi revocans in vaginam, sed lateri Priami. quid tam apertum, quid tam evidens in eo quod fecerat natura ferox, iuventa insolens, iniuriis excitatus? abstulit hominis caput et, quia hac tantum poena satiari non potuit, trunci corporis latus et iam nihil sentientis inpresso usque ad capulum gladio perforavit atque ita totum ensem abscondit, quasi illum in vagina condidisset. hoc factum infra melius apparet, cum funus eius et genus mortis Aenean diceret horruisse. *haec,* inquit, *finis Priami fatorum:* supra enim dixerat „forsitan et Priami fuerint quae fata requiras". ecce in quem finem vitae dilatus est Priamus, *hic exitus illum sorte tulit:* quam sortem 555
miserandus invenit? *Troiam incensam et prolapsa videntem Pergama, tot quondam populis terrisque superbum regnatorem Asiae:* post florem regni, post retentum tot saeculis imperium Troiam ille vidit incensam et prolapsa Pergama. quid male sit dolendum cernens quis speraret senem iam iamque natura deficiente sine dubio moriturum perdito quod feliciter egerat imperii culmine, consumptis quoque incendio universis tam infelici exitu periturum? dehinc succedit adversorum evidens enumeratio secuta post mortem, quoniam quae superius dicta sunt ad viventis Priami cruciatus pertinent vel certe cum occideretur:

---

4—5 *quod fecerat* L *quid f.* R obscura adnot. r quaere add. in marg. r′. 6 *quia* L *qui* R *quia* r, sed *a* ab eodem deleta. 7 *trunci* om. ed. | *et* om. ed. 8 *inpresso* LR *i. ei* ed. 9 *abscondit* LR *abdidit* ed. 11 *inquit* om. ed. 12 *dixerat* L *dixit* R ed. 14 *quis exitum* LR *hic exitus* r ed., quod recepi, quia illud et metro excluditur et intellectu caret. 17—18 *retentum tot saeculis* LR *tam diuturnum* ed. 19 *dolenda* LR ed. *dolendum* nos. | *cerneris* LR *cerneres* r *cernens* ed. nos: sic intellego: si quis quid male sit dolendum cerneret, non speraret. 20 *iam iamque* LR *que* om. ed. | *degente* LR *decedente* r *deficiente* ed. 21 *regerat* LR ed. *rexerat* r *egerat* nos. 24 *quae* om. *sunt* ipse expunxit R. | *viventis* om. ed. 25 *cruciantur* R *cruciatum* r.

*[iacet ingens litore truncus avulsumque umeris caput et sine nomine corpus].* iacet: nec fuit qui funus eius debitae sepulturae mandaret. ingens: honore vel corpore. litore: ubi litare consueverat, quoniam intra domum et ante aras constabat occisum. truncus: atque utinam non divisus in partis! et sine nomine corpus: ordinatur iacet ingens corpus et sine nomine. nonnulli hic sine nomine sine dignitate accipiunt, sed non ita est; nam cum corpori detractum fuerit caput, erit sine nomine, cum cognosci nequiverit. iacet ingens litore truncus, iacet avulsum umeris caput, iacet sine nomine corpus: separanda sunt haec a superioribus dum pronuntiantur, ne intellectus patens facta confusione turbetur. ab accusativo enim casu transiens si ad nominativi casus declinationem pronuntians veniat, facit vitium iungens Troiam incensam et prolapsa videntem Pergama, tot quondam populis terrisque superbum regnatorem Asiae et iacet ingens litore truncus, iacet avulsum umeris caput, iacet sine nomine corpus, ut semel positum iacet ad tria supra dicta pertineat, quae ipsa tria cum nominativo sunt posíta, superiora vero cum accusativo, proinde haec oportet separari.

560 *At me tum primum saevus circumstetit horror, obstipui. subiit cari genitoris imago, ut regem aequaevum crudeli vulnere vidi vitam exhalantem:* hoc, inquit, viso tunc primum me horror invasit; considerans quippe etiam meis adfectibus aliquid simile aut iam contigisse aut forsitan inminere non inaniter commovebar; vidi enim concidisse fortunam regis qui aequaevus mei fuerit patris, vidi exhalantem vitam per ingens vulnus. ecce ubi probatur

---

1 *iacet* — 2 *corpus* deest in LR inserui eadem ratione ductus qua 1, 25. 6 *sine corpus* LR *nomine* interpos. r ed. | *ordinator* LR *ordinatur ita* r sine *ita* nos om. ed. 7 *ingenu* L *ingeni* R *ingens* L II man. r. 11 *umeris* om. R add. r = L. 15 *vitrim* LR *vitium* r ed. 16 *terrisque* LR *regnisque* ed. 17 *et iacet* LR *et* om. ed. 18 *iacet avulsum* LR *iacet* om. *que* ad *av.* add. ed. | *iacet sine* LR *iacet* om. ed. 19 *ut* om. ed. | *pertinet* ed. 22 *priamum* LR *primum* r. 23 *vidi* om. LR add. r. 26 *effectibus* r.

praeter abscisionem capitis etiam latus eius esse perfossum. denique hoc vult esse vulnus, ceterum avulsum umeris caput non est vulnus. videre, ait, visus sum in illo exemplo imaginem patris, solitudinem uxoris, direptionem domus nostrae et pueri fili mei interitum. hoc est quod dixit subiit cari genitoris imago, ut regem aequaevum crudeli vulnere vidi vitam exhalantem. *subiit deserta Creusa et direpta domus et parvi casus Iuli. respicio et quae sit me circum copia lustro:* novissime, inquit, etiam me considerans qui remanseram solus. *deseruere omnes* 565 *defessi et corpora saltu ad terram misere aut ignibus aegra dedere:* rediit ad illam partem qua dixit se in domo Priami super tecta fuisse cum plurimis. deseruerunt me, inquit, omnes fessi pugnando, nullo laboris consequente successu. nam cum summa desperatio esset, aut praecipites sese dederant aut animas suas et propria corpora tradiderant flammis. ecce etiam hic solum se adserit remansisse laudans occulte fidem suam et constantiam. subtiliter praeteriens excusat et matrem suam, quam constabat causam fuisse malorum omnium quae narrabat. *cum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam obtulit et pura per noctem* 590 *in luce refulsit alma parens confessa deam qualisque videri caelicolis et quanta solet dextraque prehensum continuit roseoque haec insuper addidit ore:* dixit omnis deseruisse quod agebant, cum defenderent domum Priami et id frustra facerent: ipse quo modo recesserit dicit, ne videatur etiam ipse operis labore fatigatus recessisse. omnes, inquit, laborando fessi et sine aliqua utilitate certando debiles redditi taedio adversarum rerum mori maluerant et duplicem voluntariae mortis occasionem nancti, cum altitudo non deesset et incendia dominarentur, aut praecipites dederant sese aut petierant flammas: ne et ipse alterum facerem aut, quod supererat tertium, hostis occideret re-

---

5 *interitus* LR ed. *-tum* r. 14 *consequentes* LR *-te* r. 16 *animos* ed. | *suas* om. ed. 18 *praeterens* R *praeferens* r. 20 *enarrabat* ed. | versus 567—588 silentio praeteriit Don. 29 *reddit* L. | *maluerunt* LR ed. 33 *superat* L.

manentem, mater mea non, ut facere solebat, dubia aut incerta, sed manifestior veniens me ab ipsis inefficacissimis actibus revocavit. quando enim alicui crederem, nisi eadem se meis obtutibus sine fraude obtulisset, talem scilicet qualis revera fuit, cum deorum numero et coetibus misceretur? cuius talis extiterat admonitio: *nate, quis*
595 *indomitas tantus dolor excitat iras? quid furis aut quonam*
*nostri tibi cura recessit?* haec dictio multa continet. tangit enim Aeneae ipsius laudem, qui solus totiens remansit occisis ceteris aut defessis: solus tunc in classe prima, in qua fuerunt Coroebus et Panthus, solus etiam cum veniret ad domum Priami, solus cum ab ipso post inefficacem expugnationem ceteri recessissent. continet purgationem personae hominis victi, ut sine crimine videatur recessisse de patria, et ex eo ipso laudem sibi vindicat, quod non esset recessurus, nisi vidisset Troiano imperio deos esse quam homines inimicos, perindeque Graecis, ut saepe fecit, virtutis meritum tollit, cum eos dicit fecisse contra imperium Troiae qui obluctationibus humanis superari non possent. continet praecipuum ipsius Aeneae meritum, cui licuit humanis oculis deos videre praesentis. continet purgationem materni facti, quae putabatur malorum quae acciderant causas per Paridem atque Helenam praebuisse. nate inquit: praemisit pietatis nomen, ut admitteretur facile quod fuerat suasura; nullus est enim qui filios in contrarium moneat. quis indomitas tantus dolor excitat iras? quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit? iratus, inquit, et furens quid agere debeas nescis; utrumque enim consilio est inimicum. doles, irasceris, furis et ultionem quam reperire non potes ingrato

1 *facere* LR *fere* r. 4 *eadem si* LR *e. se* r ed. | *optatibus* ed. 7 *ut* R *aut* r. 10 *clause* R *classe* r. 12 *venisset* ed. 13 *ceteri — purgationem* om. ed. 15 *sibique indicat* LR *sibi vindicat* r edF. 17 *quam* LR *magis q.* ed. 18 *eos* L *eo* R *eos* r *deos* r′ ed. 22 *materni facit quae* LR *m. facti q.* r (*quae* ad sensum positum) corrupit ed. 23 *per* LR om. edI *non* edF.

labore sectaris. cumque vana et non profutura persequeris, curam nostri penitus sensibus reiecisti. addidit etiam personam suam personis mortalibus, non quo ipsa quoque aliquid pati posset, sed quia ipsa feriebatur in omnibus, si maritum, filium, nurum perderet aut nepotem. incipit iam singulorum causas enumerare, quibus ostendat omnis periculis oportunos, nisi cunctis subveniatur. *non,* inquit, *prius aspicies ubi fessum aetate parentem liqueris Anchisen, [superet coniunxne Creusa Ascaniusque puer? quos omnis undique Graiae circum errant acies et, ni mea cura resistat, iam flammae tulerint inimicus et hauserit ensis]:* ecce 600
dixit senem, de corporis autem vitio tacuit. cur enim diceret ei qui patris nosset, et cum sufficeret aetatis ex qua semper est debilis senectus, etiamsi nullo vitio extrinsecus praegravetur? superet coniunxne Creusa vertendum est et rectum: an superet coniunx Creusa, quam constabat sexus ratione sibi adesse non posse. Ascaniusque puer, nec consilio filius nec per aetatem sua virtute munitus. cum haec proponit, hoc videtur dicere: dum quaeris vincere quos non potes, perdes tuos ad quem postea, cum pugnaveris, rediturus? cumulat terrendo persuasionem suam et, ne desperatio utique interritum magis alienaret viri fortis animum, nuntiat opera sua omnis esse incolumis, sed ex proximitate multorum hostium in summo discrimine constitutos inminentibus vel maxime incendio vel flammis. *non tibi Tyndaridis facies invisa*

---

2 *penitis* L *reditis* R *perditis* r *erutis* ed. 4 *se quia* LR corr. r. 7 *cunctis sub* cum spatio octo litterarum L *cunctos sub* R *cunctis subveniret* r *cunctis subveniatur* nos temere mut. ed. | *inquit* om. ed. 8 *superet* — 11 *ensis* deest in LR, sed explicantur versus 598—600 verbis *cumulat* etc. 13 *patris* — *aetatis* LR (scilicet *vitium*) *et* del. r *omnia* substituit r′ *patrem* — *aetas* ed. 15—16 *advertendum est et recte* ed. 19 *proponet* R corr. r. 20 *quem* LR *quos* ed. (interrogative accipiendum). 21 *rediturus* LR *r. non es* ed. | *terrendo* LR *tessendo* H *texendo* O ed. 22 *atque interitum* LR *a. interitus* rHO ed. *utique interritum* nos. 26 *vel* LR *et* ed.

*Lacaenae culpatusve Paris, divum inclementia, divum has
evertit opes sternitque a culmine Troiam:* propositio huius
rei fuerat necessaria, ut hoc ipsum verum esse doceretur;
hoc enim genere potuit inhibere viri fortis impetum et
incitatos animos frangere inania vacuaque sectantis. fecit
hoc Venus etiam propter se; noverat enim dici sibi posse
ut haec pateremur tu fecisti. ergo non inmerito dixit non
tibi Tyndaridis facies invisa Lacaenae culpatusve Paris,
divum inclementia, divum has evertit opes sternitque a
culmine Troiam et, quia ipsius invidiae vel maxime apud
filium pondere premebatur, ait *aspice, namque omnem quae*
605 *nunc obducta tuenti mortalis hebetat visus tibi et umida
circum caligat nubem eripiam: [tu nequa parentis iussa
time neu praeceptis parere recusa]:* inter homines ac deos
mediam inesse caliginem ferunt et nebulam quandam con-
tractam ex umore mortalis oculos hebetare, hanc se re-
moturam Venus promisit, ut videre Aeneas posset quod
omnibus nefas est intueri. aspice, inquit, et ne timeas
iussa parentis observare, quoniam nihil tibi materna pietas
contrarium iubet et praeceptis religiosis te commovet,
obtemperare contende. *hic, ubi disiectas moles avulsaque*
610 *saxis saxa vides mixtoque undantem pulvere fumum, Neptu-
nus muros magnoque emota tridenti fundamenta quatit to-
tamque a sedibus urbem eruit. hic Iuno Scaeas saevissima
portas prima tenet sociumque furens a navibus agmen ferro*
615 *accincta vocat. iam summas arces Tritonia (respice) Pallas
insedit nimbo effulgens et Gorgone saeva. ipse pater Da-
nais animos virisque secundas sufficit, ipse deos in Dar-
dana suscitat arma:* cum ostenderet non Graecos Troiano

---

1 *culpatusque* LR (sed infra *-ve*) *-ve* r ed. | *divum incl.* LR *verum i.* ed. (et infra). 2 *spernitque* LR corr. r (infra *externitque* LR). 13 *tu* — 14 *recusa* deest in LR, sed explicatur. 15 *messe* R *esse* r. 20 *et praec.* LR *sed pr.* r′ ed. | *et commovit* LR *quibus te commonet* r (adnotato in marg. quaere) *te commovet* nos. 21 *contendet* LR *contende* r. | *incubidis* L *in cupidis* R *hic ubi disi.* r. 24 *erunt* R *eruit* r. 27 *insidet* LR. | *emorgone* R *et gorgone* r.

imperio, sed deos infestos, enumeratis et demonstratis plurimis servavit ad ultimum Iovem. nec nomen eius quod alii celebrant dixit, sed quo ipsa eum appellare debuit quae fuerat filia eo magis illum onerans invidia, cum dicit ipse pater, hoc est qui contra malum aliorum studium maiore potestatis auctoritate pro nobis certare debuit, ipse non tantum Graecorum fautor est verum etiam ceteros deos in odium Troianae utilitatis accendit. dat igitur Venus remedium contra haec. ait enim *eripe, nate, fugam finemque inpone labori.* quia sciebat filium non libenter auditurum consilium fugae, idcirco supra dixit „tu nequa parentis iussa time neu praeceptis parere recusa“. cedendum enim fuerat, quando etiam ipse contrarius fuit qui plus poterat et suis potius quam alienis favere debuerat. itaque cum suaderet fugam, debuit ostendere quibus auxiliis inpleri potuisset. potuit quippe Aeneas dicere quomodo possum fugere vallatus hostium telis et flammis? *nusquam,* inquit, *abero et tutum patrio te limine sistam. dixerat et spissis noctis se condidit umbris:* non dixit recessit, sed se ipsis noctis umbris condidit. *apparent dirae facies inimicaque Troiae numina magna deum.* dirae facies, quae quid pessimi studii animo gererent vultibus testarentur. apparent et quae nullius oculis videbantur solus matre mea suffragante cernebam numina magna deum. potiora numina ipsa debemus intellegere, quae superius dicta sunt.

*Tum vero omne mihi visum considere in ignis Ilium et ex imo verti Neptunia Troia:* quando non tantum Graecos verum etiam potiores deos vidi nostris rebus infestos, tunc magis probavi illa quoque quae supererant esse peritura. *ac veluti summis antiquam in montibus ornum*

4 *eo* LR *eoque* ed. | *illum* LR *eum* ed. 7 *ipso* R *ipse* r. 13 *cadendum* R *ced.* r. 18 *tutum* om. ed. 20 *se ipsis* L *de ipsis* R (*se* corr. ipse) *se spissis* r nescio an recte. 22 *studit animo regerent* LR *studii a. gererent* r *studii animosae g.* H ed. *st. animo g.* ed. post. 23 *ea quae* ed. 24 *matre ea* R *m. mea* r = L. 31 *antiquum* ed.

*cum ferro accisam crebrisque bipennibus instant eruere agricolae certatim, illa usque minatur et tremefacta comam concusso vertice nutat, vulneribus donec paulatim evicta supremum congemuit traxitque iugis avulsa ruinam:* omnis ista conparatio emissa est, ut ostenderet quanta vi civitas cum suis opibus concidisset. *descendo abducente dea:* in domo enim Priami se dixerat fuisse constitutum et in summa eius parte, alii unde se aut praecipites dederant aut tradiderant flammis. idcirco iratus dixit descendo abducente dea ut voluntate matris abductus et persuasione receptus. *flammam inter et hostis expedior, dant tela locum flammaeque recedunt:* quid enim dea vel maxime propter filium conplere non posset quae dixerat „nusquam abero et tutum patrio te limine sistam?“ *atque ubi iam patriae perventum ad limina sedis antiquasque domos:* ecce conpletum est promissum matris, tutus Aeneas pervenit ad patriam domum. *genitor, quem tollere in altos optabam primum montis primumque petebam, abnegat excisa vitam producere Troia exiliumque pati:* ipse, inquit, pater meus, quem primum hoc est ante omnis liberare cupiebam et primum ad montium tuta transferre (bis dixit primum, ut plenum erga patrem monstraret adfectum), negavit se velle vivere post excidium Troiae faciens conparationem praesentium et futurorum meliusque esse disserens in cineribus patriae mori quam prolixitati vitae ad peiora perferenda consulere. dicit iam patris sui verba quibus veluti iusta praetendens nolebat abscedere. *vos o, quibus integer aevi sanguis, ait, solidaeque suo stant robore vires, vos agitate fugam:* fugiant, inquit, quibus offert iuventa suffragium et longum vivendi spatium sperant, qui laborem

---

5 *ipsa* LR ed. *ista* r nos. 6 *adducente* LR (et infra *adducente* et *adductus*) *ac ducente* edI, sed quia *ac* infra locum non habet, *abducente* scripsi cum edF. 7 *se dixerat* L *d. se* R *se* om. ed. 8 *unde se aut* L *u. s. et* ed. *alii u. s. et* R. 11 *receptus* LR ed. vel *repressus* adnot. r′. 14 *tuto* LR (supra *tutum*). | *atque* LR *ast* ed. 22 *necavit* LR corr. r. 25 *prolixitate* LR ed. -*ti* r nos. 27 *praetendimus* L. 30 *et* LR *et qui* ed.

ferre non alienis, sed propriis adminiculis possunt; ipse enim noverat se debilem esse. haec omnia quae sibi deerant et supererant aliis dixit, tacuit tamen multa vitia senectutis, quia fuerant in aperto, et conpletis omnibus quae in iuvenibus non deerant dicit partis suas: ego fugere nec debeo nec possum nec ad fugiendum habeo voluntatem, aetas tulit quod possem forsitan velle, tenent me extrema patriae et futura terrori sunt. *me si caelicolae voluissent ducere vitam, has mihi servassent sedes:* aperta, inquit, coniectura colligo invisum me esse numinibus. si enim vellent me adhuc vivere, servassent seni patriam sedem, quem constat locum mutare non posse. *satis una superque vidimus excidia et captae superavimus urbi:* scelus est patriam vidisse pereuntem et dolor inmensus quod post eius adhuc interitum vivimus et adhuc de vivendo cogitamus. *sic o, sic positum adfati discedite corpus:* non dixit hominem vivum, sed corpus, utpote eius qui non vivendi, sed moriendi desiderio duceretur. *ipse manu mortem inveniam, miserebitur hostis exuviasque petet, facilis iactura sepulchri:* respondit omnibus quae sibi obici e diverso potuerunt. aut ego me, inquit, occidam aut non deerit qui feriat et, si misericordia ductus solas exuvias tollet, vel si remansero insepultus, iactura ista me non sollicitat; facile enim contemnitur quod post exitum vitae non sentit exanimis. *iam pridem invisus divis et inutilis annos demoror, ex quo me divum pater atque hominum rex fulminis adflavit ventis et contigit igni:* olim est, inquit, quod cupio mori prima existente fulminis causa qua

2 *sedeb* cum spatio decem fere litterarum *se dibi* R *se debilem* r *se d. esse* nos *se defecturum* ed. 3 *superarant* LR *supererant* r ed. 4 *tua fuerat* L *qua fuerat* R *quia fuerant* r *sua quae f.* ed. | *conpletis* LR *complexis* ed. cf. 298. 5 *in iuvenibus* LR *in* expunxit r. 8 *caeliculae* LR. 12 *constat* L *constabat* R. 13 *super animus* LR. 20 *sepulchro* LR propter *insepultus iactura ista* interpretationis *sepulchri* scripsi, quamquam *sepulchro* i. e. *in sepulchro* interpretatione non excluditur *sepulchri est* ed. 22 *etsi* LR *etsi non* r. 25 *exanimus* ed. | *inutiles* LR.

debilis factus diis adversis frustra moror in luce, quod vel nunc faciendum est post Troiani imperii perditum florem.

650 *Talia perstabat memorans:* perstabat, inquit, talia memorans. *fixusque manebat:* fixus, hoc est inmobili sententia. *nos contra effusi lacrimis:* cum adhuc loqueretur, nos contra dolores nostros lacrimis uberrimis testabamur. *coniunxque Creusa:* nec tantum nos verum etiam coniunx mea Creusa. *Ascaniusque omnisque domus, ne vertere secum cuncta pater fatoque urgenti incumbere vellet. [abnegat inceptoque et sedibus haeret in isdem]:* in obstinatione senis tractabamus omnes et ipsius casum et periculum nostrum. fugiendum quippe fuerat: hoc provenire sine ipso non posset, remorari sine periculo quomodo, ubi malum evidens fuit? idcirco flebamus, ne ille in eadem sententia perdurans consentiret adversae fortunae et secum omnis nos faceret interire. ex illius igitur voluntate salutis omnium status ratioque pendebat; cum ipso enim fuerat moriendum quem dimittere non licebat. sed ille, quem fixum tenuerat una sententia, qui consentiebat fatis nostris in extrema vergentibus, voluntate sua nostra iuvabat adversa, non meis, non nurus suae, non nepotis, non omnium largissimis fletibus flexus in ea mentis obstinatione permansit negavitque se velle vivere post excidium patriae.

655 *rursus in arma feror mortemque miserrimus opto. nam quod consilium aut quae iam fortuna dabatur?* tali existente patris mei sententia, cum fugiendi spes concidisset, rursus ad arma conversus sum. nam quid erat in tali causa faciendum, nisi ut id facerem quod adversa fortuna dictabat? armabar, inquit, mortem potius exoptans, quoniam oppresso tantis cladibus vita displicebat. *men ecferre*

---

9 *vetere* R corr. r. 10 *patefactoque* LR corr. r. | *abnegat* — 11 *isdem* deest in LR, sed explicatur. 13 *hoc* LR *cum hoc* r. 14 *quomodo* LR *qu. posset* ed. 16 *secum* LR *se et* ed. 19 *demittere* LR corr. r ed. 22 *mei* ed. | *nepotes* L. 30 *armabat* R corr. r = L. | *exoptans quoniam* bis scr. LR. 31 *mene ecferre* L *me necferre* R *mene referre* r.

*pedem, genitor, te posse relicto sperasti? tantumque nefas patrio excidit ore?* invidiosa quidem dictio, sed plena pietatis et ex adfectu religioso descendens, habens in pronominibus gravissimum pondus et satis validum et in ipsa brevitate retinens latissimam causae rationem. in pronominibus sic: mene, inquit, et te. mene hoc est filium tuum cuius pietatem, officia religionemque optime conprobasti. te qui sis pater meus, qui bene nosti quid parentes debeant liberis, quid filii parentibus, te qui praeter naturalem adfectum sis senex, sis vitio corporis inpeditus, te quem amaverim semper semperque coluerim. deinde ipsa causa quam gravis, quam inpietatis criminibus plena! abire sine patre, abire sine auctore propriae salutis, relinquere senem ac debilem illo tempore atque illo loco, ubi hostis victor fuerat superque discrimen, ubi flammae, ubi supererant gladii, ubi mors aut detestanda captivitas inminebat. mene, inquit, abiturum sine te sperasti, optime pater, aut aliquo pedem moturum? et potuit tibi venire in mentem tam dirum tamque inpium nefas, potuisti cogitare quod abhorret a moribus meis? potuisti ore paterno promere quod me faceret parricidam? *si nihil ex tanta superis placet urbe relinqui et sedet hoc animo perituraeque addere Troiae teque tuosque iuvat, patet isti ianua leto:* artificiosa dictio satisque subtilis, consentire se simulat eius voluntati et tamen hunc vehementissime terret, ne in eadem cessandi pravitate perduret. si hoc, inquit, placuit superis, ut de magna urbe nullae reliquiae supersint, idque et tu probas quod adversariis gratum est, non deest omnibus nobis occasio moriendi, fiat istud cum hostium

6 *mente hoc est* L *men// h. e.* R. 7 *officiis religioneque* ed. 12 *inpietatibus* R corr. r. 13 *abire sine patre* om. R add. r = L. 15 *superque* LR *supremumque* r′ nescio an recte. 16 *superant* L ed. *seperant* R corr. r = L *supererant* nos. 17 *habiturum* LR corr. r. 22 *sedit* LR. 23 *perituraque* LR corr. r. | *teque nosque* L *teque uosque* R *te quoque nosque* ed. *teque tuosque* r. 25 *terret* LR *tenet* ed. 26 *cessandi* LR *crescendi* ed. 27 *superbis* L *super his* R *superis* r. 29 *fiat* LR *quum fiat* ed.

voto. *iamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus, natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras:* quia contempserat senex et debilis salutem suam, non eius tantum fore periculum dicitur, sed proposito exemplo de fili quoque morte terretur, ne forte vel hoc genere posset inflecti. cumque hoc adseritur, etiam illud procul dubio intellegi potest, non ṣolum interitus sui Anchisen admoneri, verum etiam fili, nurus et nepotis, ne forte tot necessitudinum periculo frangeretur. datur interea exemplum crudelissimi hostis et eius qui divina et humana iura despiceret, datur exemplum personae hostilis et ultra hostilem modum saevientis, datur et facti. iam, inquit, aderit Pyrrhus, post effusionem recentem sanguinis Politis et Priami. novit ille ordinem feriendi, novit quemadmodum patres liberorum funeribus adfligat, numquam ille percutit patres, nisi primo cecidisse viderint liberos suos, ille nec occasionem faciendi perdit nec loca in quibus faciat habita consideratione discernit, totus intentus in factum perficit caedem, etiamsi sacer locus ac venerandus occurrat. aliam in matrem quoque invidiam concitat, salva quidem materni nominis reverentia. hoc non ut ingratum ostendat filium, sed ut terrorem patris accumulet. *hoc erat, alma parens,*
665 *quod me per tela, per ignis eripis, ut mediis hostem in penetralibus utque Ascaniumque patremque meum iuxtaque Creusam alterum in alterius mactatos sanguine cernam?* versa sunt, inquit, in perniciem meam, mater, beneficia tua. quid prodest quod evasi gladios et tutus transivi per flammas? quid prodest quod ad sedes nostras incolumis te auxiliante perveni? cur sum redditus dulcibus conspectibus patris? non amor est iste, sed inmane suppli-

---

5 *vel* om. ed. 12 *ei facti* L *eius f.* R *et factum* ed. 13 *Polytae* ed. 14 *illi* LR. 15 *percutet* LR *percutiet* r -*tit* ed. 16 *primo* LR *prius* ed. | *viderit* ed. 17 *faciebat* ed. 22 *terrore* ed. 23 *hostis* LR ed. *ignes* ed. post. recte propter *flammas* interpretationis. 24 *ascanium* LR. 25 *sanguinem* LR. 27 *totus* LR. 30 *immane//* R *inmanens* L *imminens* ed. *inmane*, quod r′ per rasuram effecisse puto, recepi.

cium: videbo his in cubiculis vagantem hostem intentum nostris, videbo caedi pignera mea et effundi omnium sanguinem simul simulque misceri confusaque in unum corpora funeraque prosterni. perdidi in adversis grande commodum miser: potui nescire quod timeo. quod posuit cernam, ad omnia pertinet ac per hoc non semel accipiendum est hoc modo: ut mediis hostem in penetralibus cernam utque Ascanium cernam patremque meum cernam iuxtaque Creusam cernam, mactatos cernam alterum in alterius sanguine. aliud dehinc genus terroris adiungit, ne fieri possit ut suam pater mutaret aliquando sententiam: *arma, viri, ferte arma, vocat lux ultima victos. reddite me Danais, sinite instaurata revisam proelia. numquam omnes hodie moriemur inulti,* ut, cum videret filium in pericula rediturum, amplecteretur consilium fugae. ait ergo ferte arma hoc est venite mecum armis vestris instructi. vocat lux ultima victos: iam nos vocat finis ultimus vitae, ut non pugnaturi pergere, sed morituri viderentur. ait ergo ad tantam necessitatem cogimur adversante fortuna, quasi redeuntes in bella victi hostem possimus superare victorem. reddite me Danais, sinite instaurata revisam proelia: cupio, inquit, me representare certamini. posset dici ad quam spem? respondit ipse numquam omnes hodie moriemur inulti: non, ait, ut vincam, sed ne omnes inulti pereamus hoc est non tantum ipse qui bellum repetiturus fuerat verum etiam remansuri, Ascanius, Anchises et Creusa.

*Hinc ferro accingor rursus clipeoque sinistram insertabam aptans meque extra tecta ferebam:* cum ne his quidem dictis moveretur, inquit, animus patris, coeperam

---

1—2 *hisce de oculis ugantem hostem intentam nostris* LR *bacchantem* r *vagantem* in marg. r′ *patrem meum in conspectu meo occidi* substituit ed.: emendavi *in penetralibus* explicari ratus. 5 *posui* LR. 10 *sanguine* LR *s. cernam* ed. 11 *posset* ed. 15 *redditurum* LR. 16 *ergo* om. ed. 18 *vita* R corr. r. 22 *instauratam* L. 25 *hoc est* om. ed. 27 *ascanius anchises* LR invertit ed. 28 *hinc* LR *hic* ed.

processurus amari, iam induebam scutum umero meo, iam coeperam extra limen exire simul faciens utrumque; hoc enim properationis necessitas exigebat, ut non stans, sed ambulans armarer. accingor dixit instruor. *ecce autem conplexa pedes in limine coniunx haerebat parvumque patri tendebat Iulum:* repente, inquit, emergens uxor in ipso limine tenuit exeuntem et, ne minoris meriti praerogativam haberet apud virum, parvulum Iulum offerebat patri. non dixit mihi, sed patri, ut, si maritum non flecteret precibus suis, patrium tamen moveret adfectum. ambos proinde ostendebat inutilis, ambos inbellis, se mulierem et illum puerum, ut aetatis ratio vel sexus revocaret instantem. quanta autem rogantis uxoris necessitas fuit, quando ad pedes meos deiecit se atque ipsos quibus egredi poteram suppliciter retinebat non respiciens meritum suum nec matrimonii decus nec nomen uxoris, offerens commune pignus oculis meis! videamus quid sit quod nondum plene armatum, quod in limine, quod pedibus conplexa retinuit properantem, quod offerebat filium patri: haec enim sequentia prodiderunt non frustra in via esse perfecta; significabatur quippe auspiciis non futurum quod arripuerat vel Anchises vel Aeneae desperantis intentio. arma plenius suscipere potuit nec limen exire inpediti sunt coniugis conplexibus pedes quibus properabat ad bellum, faciebat hoc persona mulieris domesticae, inbellis, faciebat uxoris, quae matrimonii nexibus revocabat exeuntem: offerebat parvulum filium, per quem factum est ut omnis Aeneae difficilis et dura mentis atque constricta

---

1 *scuto umerum meum* ed. 4 *armaremur* LR corr. r ed. 7 *limite* LR (supra *limine*). | *tenuit* LR *me t.* ed. 14 *decidens* LR ed. *rogabat* additum vult in marg. r′ *deiecit se* nos. 15 *retinebant* R corr. r. 19 *conplexaret innuit* L corr. in ras. R. 20—21 *frustra viae* LR *fr. via* r ed. (vel *inaniter facta* r′) *fr. una* H *fr. in via esse* nos. 22 *Anchises* LR ed. *Anchisis* ut 1, 34? | *desperantes* LR corr. r ed. 28 *haneae dificilis* L *hanc aedificilis* R *haec diff.* r *Aeneae diff.* ed. | *dura* LR *durae* r. | *constructa* R.

obstinatio superetur. post haec quae secuta sit vox debemus inserere, fuit cara, utilis, necessaria atque honesta et ad persuadendum vehementissime accommodata. *si* 675
*periturus abis, et nos rape in omnia tecum, sin aliquam expertus sumptis spem ponis in armis, hanc primum tutare domum. cui parvus Iulus, cui pater et coniunx quondam tua dicta relinquor?* considera, ait, quo loco, quo sis nos tempore relicturus, cui omnis inbellis, nisi munitos dimiseris, traditurus. cum dicit cui, hostem procul dubio significat. facit autem ordinationem personarum admirabilem: relinques, inquit, filium parvum, relinques debilem patrem, relinques uxorem, se tertio loco hoc est novissimo posuit; aut enim post filium et patrem amari uxorem putavit aut verecundiae causa noluit se praeponere patri vel filio aut in ordinatione quod aestimaverat potius in adfectu apud virum debuit ultimum constituere, ne personarum sequentium vinceretur adfectu. tractabatur enim ne in captivitatem venirent, in qua peior est feminarum vel maxime in causa coniugii. denique hoc dixit: et coniunx quondam tua dicta relinquor? abhinc uxor tua non ero, si coeptis tuis perseveranter institeris. si periturus abis, et nos rape in omnia tecum, sin aliquam expertus sumptis spem ponis in armis, hanc primum tutare domum. cui parvus Iulus, cui pater et coniunx quondam tua dicta relinquor? si taedio infelicium rerum marte disponis occumbere, simul tecum pergamus universi, unus exitus premat quos idem devinxit adfectus, sit felix interitus noster, ut, cum omnis absumpserit letum, non extet qui alterum gemat, non remaneat superstes quispiam

---

1 *superaretur* ed. | *consecuta sit* LR *quae c. s.* r *quae secuta s.* nos inepte mut. ed. 4 *abisset* pro *abis et* L. 6 *et iunx* LR corr. r. 7 *quos his* L *quo sis* in ras. R. 8 *omnes* LR *quum omnes nos* ed. | *nisi munitos* om. ed. 11 *relinquens inqu.* R corr. r. 15 *in* om. ed. | *existimaverat* ed. 17 *affectum* L *-tu* cum ras. R. 18 *peior est* L *peiorem* R (scil. captivitas) *p. e. condicio* ed. 20 *cui* L ed. *diu* R *dicta* corr. ipse vel r. 22 *abhis* LR. 25 *marite* LR *morti* ed. *marte* H nos.

nostrum ad plura supplicia, aerumnarum remedium est mortis occasio. si pars ista conplacuit, probo sententiam tuam, si tu quoque conprobes meam. at si aliquid prosperi speras, si felicioris reditus fiduciam geris et haec quae tuis umeris arma portantur quiddam boni tuis nisibus spondent, providendum est primum ut in tutum redigas tuos, ut, cum remeare coeperis domum, occurrant laeto pignera tua: sapientis est mala praevenire consilio, ne exoriatur aliud quod post victoriam plangas. quod autem duo proposuit, unum vult fieri, non alterum de duobus, scilicet ut remaneret cum omnibus quam dimissis ad praedam inprovidus exiret ad bellum.

*Talia vociferans gemitu tectum omne replebat:* non tantum vocibus dolores suos verum etiam gemitibus testa-
680 batur. *cum subito dictuque oritur mirabile monstrum:* talis est locus iste qualis est (1, 102) „talia iactanti stridens aquilone procella velum adversa ferit fluctumque ad sidera tollit", item (1, 494) „haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur, dum stupet obtutuque haeret defixus in uno, regina ad templum, forma pulcherrima Dido incessit magna iuvenum stipante caterva", item (3, 344) „talia fundebat lacrimans longosque ciebat in cassum fletus, cum sese a moenibus heros Priamides multis Helenus comitantibus adfert". hanc dictionis artem docente Vergilio nosse et imitari debemus. incerta enim et insperata loquentis interveniunt, non expectant verborum finem, sed media et inperfecta conloquia vel actus rumpunt. dum igitur gemit Creusa, dum clamat, dum me, inquit,

---

3 *etsi* superscripta *u* L *ut sit* R *at si* r. 3—4 *prospe speras* LR *prosperum sp.* r ed. 5 *quidam* LR corr. r ed. 6 *redicas* LR *reducas* r *redigas* ed. 7 *occurran* LR corr. r ed. | *leto* L *laeto* R *laeta* r *eo* ed. 8 *nec* LR *ne* r ed. 10 *duabus* LR corr. ed. 15 *sobito* L *sopito* R *subitum* r ed. *subito* nos. 17 *fluctumque* LR *fluctusque* ed. (ut in I). 21 *iuvenum in* LR at in I sine *in*. 22 *lacrimas* LR *-mans* r. | *eiecebat* R *ciebat* r. 23 *esse* LR *sese* r. 24 *adfert* LR (ut in III) *offert* ed. 26 *inveniunt* LR ed. *interveniunt* nos cf. 4, 4. 27 *vel* om. ed.

retinet, ecce exoriens subitum et mirabile monstrum gemitus
eius et clamores abrupit. *namque manus inter maestorum-
que ora parentum ecce levis summo de vertice visus Iuli
fundere lumen apex tactuque innoxia mollis lambere flamma
comas et circum tempora pasci:* vere ait mirabile monstrum;
fiebant enim multa contra naturam rerum, ut humano de
capite apice ipso incendii procederet lumen nec tamen
puerilis comas perindeque mollis ac teneras tempora quo-
que ipsa percurrens exureret aut saltem leviter laederet,
pasci quoque illud incendium viribus suis, non nutriri
detrimentis alienis. *nos pavidi trepidare metu crinemque* 685
*flagrantem excutere et sanctos restinguere fontibus ignis:*
nos inquit, hoc est parentes, supra enim dixit „namque
manus inter maestorumque ora parentum ecce levis summo
de vertice visus Iuli fundere lumen apex“. nos ergo pa-
rentes, quibus in causa filiorum etiam levia et secura
suspecta sunt, exagitabamus a crinibus flammas et sanctos
ignis contrario undarum elemento restinguere, humano
scilicet errore ducti quod divinum fuerat prope sacrilegis
manibus adpetentes. *at pater Anchises oculos ad sidera
laetus extulit et caelo palmas cum voce tetendit:* interea,
inquit, pater meus, penes quem secretorum caelestium
plena scientia fuit, nobis insciis omniumque ignaris et
trepidis, solus in laetitiam repente mutatus est tendensque
ad sidera oculos ac manus locutus est haec: *Iuppiter
omnipotens, precibus si flecteris ullis, aspice nos hoc tan-* 690
*tum et, si pietate meremur, da deinde auxilium, pater,
atque haec omina firma.* usque adeo bonum visum est
patri meo quod repente monstratum est, ut precibus Iovi
effusis confirmationem peteret facti.

4 *molli* LR, sed *mollis* explicatur. 9 *exuriret* LR corr. r. | *salutem* LR *saltem* ed. 11 *crimenque* LR corr. r. 17 *exagitabamus* LR *excutiebamus* r′. | *flammis* LR corr. r. 18 *signis* LR corr. r. | *restinguere* LR *-guebamus* r *nitebamur* add. ed. nescio an recte. 21 *tendit* LR corr. r. 22 *secretorum* LR *sacrorum* ed. cf. 1, 480. 23 *omniumque* LR *que* om. ed. 26 *precibus* om. LR add. r ed. 28 *omnia* LR corr. r.

*Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore intonuit*
694 *laevum et de caelo lapsa per umbras stella facem ducens multa cum luce cucurrit:* tantum, inquit, patris mei iuxta deorum cultum meritum fuit, ut cum ipso deprecationis fine esset auditus; nam et intonuit laevum et stella de caeli partibus lapsa ostendit futuram laetitiam rerum et rogantis preces auditas. quod autem dixit laevum, debet hoc loco prosperum intellegi; nam eius in hac causa haec est ratio: laeva in aliis contraria significantur, ut ipse Vergilius alio loco (8, 302) posuit: „et nos“, ait, „et tua dexter adi pede sacra secundo“. si enim dexter pes bonus est, procul dubio sinister malus accipiendus est. in sacris autem signis idcirco prospera accipiuntur quae sunt laeva, quia sacrificantis vel precantis latus laevum dexterum est eius qui postulata largitur. *hic vero victus genitor se tollit*
700 *ad auras adfaturque deos et sanctum sidus adorat:* pater meus, qui neque fletibus nostris dudum nec precibus flexus est, his visis adsensus et victus est et gratias egit superis et reiecta priore sententia quod nobiscum ire vellet ultro testatus est dicens *iam iam nulla mora est, sequor et qua ducitis adsum, dii patrii:* primum dixit sequor et sic qua ducitis adsum, cum primum sit ducere, secundum sequi. sed ordinato sensu corrigitur, ut sit qua me ducitis sequor, dii patrii. *servate domum, servate nepotem, vestrum hoc augurium vestroque in numine Troia est:* a vobis hoc augurium natum est, vestrum est tueri quod agimus. *cedo equidem nec, nate, tibi comes ire recuso:* probavi, inquit, fugam tuam, fili, deorum voluntate descendere, cedo potioribus et ibo quo volueris pergere, perseverabo comes
705 tuus nec usquam a tua societate disiungar. *dixerat ille,*

3 *fratris* LR corr. L II man. r. 4 *ipso* L *ipsa* R ed. 4—5 *depraecationis inesset* LR *deprecatione i.* edF *deprecationis fine esset* nos cf. 3, 96. 8 *loco* om. ed. 9 *significatur* LR *-antur* nos (cf. *accipiuntur* infra). | *ut ipse* — 12 *accipiendus est* om. ed. 13 *signis* LR ed. *et signis*? (propter *sacrificantis vel precantis*). 16 *ad aras* R corr. r. 21 *et si* LR *si* del. r *sic* (= deinde ut saepe) nos. 23 *me ducitis* L *educ.* R r = L. 24 *servate domum* om. ed. 28 *deorum* L *de deorsum* R *de deor.* r.

*et iam per moenia clarior ignis auditur propiusque aestus incendia volvunt:* haec locutus est pater meus, sed in apertissimum discrimen venisset, si existeret filius ulterior mora; nam crepitantium flammarum vicini sonitus perveniebant ad auris nostras et venire incendia aestus gravissimi nuntiabant. *ergo age, care pater, cervici inponere nostrae, ipse subibo umeris nec me labor iste gravabit:* ego cum viderem propinqua incendia et patrem vix adsensum, ne quo casu mutaret repente sententiam, arripui optatum tempus, pater, inquam, non tibi desunt meae cervicis obsequia, iam inponere umeris meis, pondus tuum deliciae meae sunt, faciet pietas leve quod putas esse gravissimum, sarcinam tuam libenter tolerabit adfectus. *unum et commune periclum, una salus ambobus erit:* aut 710
utrisque proveniet salus aut utrosque finis inveniet. *mihi solus Iulus sit comes et longe servet vestigia coniunx:* omnibus quae obiectari possent ultro respondit. potuit enim dicere Anchises quomodo fugiam et senecta inpeditus et corporis causa? huic recte respondit ego te umeris meis feram. potuit dici ne te gravet onus meum: ait onere tui corporis non gravabor. potuit dici quid facies filio parvulo? quid facies uxori? iuvabo, ait, filium meum comitatu meo et auxilio dexterae meae, uxor gressus meos vestigiaque sectabitur. quod ait solus Iulus sit comes et longe servet vestigia coniunx, consilii fuit, ut tutior fieret fuga; si enim plurimi congregarentur, non facile latere potuissent. verum quia et suis consulere debuit, dat mandata, ut discreti abeant sibique occurrant ac ne forte errore ducti aliorsum tenderent gressum, hos evidentioribus praeceptis instruxit, *vos,* inquit, *famuli, quae dicam*

3 *filius* L *filios* R *filio* r *filii* ed. 14 *quo res cunque cadant* lemmati praefixit ed., deest in LR neque explicatur. | *periculum* LR. 16 *solus* LR edF *parvus* Verg. libri et edI, sed *solus* interpretatione firmatur. 19 *causa* LR *casu* r′. 20 *ne* om. ed. | *gravabit* ed. 28 *ut discreti habeant* LR — *abeant* r *ceteris ut alio fugam arripiant* ed. | *accurrant* ed. 29 *aliorum* LR *aliorsum* r *ad aliorum* ed.

*animis advertite vestris: est urbe egressis tumulus templumque vetustum desertae Cereris iuxtaque antiqua cupressus* 715 *religione patrum multos servata per annos, hanc ex diverso sedem veniemus in unam.* commendat mandata sua; natura enim servi mali sunt et neglegentes nec facile his obtemperant quae iubentur. considerans igitur tempus et causam ait quae dico animis advertite hoc est intentis animis audite quae sunt necessario facienda. posteaquam hoc dicto fecit attentos, illud quod fieri oportebat breviter intimat: est urbe egressis tumulus templumque vetustum desertae Cereris. sollicita et cauta mandata traditurus et locum dicit et loci nomen ostendit et quae eius dignitas fuerit quaeve in praesenti fortuna, arboris quoque signum et genus et antiquitatem evidentissime conprendit, prorsus ut nihil dubii, nihil remaneret incerti. ubi insinuavit haec, dicit etiam causam propter quam mandata ipsa praecesserant: hanc ex diverso sedem, hoc est ex diversis locis vel itineribus, veniemus in unam. *tu, genitor, cape sacra manu patriosque penatis:* dicit causam propter quam deberet Anchises id facere: *me bello e tanto digressum et caede recenti attrectare nefas, donec me flumine vivo* 720 *abluero.* docet homines poeta quomodo se purgent, si caede hominis aut alio genere fuerint forte polluti, simul etiam excusat Aenean, ne patrem suum superfluis videretur onerare, quem senem constabat et debilem, licet ipse esset omnia suis umeris portaturus.

*Haec fatus latos umeros subiectaque colla veste super fulvique insternor pelle leonis:* et ad laudem fortudinis suae hoc Aeneas posuit et ad meritum patris. onus, inquit, patrium laturus auxi vestibus et leonis pelle umeros

---

2 *ceteris* R *cereris* r. | *copraessus* L. 4 *venimus* R *veniemus* r. | *unum* LR *unam* ed. 9 *attentus* LR *-tos* r. 11 *ceteris* LR corr. ut supra r. | *sollicite et caute* r. 13 *arbores* LR corr. r. 18 *unum* LR, sed *unam* corr. R ipse ut videtur, quare et in lemmate *unam* scripsi. 21 *et caede* LR *et* om. ed. 24 *videtur* R corr. r. 27 *factus* LR corr. r. | *superfluique* LR corr. R ipse. 30 *auxi* om. ed.

meos stravi. debuit enim cum commodo suo ferri, ne ingratum fieret quod pleno reddebatur obsequio. *succedoque oneri:* stravi, inquit, colla et umeros meos et oneri successi. *dextrae se parvus Iulus inplicuit sequiturque patrem non passibus aequis:* dixit factum, dixit et causam. tenebat mihi, inquit, manum filius meus sequens me et, cum deberet lateri meo inhaerere, semper posterior fuit; non enim poterant patris fugientis gressus pueriles aequare: et in hoc laborem suum voluit demonstrare, ut unum ferret, alterum traheret. deinde personam coniungit uxoris: *pone,* ait, *subit coniunx.* uxor sequebatur omnis. *ferimur per opaca locorum,* per loca scilicet diversis arboribus occupata. *et me, quem dudum non ulla iniecta movebant tela neque adversi glomerati ex agmine Grai, nunc omnes terrent aurae, sonus excitat omnis suspensum et pariter comitique onerique timentem:* non, inquit, quo ipsas metuerem tenebras, sollicitus fui, sed ne de tenebris inprovisus hostis emergeret. cum solus, inquit, essem et circumfusus hostis tegeret latera mea, nullo metu tangebar, sed cum de adfectibus meis liberandis cogitarem resque ipsa esset in manibus, non me hostilis adgressio, sed causa terrebat. cum enim turpe esset metuere viro forti, excusationem necessarii timoris adiunxit, ut magis laudari debuerit, quia timuit, quam reprehendi. comitique onerique timentem: in singulari numero non unum comitem intellegendum est, sed utrumque, ut oneris significatio pertineat ad patrem, comitis et ad uxorem. *iamque propinquabam portis omnemque videbar evasisse viam, subito cum creber ad auris visus adesse pedum sonitus:* suspensi

---

8 *aequari* LR ed. *aequare* H ed. post. (*puerilis* r). 13 *occupata* LR vel *opacata* r′ in marg. | *nonnulla* LR corr. r. 14 *adversi* LR ed. *adverso* Verg. libri omnes et r′. 17 *pollicitus* LR corr. r. 20 *cum* LR ed. *cum de* nos. | *cogitarem* LR *operam darem* ed. 24 *feriendi* L *ferendi* R *reprehendi* r (*vituperari* adnot. r′) *si feriendi desiderio traheretur* ed. 27 *ad* LR ed. *et ad* r (vel R ipse) nos. 29 *suspensi* — 246, 4 *sonitus* om. ed.

hominis et cauti animum expressit. ubi enim animus magno fuerit terrore confusus, plerumque vera et evidentia non sentit et falsa pro veris admittit. visus est, inquit, adesse pedum sonitus: non dixit audivi strepitum venientis alicuius; †hoc enim, licet falso, videtur occurrere quod quispiam timet. iamque propinquabam portis: ipse exponit quid sit iamque propinquabam portis, hoc est enim omnemque videbar evasisse viam, subito cum creber ad auris visus adesse pedum sonitus. *genitorque per umbram prospiciens, nate, exclamat, fuge, nate, propinquant, ardentis clipeos atque aera micantia cerno:* a contrario dixit senem aliquid vidisse per tenebras, cum etiam per diem tardos prorsus aut prope nullos habere possit obtutus; sed dixit speciem quae magis per tenebras facillime videatur: ardentis clipeos atque aera micantia cerno. et Aenean pavidum et Anchisen metuentem expressit. quod autem ait propinquant, illud voluit ostendere quod revera certissimum est; omnis enim flamma per tenebras propior videtur quam est, accessit et metus et fecit angustioris proximitatis aestimationem. certe quam pulchre ipsum fecit longius videre quod consulto vitari debuisset; fuit enim in summo liberumque ei fuit non vadentem pedibus suis
735 quo vellet oculos torquere et flectere. *hic mihi nescio quod trepido male numen amicum confusam eripuit mentem:* male amicum numen inimicum multi accipiunt. nos putamus male amicum esse quod uno tempore adversa prosperis miscet, ut in praesenti factum est: male amicum extitit iuxta Aenean, quia facilitatem praebuit exeundi et invidit uxorem. amicum igitur dici non potuit, quia non servavit universos, inimicum dici non potuit, quia praestitit beneficium. dictum ergo proprie male amicum, utpote

---

1 *capti* R *cauti* r = L. 3 *unus* L R *visus* r. 5 *hoc enim licet falso* L R corruptum puto, fortasse *hoc enim diceret falso, dicit.* 19 *angustiores* L R *-ris* nos *-rem* r ed. 20 *quam* L R *quae* ed. 22 *vadentem* L R ed. *vadenti?* 25 *multi* L R *numen* ed. | *nos* R *id* L, sed secunda manu evanida prima, item ed. 29 *invidit* L R *non vidit* ed. 31 *utpute* L R *utputa* ed.

quod in altero malum et bonum in altero conprobatum est. confusam eripuit mentem: culpam perditae uxoris per neglegentiam suam iustis allegationibus purgare contendit, usus moralitate plenissima. quando enim vitio nostro actus nostri adverso exitu concidunt, culpatur numen, quo nos dicimus regi. nescio quod, inquit, male amicum numen mentem meam multis cogitationibus confusam praeripuit. ecce addit aliam excusationem; ipsum enim deum dicit alienationem mentis idcirco attulisse, quod hanc ipsam iuvisset confusio consiliorum omnium, quae veniebat ex diversis et innumeris causis. purgavit ergo etiam hoc genere perditae uxoris culpam ab omni se reprehensione dissolvens, qua premi potuit, utpote qui nescierit quando vel quo genere perdidisset uxorem. *namque avia cursu dum sequor et nota excedo regione viarum:* dum, inquit, satis propero oppressionem hostilem metuens, dum avia magis teneo, dum formido loca qua gradiendi usus hominibus fuit, dum iter sector quod fugientibus congruit, *heu misero coniunx fatone erepta Creusa substitit, erravitne via seu lassa resedit incertum.* ecce iterum neglegentiam suam 740
fatis adscribit, dicit se incertum nec iudicare potuisse utrum uxor fatis invidentibus rapta exerrasset (dixerat enim sine via ambulabamus), ne lassa forsitan resedisset, quia dixit currebam, cum Anchises clamaret fuge, nate. omnia autem culpae eius fuerunt, quia non postremus ibat, sed primus. potuit enim aut sedentem opperiri, aut lassam iuvare. *nec post oculis est reddita nostris:* non dixit non illam vidi post, sed cum eam respicerem, non est reddita oculis meis. *nec prius amissam respexi animum-*

---

1 *alterum malum* LR corr. edF. 11 *ergo* om. ed. 14 *genere* LR ed. *fraudis* in marg. add. r. 16 *prospero* LR *propero* r ed. 17 *longa* LR *loca* r *longam viam* ed. 18 *congruitur* R corr. r. 19 *factone* LR corr. r. 21 *dicit se* LR *d. fuisse* ed. | *ne* LR *nec* r ed. 22 *uxore* LR *uxor* r ed. | *esse errasset* LR *esset an e.* r ed. *exerrasset* nos. 23 *ambulamus* ed. | *qui* LR *quia* ed. 24 *fugiente* L *-ntem* R *fuge nate* nos. *fugite* ed. 28 *ea* LR *eam* ed. | *respicere vellem* ed.

*que reflexi, quam tumulum antiquae Cereris sedemque sacratam venimus:* in tali causa quid faciendum sit Vergilius docet: pars tertia perierat, evaserant duae: numquidnam in medio itinere, in periculo evidenti, in tenebris, sine ope cuiusquam patrem senem ac debilem et parvum filium relinquere debuit et perditam quaerere? sub incerta spe non fecit, sed uxoris inquisitione dilata potius quam reiecta primo duobus consuluit: venimus, inquit, ad destinatum locum. *hic demum collectis omnibus una defuit et comites natumque virumque fefellit:* vidi, inquit, quod animum meum insania durissimi doloris accenderet, 745 solam scilicet defuisse coniugem meam. *quem non incusavi amens hominumque deorumque? [aut quid in eversa vidi crudelius urbe?]* dolore, inquit, nimio insanire coepi, in tantum ut perdito statu mentis omnis homines incusarem et universos inreverentibus verbis adpeterem deos calamitatis illius reos detinens cunctos qui ne unum quidem potui reperire tractando. tantus apud me uxoris perditae gerebatur adfectus, ut omnia illius temporis adversa superaverit, tanta fui possessus amentia, ut illis quoque maledicerem quos veneror semper et conpetenti devotione suspicio. ecce et confessus est et purgavit crimen; habet enim veniam quicquid admittitur per furorem.

*Ascanium Anchisenque patrem Teucrosque penatis commendo sociis et curva valle recondo,* ut loci secreto et sociorum defensione tuti esse potuissent, scilicet multitudinis fiducia. *ipse urbem repeto et cingor fulgentibus armis:* ecce adfectus puri et honesti matrimonii, en perditae uxoris dolor. decrevi, inquit, ob inquisitionem dilectae coniugis duo contraria sequi: ut redirem ad urbem, ex qua difficulter evaseram, subire iterum casus adhuc saevientis fortunae et periculorum omnium sortem novatis laboribus

3 *dicet* LR *docet* r *dicit* ed. | *numquid* ed. 4 *sine* LR *et s.* ed. 13 *aut* — 14 *urbe* deest in LR, sed explicatur. 19 *gemebatur* LR *gerebatur* ed. post. 25 *locis* R corr. r. 26 *multitudini* LR *-nis* r. 28 *en* LR *et* ed. 31 *subirem* LR *subire* nos (propter *experiri*).

experiri: *stat casus renovare omnis omnemque reverti per* 750 *Troiam et rursus caput obiectare periclis:* in illo interea furore non considerabam quid illo in reditu saluti meae posset accidere, sed haec transegeram mecum utpote amens ad omnis eventus confirmata sententia. cingor fulgentibus armis, secundi contrarii definitio: parum, inquit, fuit remeare ad patriam, sumpsi quoque arma fulgentia quae me in tenebris catervis hostium proderent potius quam tutum defensumque praestarent.

*Principio muros obscuraque limina portae, qua gressum extuleram, repeto et vestigia retro observata sequor per noctem et lumine lustro:* propterea eadem via qua venerat fuit ei redeundum, quia suspicione et illa ducebatur, ne substitisset lassa aut certe resedisset. obscura limina portae hoc est in abdita parte constituta, sicuti in alio loco (453) dixit „limen erat caecaeque fores". et vestigia retro observata sequor per noctem et lumine lustro: vestigia quomodo per noctem secutus sit ipse exponit, in ipsis, inquit, tenebris noctis, quia fuit lumen ex flamma ardentis patriae, considerabam vestigia, ne transitus eius colligi potuisset. fuisse autem lumen ex flammis illa nocte et alio loco (312) posuit dicens „Sigea igni freta lata relucent"; radiata enim incendii lumine relucebant hoc est splendore suo accepto per flammas reddebant aliud lumen. *horror ubique animo, simul ipsa silentia terrent:* plus me, 755 inquit, terrebant silentia quam nox et solitudo. ecce animus timentis: supra dixit „nunc omnes terrent aurae, sonus excitat omnis suspensum", hic rursum dicit se etiam silentia timuisse. *inde domum, si forte pedem, si forte tulisset, me refero. inruerant Danai et tectum omne*

---

1 *experiri* LR *-rer* ed. (a *decrevi* pendet). 3 *considerā* LR *-ns* ed. 4 *possit accedere* LR *posset accidere* nos. | *sed* om. ed. | *utpute* LR *utputa* ed. (ut supra). 5 *ominis* LR *omnis* r. 9 *tuum* R *tutum* r. 10 *obscuraque* LR *obscuraeque* r. 13 *et illa* LR *ex i.* r *et* om. ed. 14 *obscurae* — 15 *constitutae* r. 24 *lucem* LR *lumen* r. 25 *animos* ed. 27 *non* LR *nunc* r om. ed. 28 *rursum dixit* LR *r. dicit* nos.

*tenebant. [ilicet ignis edax summa ad fastigia vento volvitur, exuperant flammae, furit aestus ad auras]:* a porta, inquit, perrexi ad domum, ne illo se forsitan contulisset, sed ingredi non potui. omnem enim hostis tenebat aut flamma: inferiora hostis, superiora vero tectorum saeva incendia
760 possederant. *procedo* hoc est progredior vel ulterius accedo, *et Priami sedes arcemque reviso,* ne illa ad domum patris sui aut ad munitum aliquem locum se contulisset. *et iam porticibus vacuis Iunonis asylo custodes lecti Phoenix et dirus Ulixes praedam servabant:* invenio servari iam praedam in porticibus vacuis hoc est a bello iam inmunibus. praedarum enim congestio ostendebat certamen quod fuerat esse confectum. quod posuit autem Iunonis asylo, sic accipere possumus, ut inimica Iuno laetaretur ante oculos suos esse proposita quae Graecorum victoriam testarentur. *huc undique Troia gaza,* hoc est Troianae divitiae, *incensis erepta adytis:* non dixit sublata de templis, sed de ipsis ardentibus adytis hoc est penetralibus rapta, unde apparebat ipsa quoque penetralia incendio cum ipsis diis esse consumpta. verum quia generalitas non tantam indignitatem poterat demonstrare, fecit per enumerationem specierum ut sacrilegiis quaesita evidentius aperiret. *mensaeque deorum,* quae a divinis honoribus ad sceleratorum
765 iura transierant. *crateresque auro solidi,* quos plena colendi devotio fecerat et copiosa substantia, non caelatura currente materiae, sed in solidum fusa. *captivaque vestis*

---

1 *replerant* LR, sed in interpr. *tenebat*, quare *tenebant* scripsi cum ed. et optimis Verg. libris. | *ilicet* — 2 *auras* deest in LR, sed explicatur. 5 *vento* LR *vero* r ed. 6 *possiderant* LR *possidebant* ed. | *vel* LR *et* ed. 9 *custodis* LR. 13 *autem* transpos. ed. 14 *possumus* LR *potuit* H ed. 17 *incensis* — *adytis* post *gaza* interpol. ed.: eadem verba post *divitiae* pro lemmate habenda sunt, quamquam non ita scripta in LR. | *erepta* LR *-tae* ed. 18 *rapta* LR *-tae* ed. 20 *tantum* ed. 21 *fuit* LR *fit* r ed. *fecit* nos. 24 *transierat* LR corr. r ed. | *atheresque* LR corr. r. 25 *et* LR ed. *ex* malim. 25—26 *caelatur accurrente materia* H ed.

*congeritur:* singulari numero non omnibus, sed singulis absolute respondit, ut sit huc congeritur quicquid in diversis speciebus fuit. potest et sic, ut congeritur vesti tantummodo videatur adpositum. *[pueri et pavidae longo ordine matres] stant circum:* parum fuit accessisse usque ad ipsum locum ubi praeda captivique tenebantur, ubi custodiendorum omnium causa praefuerant Phoenix et Ulixes dirus. dicendo dirus Ulixes talem ostendit etiam Phoenicem fuisse; ad unum quippe officium aequales moribus fuerunt deligendi. *ausus quin etiam voces iactare per umbram:* licet praesentibus execrandis custodibus tamen, inquit, accessi, in tantum ut me constet et praedam vidisse congestam et rapta considerasse per species et scisse custodes. ducebat enim amentia perditae coniugis eo ubi venire posset in manus eorum qui misereri non nossent. hic prope nullum esset Aeneae meritum, si alia non addidisset; per noctem quippe latere potuit et occultatus tenebris non videri. quin etiam, inquit, ausus sum voces iactare per umbram. quem subtrahebant oculis hostium tenebrae prodere poterat sonitus vocis, cum ad ipsorum pervenisset auditus. *inplevi clamore vias:* augmentum dedit ipsi facto, dum dicit inplevi clamore vias. uno, inquit, in loco consistens multas clamoribus meis vias inplevi, hoc est tam claras voces in doloribus meis emisi, ut etiam ad alias vias hoc est et ad alios vicos vox mea sic pervenisset, quasi in omnibus praesens clamarem. alia potioris doloris demonstratio, qua purum et plenum mariti demonstravit adfectum: *maestusque Creusam nequicquam* 770

---

1 *congeretur* LR. | *pueri — circum* lemmati add. ed., infra inserere malui ante *stant.* | *sed singulis* LR ed.; an *singulis sed?* 3 *potest* — 4 *adpositum* om. ed. | *ei sic* R *et s.* r = L. | *congeris turuisti* LR *congeritur vesti* r. 4 *videaris* LR *videatur* r. 5 *parum* LR *non p.* edF: Don. *circum* ad Aenean refert, ut sit: non accessi tantum, sed in mediis fui; quod quia non intellexit, *non* interpolavit F. 7 *praefuerant* LR *fuerant* ed. 13 *raptam* ed. | *per* LR *et p.* ed. | *scisse* LR *et sc.* r *novisse* ed. 15 *posse* LR. 21 *auditum* ed. 23 *clamores* LR corr. ed. 24 *iam* LR *tam* r ed. 25 *sic* LR *si* ed.

*ingeminans iterumque iterumque vocavi.* ne illam, inquit, forte in longinquis partibus positam generalis exclamatio mariti falleret et ad auris eius quamvis clara vox veniens putaretur aliena, nomine eam proprio non timui vocare Creusam frequentius repetens, quod ipsum quoque plurimis vocibus et claris admodum ac saepius et multis in locis repetitis frustra est factum; nihil enim valuit provenire quod doloris mei flammas extingueret.

*Quaerenti et tectis urbis sine fine furenti infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusae visa mihi ante oculos et nota maior imago:* ordinatur sensus sic: infelix simulacrum et umbra Creusae et nota maior imago visa mihi ante oculos, ut visa neutro plurali dixerit et non imago tantum sit visa, sed omnia, scilicet quia fuit simulacrum generis neutri. et inferiore in parte similiter posuit dicens „illic res laetae regnumque et regia coniunx parta tibi“: quia feminini generis duas species dixit et neutrum in medio, idcirco omnibus neutro plurali respondit. et multis aliis locis tali usus est arte. ille, inquit, fuit ad extremum mei laboris effectus, infelix ut pro incolumi ac vera miseranda effigies eius ac deformis occurreret. deformis oblata est oculis meis, auctura potius quam remotura lacrimas meas. occurrit deformis, occurrit quam mecum revocare non possem, hoc solum tamen inquirenti praestitit illa veniendo, ut saltem causas perditae didicissem; occurrit enim pia, occurrit amplior forma quam cum

---

1 *iterumque* semel LR *iterum iterumque* r′. 5 *frequentius* LR *saepius* ed. 8 *flammis* LR corr. r ed. 13 *et non* LR *ut non* r. 14 *tantum* deest in LR add. ed. | *tibi quae fuit* LR *sibi* corr. *qu. f.* exp. r *quae ibi erant* ed. *scilicet quia fuit* nos: potest in arch. *scl* fuisse, quod 1, 679 occurrit in L. 16 *laeta* LR corr. r. | *tibi* in *ibi* abras. R. 17 *quae* L *q;* = que per ras. R *quia* nos. 20 *ac vera* om. ed. 21 *occurret* R. 21—22 *deformis oblae* L, sed *deformis* exp. ipse *def. oblata est* R *def.* del. r om. ed. nescio an recte. 26 *occurrit onimpia* LR *occ. enim ia* r om. H ed. *enim pia* O, quam emendationem deficiente meliore recepi dubitans, quoniam *pia*, etsi latine dici de umbra potest, ad cetera quibuscum hic coniungitur parum convenit.

esset in luce, occurrit talis quae mariti oculis placere non posset, occurrit quae animum meum ingenti horrore confunderet. denique totus corporis mei vigor, repentino et insperato percussus aspectu, stupore succedente mutatus est: *[obstipui steteruntque comae et vox faucibus haesit]*. obrigui omnibus membris, vox dudum clara, cum quaererem, haesit atque consumpta est. tanta vis illius mali fuit, ut comae quoque natura molles, prolixitate flexibiles et semper in ima deiectae consisterent. illa tamen amissionis suae intellegens causa esse silentium et stuporem meum locuta est ipsa. idcirco oportet [post] steteruntque comae et vox faucibus haesit *tunc sic adfari et curas his demere dictis. quid,* inquit, *tantum insano iuvat indulgere dolori, o dulcis coniunx? non haec sine numine divum eveniunt nec te hinc comitem asportare Creusam fas aut ille sinit superi regnator Olympi.* locus iste necessario missus est, primum ut probaret Aeneas neque se illam neglegentia perdidisse aut illam suo arbitrio maritum aut filium perdidisse Creusamque ipsam induceret consolantem. illo quippe tempore atque illo loco quis emergere alius posset, nisi ipsa uxor amissionis suae redderet causas et dolentem maritum ab ipsis maeroribus consolantis officio sublevaret? ipsa igitur suscepit omnia, fabulam scilicet fortunae suae, solamen coniugis, officium vatis. quid, inquit, prodest, marite dulcis, quod tantum doloris tui

---

1 *quā* LR *quae* r nos *quod* ed. 5 lemma *obstipui — haesit* cuius pars inferius repetitur inserui. 7 *haesetata* LR *haesit atque* r *haeserat et* ed. 9 *et semper* LR *et* om. ed. 10 *causam* LR ed. absurde *causa* nos. 11 *oportet steteruntque* LR *quia ait* interpos. r *addi obstupui* ed. utrumque ineptum: *oportet* ad versum 775 spectare patet, quem „in plerisque non fuisse" Servius Danielis tradit, quamobrem *post* inserui. 12 *comae* om. LR add. r ed. 13 *inquit* om. ed. | *iuvat insano iuvat* LR (omisso *tantum*) prius *iuvat* exp. R *tantum* substitui cum ed. 14 *dolori* LR *labori* ed. 15 *comitem hinc* LR conversionem feci quam Servio auctore ed. ac Ribbeckius acceperunt. | *aut* LR *haud* ed. 19 *filio* LR *filium* r ed. 20 *emergere* LR *consolari* ed. 20—21 *alius posset* LR *afflictum Aeneam* interpol. ed. 24 *officium* LR *et o.* ed.

furori consentis? quid tibi doloris eiusdem labor inefficax quaesiturus est? quod vides deorum voluntate perfectum est. debes aequus ferre quod maior potestas inflixit, tolerare quin etiam quod non potest superari: mala omnia ferendo potius quam resistendo vincuntur. coniugio nostro finem attulit profectio tua, quippe id superis placuit, ut hic relinqueres coniugem et abiturus in alia non tecum portares uxorem. *longa tibi exilia et vastum maris aequor arandum et terram Hesperiam venies, ubi Lydius arva inter opima virum leni fluit agmine Thybris:* ad consolationem multiplicem pertinet quod canit futura et ventura pronuntiat; hoc enim genere iam probat ad deorum se obsequia esse translatam. nosse quippe divina non posset, nisi illam dii in adfectum proprium recepissent. quod vero instruit maritum et gnarum omnium facit ac laeta omnia spondet, evidentis consolationis augmentum est. quod ait longa tibi exilia et vastum maris aequor arandum et terram Hesperiam venies, ubi Lydius arva inter opima virum leni fluit agmine Thybris, dura prosperis miscet. erit tibi, inquit, perveniendi ad Italiam labor inmensus et pelagi prolixa transmissio, sed laboribus tuis laeta succedent, terra fertilis et Thybridis gratia. describit et flumen ipsum cum laude plenissima et quod non noverat, quasi nosset, adfirmat edocens nihil esse quod superos lateat vel eos qui cum superis commorentur. laus interea fluminis illa est, quod copiosus, quod lenis, quod in ipso aquarum redundanti tractu per agros ubertim fluens nihil laedat. *illic res laetae regnumque et regia coniunx parta tibi:* illic, inquit, amissa repetes et perdita

3 *aequus* LR *aequius* r *aequo animo* ed. (sed cf. Hor. c. III 29, 33). 4 *superare* r: *potes s.* voluisse videtur. 7 *aliam* L. 9 *et terram* (et infra) LR *ad t.* ed. 11 *canitura et ventura* LR *caritura ei v.* (vel *eo* in marg.) r′ *canit futura et v.* nos om. ed. 12 *praenuntiat* r ed. post. 15 *inseruit* LR ed. *instruit* R vel r ed. post. 16 *spondit* LR *promittit* ed. 24 *adfirmet* R. 25 *superhis* LR *superis* r *his* ed. 28 *reg* L om. cum spatio R *regnumque* ed. 29 *repetisset* LR *repetes et* r om. et *ac* subst. ed.

recuperabis, res laetas, imperium et coniugem regiam hoc est praestantem genere, cum autem dicit regiam, ostendit et divitem. interea ne incerta vel dubia, ne inparata promittere videretur, ait quae tibi promitto iam parata sunt, praesentia tua necessaria est, ut ad illa pervenias. hic et loquendi ratio discitur: res, ait, laetae regnumque et regia coniunx, posuit femininum plurale et neutrum singulare et rursum femininum adaeque singulare et neutro plurali respondit, ut sit: res laetae, regnum et regia coniunx parata tibi sunt. partum vel paratum accipiendum est vel partum tibi id est tibi adquisitum laboribus alienis. id autem quod Aenean vel maxime gemere sciebat novissime posuit, ut eum a dolore praesenti novae coniugis promissione transduceret, quod usque adeo artis plenissimum fuit, ut illic adnecteret personam suam dicens *lacrimas dilectae pelle Creusae.* hoc est dicere cum habeas destinatam matrimonio tuo, debes removere lacrimas quas me propter effundis. addit quoque augmentum consolationis a conparatione descendens: *non ego Myrmidonum* 785 *sedes Dolopumve superbas aspiciam.* ordinatur sensus sic: non ego Myrmidonum et Dolopum superbas sedes aspiciam. *aut Grais servitum matribus ibo Dardanis et divae Veneris nurus, sed me magna dèum genetrix his detinet oris:* nec te, inquit, frangat casus iste; in adversis enim quicquid acciderit quod saeviora depellat gratulandum est. tenet me mater deum, tenere potuerunt Myrmidonum et Dolopum matres: illa ad honorem retinet, illae potuerant tenere captivam. non feram fastus de victoriae suffragio venientis nec videam sedes hostium aeternum captae

---

1 *laeta* LR *laetae* r ed. *laetas* nos. 3 *ne inparata* LR *vel i.* ed. 8 *adaeque* LR om. ed. | *singularem* LR *m* exp. L ipse *-ri* r. 10 *parata* LR *parta* r ed. 15 *illic* LR *illico* ed. 18 *propter me* ed. 20 *suo* R *sic* r = L. 22 *graeis* L corr. II man. 23 *magna* om. R. | *detenit* L *-nuit* R corr. r. 26 *pater devom* R corr. r. 27 *potuerunt retinere* ed. 28 *terram fatus* L *terra factus* R *terret* vel *terreant fastus* addito quaere r *feram fastus* nos. | *de* — 29 *captae* LR temere mut. locum ed.

servitium pollicentis, cum ea futura sum ex qua omnes dii gratulantur se esse progenitos, quam venerantur omnes qui libenter potioribus deferunt. non cecidit fortuna mea nec debilitata succubuit: Dardanis et divae Veneris nurus deum matri deputari commerui. Dardanis et divae Veneris nurus praeferentis animo positum debemus accipere, Myrmidonum Dolopumve sedes [aspiciam] aut Grais matribus ibo servitura detrahentis animo dictum. Dardanis laus communicata cum omnibus Troianis, divae autem Veneris nurus quae fuit specialis ipsius. a persona et loco traxit Graecorum obtrectationem: a persona, liberata sum, inquit, infimorum hominum captivitate et extremo servitio; a loco, non ibo ad Graecorum sedes, sed ero in originalibus locis et cum deorum omnium matre. tenet me illa, quae omnis deos ratione numinis et potestatis antevenit. conparatio ista tangit, ut dictum est, mariti solacium, qui nec captivam uxorem repperit nec occisam, quin potius detentam voluntate eius qua nullus est potior. *iamque vale et nati serva communis amorem:* consolationem suam fili commendatione conclusit. potest videri ita dixisse: habes filium nostrum, eius amorem serva et amissionem meam levius feres et plurimum mihi detuleris. potest et sic: sciebat enim quid inter cetera praedixisset, futurum scilicet ut Aeneas habiturus esset coniugium novum, quaesiturus sibi uxorem, filio novercam: hoc igitur metuens mater novissime conlocavit, ut haereret altius paterno pectori quod cupiebat esse servatum. non autem novum suadebat adfectum, quoniam sciebat se loqui cum patre, qui amorem fili iam tenebat in sensibus, ideoque dixit serva amorem nati communis, quia poterat effici ut favore viventis et novae coniugis ductus eius praeponeret liberos filio ex coniuge suscepto. temperavit ergo ut diceret serva

---

4 *Dardanis* — 5 *commerui* om. ed. 7 *aspiciam* om. L R ed. 15 *nominis* L R ed. 16 *conparatio* — 18 *potior* om. ed. Lucii. 18 *nullus* L R *nulla* edF. 23 *sic* L R *sic intelligi* ed. | *quod* R. 24 *esse* R *esset* r. 28 *quoniam* L R *quia* ed. 29 *quia mortem* L R ed. *qui amorem* r. 32 *ex coniuge* L R *priori* interpos. ed.

nec dixit aperte ei suspicionem suam, ne secus sensisse videretur et recessuri animum laederet. *haec ubi dicta* 790
*dedit, lacrimantem et multa volentem dicere deseruit tenuisque recessit in auras:* ingratum, inpium, sceleratum fuisset, si Aeneas ab umbra uxoris silentio recessisset; debuit enim vel sua dicere vel ad ea respondere quae audierat. idcirco dixit dum lacrimas fundo, dum volo atque dispono proferre quae necessario fuerant dicenda, repente discessit ac volentem multa dicere deseruit. posset enim mecum esse diutius, si expectaret meum etiam ipsa responsum. bene dixit deseruit volentem loqui, non dixit ego illam dimisi. *ter conatus ibi collo dare bracchia circum, ter frustra conpressa manus:* proprie descripsit volentem amplecti quod corporale non fuerat saepe esse frustratum, manusque sibi occurrisse frequentius, cum non esset medium quod tenere potuisset. *effugit imago, par levibus ventis [volucrique simillima somno]:* fugit, inquit, ut ventus, recessit ut somnus. more Sallusti dixit conatus sum; ibi enim ponitur conatus ubi effectus sequi non potuit. *sic* 795
*demum socios consumpta nocte reviso:* quantum se dixit laborasse pro coniuge in tantis discursibus et vigiliis per totam noctem toleratis!

*Atque hic ingentem comitum adfluxisse novorum invenio admirans numerum, matresque virosque, collectam exilio pubem, miserabile vulgus. undique convenere animis opibus-*

---

1 *eius* L *ei* R. | *suspectionem* LR corr. r ed. 4 *inpium* LR *i. ac* ed. 8 *dicentia* LR *-nda* r ed. 13 *conpressa manus*: his verbis quia abrumpitur lemma, Don. *manus* contra metrum cum *conpressa* coniunxisse videtur (6, 700 non liquet). 15 *concurrisse* edF. 17 *volucrique — somno* deest in LR, sed explicatur. 18 *Salusti* LR (alibi *Sall.*) *vetusto* substituere vult r′ in marg. adnotato quaere, sed cf. de hac re 9, 398. 19 *ibi* R *ubi* r = L. 20 *perviso* LR *reviso* r. 24 *exilio* LR: nullo indicio probatur nostrum Aelii Donati errorem, quem Servius tradit et refutat, secutum esse, sed unum eundemque Donatum esse falso opinatus *ex Ilio* scripsit Fabricius cf. v. d. Hoeven p. 5. 25 *miserabilem* L. | *convenire* R corr r. | *opibus* R *que* add. r.

800 *que parati in quascumque velim pelago deducere terras:* cumque hoc fecissem, multos quos non dimiseram congestos inveni, volentis mecum ire quo vellem. adactos violentia superum non solum se dicit necessitatem abscedendi habuisse, sed plurimos. muniit illam partem, ne videretur solus dimisisse patriam, si id nullus alius fecisse videretur. *iamque iugis summae surgebat Lucifer Idae ducebatque diem:* nova descriptione usus est diei nascentis; nam ante ipsum exoritur Lucifer, hunc in superna tendentem sequitur lux, quae diem plenum producta confirmet. videtur ergo Lucifer non tam nuntius diei esse venientis, sed fidus certusque perductor. *Danaique obsessa tenebant limina portarum nec spes opis ulla dabatur:* posuit saluti suae suorumque contraria, unum lucis, quae retectura fuerat quod velaverant tenebrae, aliud quod tenebant hostes omnis egressus, quae res ostendebat victoriam esse confectam, nullum etiam defensioni locum superfuisse: hoc fuit tertium, quod nulla esset spes commodi alicuius. *cessi et sublato montis genitore petivi:* ex plano, inquit, inutili ad utilia montium superiora conscendi. plenum excusationis in ultimo posuit verbum cessi: constrictus, inquit, maiore violentia, probata mihi per Laocoontis exitium, per diligentiam matris quae mihi deos potius quam Graecos inimicos ostendit, per missum incendium ex fili mei vertice, per hortatum patris et religiosas voces uxoris et divina quae tradidit verba, cessi potioribus; neque enim debui ulterius niti qui totiens diis repugnantibus frustra certavi. plene respondit interrogationi Didonis quae dixit (1, 754) narra mihi „insidias

---

2 *non dimiseram* LR i. e. non reliqueram, cum ad quaerendam Creusam discederem: hunc Donati morem dimittere pro relinquendo ponentis non intellegentes *non* deleverunt H ed. 3 *quod vellem* LR *quo v.* r ed. | *adactus* LR ed. 11 *tam* LR *tantum* ed. 12 *fidus* LR *f. quoque* ed. 17 *defensione* LR *-ni* r ed. 19 *cessii* L *cessit* R corr. r. | *montis* LR *montem* r. 21 *posui* LR corr. r. 29 *insidiis* LR corr. r.

Danaum casusque tuorum". quod quia factum est, adgreditur alteram errores suos evidentissime relaturus. habet tamen etiam ipsa „casusque tuorum"; nam perdidit contagione socios, amisit et patrem.

---

3 *casusque tuorum* LR vel *casus suorum* r′ in marg. 4 *amisit et* LR *amisitque* H ed. — subscriptio integra *Tiberĩ Claudi* — — *incip̄ lib III felicit* in L *Tiberii Claudii* etc. sine *feliciter* R. pro *Vergilianarum* in R correctum *Vergiliane* (r?).

---

# AENEIDOS LIBER III.

Narraturus secundum Didonis propositionem etiam errores suos inde primum sumpsit exordium unde revera convenerat; nam laborum eius caput fuit abeundi de Troia necessitas. neque enim errare per diversa potuisset, nisi primum patriae suae finibus fuisset exclusus. in ipsius igitur profectionis seu navigationis coepto quot dolorum causis adflictus sit quantaque gemuerit, licet diffusa et magna, summa tamen brevitate constringit non omittens etiam tunc excusationem suam, qua vult esse firmatum non tam Graecis, sed diis adversantibus et ob nullam culpam perisse imperium Troiae. quapropter incipit sic: *postquam res Asiae Priamique evertere gentem inmeritam visum superis ceciditque superbum Ilium et omnis humo fumat Neptunia Troia, diversa exilia et desertas quaerere terras auguriis agimur divum classemque sub ipsa Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae incerti quo fata ferant, ubi sistere detur:* omnia, inquit, in unum adversa confluxerant, et quae transacta videbantur et quae portabat asperior futuri temporis spes, nec fuit quod consolaretur praeterita, quando futurorum quoque inmanitas saeviebat. ponit ergo praeterita quattuor et futura totidem paria vel deteriora constituens. praeterita sunt haec: postquam res Asiae, hoc est post interitum Iliensis imperii, Priamique evertere gentem inmeritam visum superis. mentionem facit gentis Priami, quasi sola perisset in Troia.

---

6 *quod* LR *quot* r ed. 10 *tam* LR *tantum* ed. | *nullam* LR *eius aut suorum* add. ed. 15 *agitur dum* LR *agimur divum* r.

quod idcirco intellegitur posuisse, quia vehementer angebatur perditae uxoris luctu quam constabat fuisse filiam Priami, quae, cum nihil tale de funere commeruisset, ab adfectibus eius matrimonioque disiuncta est. cum vero dicit visum superis, ostendit non hominum tale meritum fuisse vel regni, ut funditus perirent, sed intolerabilem deorum intervenisse pravitatem, ut innocentium spes, salus et fortuna conciderent. ceciditque superbum Ilium: ut non leve videretur cuius dolebat interitum, dixit superbum Ilium hoc est magnum. et omnis humo fumat Neptunia Troia: omnis, inquit, fumat; esset enim solacium in adversis, si aliquid saltem semiustum vel semidirutum remansisset. quod ait humo fumat, expressius dici non potuit omnia fuisse consumpta; cum ipsis enim quae comburit finitur incendium et deficiente materia fumum sola remanens terra respirat. interea postquam non semel accipiendum est, quamvis semel positum videatur, ut sit postquam res Asiae, postquam visum est superis evertere gentem inmeritam Priami, postquam cecidit superbum Ilium, postquam omnis humo fumat Neptunia Troia. haec sunt quattuor praeterita, videamus futura utrum aliquam spem prosperitatis habere potuerint. quattuor fuerunt etiam ipsa et detestanda. diversa exilia et desertas quaerere terras auguriis agimur divum: ecce ex his duo pessima; avellebantur quippe a cineribus patriae diversa exilia et terrarum solitudines petituri; habet enim solacium qui urgetur, qui ad optiva vel ad definita mala conpellitur. classemque sub ipsa Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae incerti quo fata ferant, ubi sistere detur: dixit alia duo, parabamus, inquit, navis nescii quo ire deberemus vel in quibus locis commorari contingeret.

---

3 *de funere* LR ed. *desumere*? 6 *vel regni* LR *ut regna* r′ *vel regni ut* ed. 8 *concideret* ed. 11 *esse etenim* LR *esset enim* r ed. 15 *materiae* LR *materia* ed. *materie*? | *solum* ed. 21 *virum* LR *utrum* L II man. r. 23 *etiam* om. edF. 25 *advellebantur* LR. | *cineribus* LR *terminis* ed. 27 *qui ad* LR vel *si* r *quando ad* ed. | *optiva* L edI *optativa* R edF.

hoc ipsum incertum poena fuit maxima; res enim quamvis acerba, si evidenti specialitate signetur, meditatione continua gignit ex se aliquid, ut animum sublevet. conplevit quattuor adversa quae ad futurum tempus pertinebant: diversa exilia, desertas terras, incerti quo fata ferant et ubi sistere detur. *contrahimusque viros,* scilicet ut cresceret comitum numerus. *vix prima inceperat aestas et pater Anchises dare fatis vela iubebat:* fugitivi non agunt quod volunt, sed quod facere coguntur. proinde maturum, inquit, pelago tempus opperiri nequivimus, sed mox cum ipso aestatis iniquo navigavimus, ut, quia definita loca non habuimus, navigaremus quocumque vellent fata et quo
10 duceret ventus. *litora cum patriae lacrimans portusque relinquo et campos ubi Troia fuit:* non dixit dimitto patriam navigans, quoniam omnis interierat, sed dimitto litora civitatis quondam lacrimis et dolore confectus, relinquo securitatem portus ac terrae et in altum producor hoc est ad incerta altioris et interioris pelagi, ubi sola desperatio est, videns campos ubi Troia fuit. duplicem locus iste potest admittere intellectum: unum, quod dolebat latitudinem moenium per campos antea ingentis effusam sic interisse, ut ex ea nihil extaret, alterum, quia camporum planitiem videbat, in qua in altitudinem inmensam surrexerat Troia. hic Aenean memorat poeta perinplesse excusationem suam; dum enim doloris sui causas exponit, ostendit etiam illud, non fuisse aliquid quod possit reparari et se magis auguriis deorum quibusvis exclusum. litora cum patriae lacrimans portusque relinquo et campos ubi Troia fuit: tria posuit quae per

3 *ex ealiquet* LR *ex se aliquid* r *aliquam tranquillitatem* ed. | *ut* LR *quod* r. 5 *adiversa* LR. 7 *inciperat* LR. 11 *iniquo* LR *initio* r *tempore iniquo* ed. | *et quia — — navigaremus* LR *ut qu. — — n.* r *et qu. — — navigavimus* ed. 14 *campos ub* L *campo sub* R corr. r. 16 *coniectus* L ed. *conrectus* R *confectus* ed. post. 27 *reparari* LR *separari* edI *superari* edF. | *quib; suis* L *quibus suis* R *quam suis meritis* vel *quam hominum vi* r′ *quibusvis* H ed.; fortasse *quam voluntatibus suis?* 29 *fuit* om. R add. r = L.

naturam suam non potuerunt interire, litus, portum et campos. *feror exul in altum cum sociis natoque, penatibus et magnis diis:* tacuit patrem suum, quia supra dixit „et pater Anchises dare fatis vela iubebat", proinde quem iam memoraverat ibi fuisse superfluum perindeque vitiosum fuerat iterum nominare.

*Terra procul vastis colitur Mavortia campis, Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo, hospitium anticum* 15 *Troiae sociique penates, dum fortuna fuit:* descriptio terrae quae ad incerta navigantibus prima occurrit, quae sic evidenter Didoni exponitur ignoranti, ut et situs loci et incolarum persona signetur, deinde oportunitas quae detinere posset errantis; nam et proximitas placebat laborem ablatura fugientibus et ubertas laeta camporum commoda videbatur iis qui rem omnem substantiamque perdiderant. quod vero Thraces incolae amiserant Lycurgum regem, videbatur fieri posse ut adversarius nullus emergeret qui posset prohibere venientis. firmabat omnem spem remanendi interpositi dudum religio foederis, diuturnitate quoque temporis roborati; quis enim non fideret non negaturos benivolentiam miseris quae florentibus adhuc rebus et debita fuit et memoria longiore servata? *feror huc:* non dixit veni, sed ex eventu delatus sum; ipsum enim hoc non consilium, non humana voluntas effecerat. *et litore curvo moenia prima loco fatis ingressus iniquis Aeneadasque meo nomen de nomine fingo:* mox, inquit, ut litus attigi loci eius, dispositionem sum novae civitatis adgressus meos omnis signans nomine meo, ut Aeneadae dicerentur. fatis ingressus iniquis: hoc rerum exitus, non initia docuerunt, ceterum si ante praescisset, transire po-

---

1 *potuerunt ire* LR *p. interire* nos *p. perire* edF. 3 *qua* LR *quia* r ed. 5 *indeque* ed. 6 *iterum nominaret* LR *ut i. n.* r *i. nominare* ed. 9—10 *terrae ad* LR *quae* interpos. r edF (ne haereas in iterato *quae*, cf. supra v. 4 *qui — qui*). 12 *de itinere* R *detinere* r. 19 *religione* ed. 20 *negaturam se* r (obscure). 23 *venisset* LR *veni sed* r *venisse sed* ed. | *ipse* LR ed. *ipsum* r. 24 *consilio neque* ed. | *voluntate* ed. 30 *praescivisset* ed. | *transiret* LR *transire non* ed.

tuisset, res magnas non auderet incipere. exponit iam qua ratione iniqua fata cognoverit.

*Sacra Dionaeae matri divisque ferebam auspicibus coeptorum operum superoque nitentem caelicolum regi mactabam in litore taurum:* conditurus, inquit, novam sedem sacrorum obsequiis provocabam in auxilium deos et primam quidem matrem meam, deinde alios quos sciebam auspicio novorum fundamentorum esse necessarios, ipsum quoque Iovem, cui nitentem taurum hoc est candidum mactabam in litore. recte dictum in litore; ubi enim nondum fuerat civitas nec templum fuisse constabat. *forte fuit iuxta tumulus, quo cornea summo virgulta et densis hastilibus horrida myrtus:* haec duo genera lignorum hastilibus bellicis apta sunt, proinde pacis auspicium habere non possunt ac per hoc sacrificanti in causa civitatis novae portendebatur id quod accidit, crudele illic esse hominum genus et humano sanguini infestum nec debere Troianos habere fiduciam prioris amicitiae, quoniam mutatio fidei extiterat fractis viribus Troiae. cum hoc nondum sciretur, tamen, quoniam necesse fuerat propter fundamenta nova, viridibus frondibus aras contegere praeparabat Aeneas vel maxime ramis myrti, quae adsignatur Veneri: ait *accessi viridemque ab humo convellere silvam conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras. horrendum et dictu video mirabile monstrum:* horrendum propter sanguinem, mirabile autem, quod fluebat ex ligno. *nam quae prima solo ruptis radicibus arbos vellitur huic atro liquuntur sanguine guttae et terram tabo maculant:* tantum valent per quae futura monstrantur, ut eorum etiam natura mutetur in aliam. denique tolle causam monstri de medio, inpossibile est ut sanguis fluat ex ligno. fluentes igitur guttae maculabant terram tabo hoc est cruore corrupto. *mihi frigidus horror*

---

1 *res* LR *et res* r *sed* r. ed. 2 *facta* LR corr. r. 5 *aurum* LR corr. r. 6 *primum* ed. 10 *enim* om. R. 12 *virgultae densis* LR corr. r. 20—21 *viridis frondibus* L *viridi fronde* ed. 22 *qui adsignantur* r. | *ait ergo* ed. 27 *licuntur* L.

*membra quatit gelidusque coit formidine sanguis:* ex visu tali occupaverat frigus membra mea, frigus quoque excluso calore congelascere fecerat mei corporis sanguinem. itaque factum est ut, mutata utrumque natura, lignum funderet sanguinem et humanum corpus ingenitam sanguinis substantiam denegaret. *rursus et alterius lentum convellere vimen insequor et causas penitus temptare latentis: alter et alterius sequitur de cortice sanguis:* cum quid illud esset confusus sentire non possem, repetitione facta volui experiri; temerarium enim fuerat pronuntiare de eo quod semel videram. alterius de cortice aut secundi viminis eiusdem ligni aut alterius generis dixit; supra enim ait et myrtum illic fuisse et cornum; potuit enim alterum ligni genus videri temptasse, quando in altero sanguinem vidit. *multa movens animo nymphas venerabar agrestis Gradivumque patrem, Geticis qui praesidet arvis, [rite secundarent visus omenque levarent]:* in prima avulsione potuit videri casus, cum autem in secunda eadem repperissem, vehementer commotus volvebam animo multa atque diversa; constabat enim sanguinem illum execrandum aliquid significare. rogabam deos loci, ut secundarent omina, quae esse constabat adversa, aut levarent hoc est inminentem malorum ruinam aut averterent penitus aut facerent leviorem. docet hoc loco Vergilius prosperari posse per deos humanis obsequiis quod fuerit malis ominibus demonstratum vel levius fieri. *tertia sed postquam maiore hastilia nisu adgredior genibusque adversae obluctor harenae:* cognitionem causae melius desiderans facere, licet iam primo et repetito facto fuisset conperta, tertio tamen eam volui manifestius conprehendere, tenui fortiore nisu

---

1 *formidinis* R corr. r. 11 *vim in his* LR corr. r. 13 *illic* L *illum* R. 16 *rite* — 17 *levarent* deest in LR, sed explicatur. 21 *aliquod* ed. 22 *omnia* LR *omina* r ed. | *at* LR *ac* vel *aut* r om. ed. 25 *omnibus* LR corr. r ed. 26 *vel levius fieri* om. ed. | *postquae* R corr. r. 28 *nocere* LR *noscere* r ed. *facere* nos. 29 *facio* (bis scriptum) LR *facto* r ed. 29—30 *tam eam* LR *tamen eam* r *eam* om. ed.

hastilia tertia obluctans cum terra genibus meis, quae illorum radices non sinebat abrumpi. *gemitus lacrimabilis*
40 *imo auditur tumulo et vox reddita fertur ad auris:* moraliter positum, ut primo dolentis gemitum, dehinc voces audisset. *quid miserum, Aenea, laceras? iam parce sepulto, parce pias scelerare manus; non me tibi Troia externum tulit aut cruor hic de stipite manat:* locus iste plenas partis tenet loci communis. quamvis non sit invectio ex persona defuncti, Aeneas tamen, si in hac causa argueretur, diceret feci et absoluta qualitate sese defenderet, quia quicquid illud fuit nescius fecerat. admirabili tamen virtute poeta ipsum induxit defensorem facti qui ob iniuriam suam accusator esse debuerat ideoque acerbitatem ipsam latius tendit ex uno crimine multa exoriri posse evidenter ostendens, quae tamen ipsa instruentis animo, non arguentis ingerit. fuit quidem primum crimen et solum sepulchri violati. ex hoc habita ratione loci, temporis et personarum alia quoque congessit. quid miserum, inquit, Aenea, laceras? cum fortuna, ait, hominis miseri miseranda esse debeat et sublevanda potius quam laedenda, cur, Aenea, tuo inlicito labore vexatur, qui semper coluisti pietatem? quod autem nomine suo eundem convenit, ex eo intellegere potuit quod notus cum noto loquebatur. ecce duo ante principale crimen, et miser et notus. accedit ad sepulchri violati invidiam iam parce sepulto hoc est vel modum serva; tertio enim iam faciebat. parce pias scelerare manus: aliud dat notitiae signum propter augmentum criminum prohibendum. aliud est enim peccare in ignotum, aliud in eum qui sit notus. cum igitur dicit parce pias scelerare manus, ostendit quia et ipsum

---

1 *obluctans cum* LR ed.; vereor ne non sit latinum: *colluctans?* 6 *nonne* LR *non me* r. 8 *inventio* LR ed. *invectio* nos cf. 247. 14 *extendit* ed. 16—17 *sed solum* edF. 17 *habet ratione* LR *h. rationem* r ed. *habita ratione* nos. 19 *miseri* om. ed. 22 *convenit* LR *vocaret* ed. 23 *voto* R *noto* r = L. 26 *motum* R *modum* r = L. 27 *da innotitiae* LR *dat notitiae* r *dat in n.* ed.

et mores eius et vivendi studium noverat. sed quaeritur cur dixerit parce pias scelerare manus, cum iam quod prohibebat fieri factum esse constaret. post admonitionem et cognitionem ait parce scelerare; priora enim facta, quae Aenea ipso nesciente processerant, potuerunt habere veniam; haec enim fecerat qui nescierat causam. haeret autem inexpiabilis nota, si fuerit voluntate peccatum. ergo recte dixit parce scelerare, antequam facto et mente peccaret. parce pias scelerare manus: quod prohibeo, inquit, fieri et mihi proderit et tibi. hoc genus persuasionis magnum est, ut quod unusquisque petitur sciat etiam sibi profuturum. et mihi, ait, parces et tibi erit commodum, ne manus tuas pias et religiosas funestes et inexpiabili labe commacules, praesenti vel maxime tempore quo sacra numinibus reddis. non me tibi Troia externum tulit. peccas, inquit, in hominem, peccas in miserum, peccas in defunctum, peccas in civem, peccas in tuum; Creusae enim fuerat frater Polydorus perindeque Aeneae adfinis. pulchre tamen dixit non me tibi Troia externum tulit, hoc est non ita me tibi civem genuit Troia, ut tantummodo civis tuus essem, verum etiam ut iungerer generi tuo. aut cruor hic de stipite manat: an putas fieri potuisse ut ex ligno sanguis exisset? ecce tractat et partis loci; iam enim, ut dictum est, personarum tractavit et temporis. *heu fuge,* inquit, *crudelis terras, fuge litus avarum:* hominum culpa et morum adscribitur terris in quibus nati sunt, quasi demum non hominum genus, sed eorum parens terra peccasset. hoc satiat et hoc vult intellegi, ne unum quidem illic esse qui vivat hominum more ac per hoc vitium eiusmodi non hominum esse, sed loci; in hominibus quippe est procul dubio diversitas, neque enim omnes boni aut omnes mali reperiuntur, sed

---

3 *prohiberat* LR *-uerat* ed. *-ebat* nos. 4 *prior* LR *priora* r *prius* ed. 5 *ab aenea* r. 7 *notat* R *nota* r. 13 *manis* R *manus* r. | *funestas* R corr. r. 21 *genere* LR *-ri* r ed. 22 *aut* LR *haud* ed. 24 *tractavit* LR *tr. partes* ed. 32 *enim* LR *enim aut* ed.

hic, quia suadebat fugam, etiam terram ipsam dixit inmanem, ne speraret Aeneas posse illic aliquem reperiri qui humanum animum gereret et hac spe transductus in iisdem locis remaneret in quibus occidi potuisset. sed non ad solam conservationem salutis huiusmodi potest admonitio pertinere; non enim debuit pius et religiosus inter sceleratos et inpios commorari, etiamsi nihil auderent adversus ipsum. item quod ait fuge crudelis terras, fuge litus avarum, duplicatio unius verbi magnam habet cogendi necessitatem; nam bis dixit fuge, ut sine dilatione fugeret. interea docemur instruente Vergilio crudelitatem sine avaritia et avaritiam sine crudelitate esse non posse; nam expleri avaritia non potest, nisi ei auxilio crudelitas fuerit, et crudelitas exerceri non potest, nisi spes intervenerit lucri. itaque sic inter se conexae sunt, ut altera sine accessu alterius conpleri non possit. hic locus et in primo libro (348) ex Pygmalionis persona tractatus est; idem enim dictus est inpius et auri cupi-
45 ditate caecatus maritum sororis insontem necasse. *nam Polydorus ego:* nomen suum tantum dixit, tacuit de patria, quia iam supra dixerat non me tibi Troia externum tulit, tacuit de parentibus, tacuit de persona eius cui fuerat commendatus a patre, tacuit de causa propter quam constabat occisum; omnia enim praeter sepulchrum eius Aeneas noverat. solum ergo suffecerat nomen dixisse propter illam partem qua dixit „non me tibi Troia externum tulit“. *hic confixum ferrea texit telorum seges et iaculis increvit acutis:* et facinus in se admissum refert et illud firmare contendit quod dixit fuge crudelis terras, ut non tantum telorum multitudinem verum etiam natu-

---

4 *hisdem* LR. 6 *pertenire* LR. 10 *dixit* LR *ait* ed. 13 *non potest* — 14 *exerceri* om. ed. 14 *exercere* LR *-ri* r. 16 *accessu* LR *excessu* ed. | *conplere non posset* LR *conpleri n. possit* r ed. 17 *et* om. ed. 18 *et auri* LR *quod* interpos. ed. 19 *caecus* ed. | *necesse* LR (in L *necuisse* superscr. man. rec.) *necasse* r *necasset* ed. 21 *iam* om. R. 22 *de personam* L. 29 *illud* LR ed. *et i.* r.

ram saevorum hominum simul ostenderet; tela enim procul dubio manibus hominum portabantur, cum peteretur corpus insontis. tanta, inquit, saevitia cunctorum fuit, ut, cum unum telum pueri necem perficere potuisset, unum in corpus omnes omnia tela pressissent — — —. et iaculis increvit acutis, ut ad illius funus accurato ferro multitudo saeva confluxisse videretur. quod autem dixit increvit, crebro percussit accipiendum est, ut non remansisset locus inmunis a vulnere. *tum vero ancipiti mentem formidine pressus obstipui steteruntque comae et vox faucibus haesit:* propterea dixit tum vero, quia supra dixit mihi frigidus horror membra quatit gelidusque coit formidine sanguis. horror enim qui ex visu sanguinis stillantis ex ligno fuerat exortus voce dehinc Polydori gementis casus suos vehementissime cumulatus est, usque adeo ut mens omnis in hebetudinem versa sit et in silentium transiret vox, comarum vero mollities obdurata constiterit. rettulit Polydori verba, dehinc sua subnectit, ut ostendat quomodo factum sit ut Troianus puer in alienis terris fuisset occisus.

*Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno infelix Priamus furtim mandarat alendum Thraeicio regi, cum iam diffideret armis Dardaniae cingique urbem obsidione videret:* hunc, inquit, nutriendum infelix amico et regi dederat Priamus cogente illa necessitate, quod videret obsidione perfecta nullam spem reliqui factam, vim scilicet temporis passus, ut posteritas eius, quae fuit in pluribus liberis, in uno saltem superstite permaneret. ac ne deesset

---

5 post *pressissent* lacuna decem litterarum et quattuor versuum extat in L *et confixissent* interpol. ed. (H tantundem spatii relinquens in marg. adnotat „hic desunt carmina“).
6 *ad* LR *ut ad* r ed. | *accurrato* LR *acuto* r ed. *accurato* ad interpretationem tendit quae de *increvit* continuo profertur.
7 *confluisse* LR corr. r. 12 *cor* LR *coit* r ed. 23 *cum deficeret* LR *c. iam diffideret* r. 24—25 *et reciderat* LR *tradiderat* vel *transmiserat* r *et regi dederat* H ed. 26 *reliqui factam* LR *remansisse* ed. 28 *remaneret* ed.

victuro substantia, maximum quoque auri tradidit pondus ex sua natura mores alienos expendens perindeque nihil existimans secus intervenire potuisse quod amicitias veteres rumperet, regis quoque animum, qui omni opulentia superflueret, transduci non posse in eam partem, ut avaritia praeceps commendatum sibi innocentem amici filium filiumque collegae confoderet. inde igitur magis Priamus infelix, quod in adversis, dum filium incolumem cuperet, nihil contrarium praevidens dedit materiem pretii et ponderis magni, non qua viveret puer, sed qua posset occidi. egit causam Priami, ne inprudens, ne incautus, ne in causa filii minus diligens fuisse videretur; dederat enim vicino, ut dictum est, noto, amico veteri, dederat non onerosum, dederat cum substantia, dederat diviti, dederat regi, dederat pressus, dederat desperatis omnibus. *ille, ut opes fractae Teucrum et fortuna recessit, res Agamemno-*
55 *nias victriciaque arma secutus fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat et auro vi potitur:* ille, inquit, id est qui speraretur humanus, qui amico servaturus fidem putaretur, ille dives, ille rex, ille delectus ex plurimis et haesitantis Priami deliberatione praelatus, qui alendum susceperat innocentem, amici veteris filium, intellegit patris fortunam et Troianorum votisque hostium avaritia praecipitante consentiens omnia foederum religiosa corrupit, iugulavit puerum et scelerata consecutus est lucra. interea cum de modo auri loqueretur, cum pondere, inquit, magno, quod quia specialitatem non habet, nos arbitremur tantum quantum rex, quantum pater filio quem ulterius

5 *transducere* LR ed. *-ci* nos. 8 *cupiret* LR. 9 *materiam* ed. 15 *hominibus* LR *omnibus* r ed. 19 *speratur* R corr. r = L. 20 *dilectus* LR *delectus* edF. 21 *praelatus* LR *ceteris pr.* ed. 22 *fortuna* LR corr. r. 26 *respondere* L *de re* R r = L potest in archetypo *copondere* fuisse idque ut absurdum in *respondere* ab L, in *de re* (propter *magna*) ab R mutatum esse *cum pondere* nos *dedisse* ed. | *magna* LR ed. *magno* nos; nam Vergilii verba tractari *inquit* docet. 27 *arbitramur* r. 28 *per ulterius* LR *quem ult.* r *qui eum u.* ed.

visurus non esset quantumque filiis consumptis secum omnibus postea fuerat conlaturus, postremo tantum quantum amicum in perfidiam, quantum in avaritiam regem, quantum miseratione reiecta veteris amicitiae debitorem in necem pueri potuit provocare. hic quoque locum, tempus personamque tractavit. funesta ac nefanda facturo oportuna sunt visa: nam locus quamvis proximus tamen interventu pelagi separatus fuit a finibus Troiae, personae vero tractatus fuit, quod facile puerum et solum necare potuisset, defensorem autem emersurum credebat nullum qui ultionem moliretur occisi, idonea vero temporis dabatur occasio Iliensis imperii felicitate deiecta. fecit ille quod infelix de hoste Priamus metuit. ecce Vergilius docet in adversis nec amicis habendam fidem, ubi possunt scelere lucra captari. difficile est enim servari fidem, cum fatorum primitus fuerit fracta; perinde enim inter amicos fides est ut fortunae et fatorum cursus sese praebuerint. hinc poeta conpulsus ex persona eius quem loquentem induxerat sic cupiditatis auri vituperationem clausit, ut generali exclamatione diceret *quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames!* cum dicit quid non, non tantum de praesenti causa sensit, sed de omni genere personarum et necessitudinum et de criminibus omnibus. sicuti enim lectum constat et exempla veterum docuerunt, fecit auri cupiditas patriae proditores, aurique pondere fidem saepe militum fractam, fractam coniugum, fractam nautarum, fractam proximorum, fractam foederum, fractam

---

1 *cumque illos consumptos secum* LR *c. illo consumpto s.* r ita emendavi, ut de hereditate omnibus filiis destinata agi intellegatur; praefixo „dare potuit“ reliqua ut LR tradidit edI inepte mut. edF. 4 *misera coneret tecta* LR *m. condere tecta* r *miseratione reiecta* nos (ad *reiecta* cf. 260) *miserrimi status et* ed. | *debitorem* LR *debito regem* ed. 6 *funesta* LR *quae f.* ed. 8 *interventis* LR *-tu* nos *interpositione* ed. | *separatus fuit* LR *superatus erat* edF. 12 *ferit* ed. 15 *servare* ed. 16 *primitus fuerit facta* LR *pr. f. fracta* R ipse vel r (sc. fides); an *pravitas* pro *primitus* cf. *deorum pravitatem* v. 2? *adversa f. facta conversio* ed. 19 *vituperatione* ed.

amicorum. dedimus intellegendi viam, cetera lector inveniet, quae tanta sunt uno versu conclusa, ut haec libris explicari non possent. *postquam pavor ossa relinquit:* supra enim dixit „tum vero ancipiti mentem formidine pressus obstipui steteruntque comae et vox faucibus haesit“. postquam pavore discedente integratus est, inquit, animi mei vigor, *delectos populi ad proceres primumque parentem monstra deum refero et quae sit sententia posco:* quid vidisset vel quid audisset primum ad patrem, qui iudicare de monstris et auguriis nosset, deinde ad potiores ceteros pertulit; debuit enim quid facto opus esset omnium de-
60 finiri sententia. *omnibus idem animus:* omnes, inquit, unum tenuere consilium. *scelerata excedere terra, linqui pollutum hospitium et dare classibus austros:* in tractatibus publicis, cum dubia in medium veniunt, id maxime fieri convenit quod plurimis sederit. hic autem, quoniam evidens malum videbatur et tam execrabile extiterat factum, omnes probant esse fugiendum, ne in terris crudelibus pii et religiosi cum iugi salutis suae periculo morarentur: numquam enim dissimilitudo morum amicitiae vinculis potest aliquando coniungi. praeter hanc causam accedebat alia, quod incolarum scelere pollutum fuisset hospitium hoc est soluta per scelus amicitia quae religione foederum fuerat iniuncta, unde ad id tendebat res, ut illic consistere nec utile videretur et inreligiosum esset illic remorari ubi innocentis Troiani pueri sanguis fuisset effusus. dare classibus austros: locutio non tantum non vitiosa, verum etiam splendida; simplex enim fuerat dicere dare navis ventis, sed ut novitatem induceret eloquentiae,

---

2 *aut* LR *ut* r ed. 3 *possent* LR *possint* r. | *relinquit* LR *reliquit* r ed. 6 *descedente* LR *discedente* ed. *decedente*? 11 *facio* R *facto* r = L. 13 *linquere* ed. 15 *medio* LR ed. *medium* nos. 16 *sederit* LR *cordi s.* ed. 21 *aliquando* om. ed. | *coniugi* LR corr. r. 23—24 *religionis foederarum* LR *religione foederum* r *religionis foedere* ed. 24 *iniuncta* LR *coniuncta* r′. 25 *nec utile* LR *utile non* ed. 29 *induceret et* LR *et* del. r ed.

ait dare classibus austros, ut ad fugam paratas navis efficerent. dare enim ventum navi est flatibus obicere, ut agi possit auris exceptis et velocius currere. *ergo instauramus Polydoro funus et ingens aggeritur tumulo tellus: stant manibus arae caeruleis maestae vittis atraque cupresso et circum Iliades crinem de more solutae. inferimus tepido spumantia cymbia lacte sanguinis et sacri pateras animamque sepulchro condimus et magna supremum voce ciemus:* laesi manes placari debuerant interveniente sacrorum sollemnium ritu. accedebat enim ad expiationem violati sepulchri etiam personae meritum, quia civis fuerat et adfinis Aeneae filius regis quodque monuerat ut sceleratas terras et avarum litus Troiani relinquerent et apertis periculis liberarentur. ergo talia sunt exhibita quae possent curare quod male fuerat gestum et quae talem sacrorum speciem demonstrarent quae etiam statim mortuis exhiberi consuevit. hac occasione poeta docuit quemadmodum talibus causis possit occurri.

*Inde ubi prima fides pelago placataque venti dant maria et lenis crepitans vocat auster in altum:* unam rem copiose dixit et ambitioso genere quae navigaturis ex sententia occurrerat; nam tempus fiduciam dabat, quo et mare placidum fuerat et flatus ita temperati, ut lenitate sui etiam invitos hortari potuissent ad navigandum. denique *deducunt socii navis,* quas mansuri subduxerant, *et litora conplent:* et hominibus scilicet et navibus opplebant litora, quoniam omnibus abeundi stabat una sententia. *provehimur portu terraeque urbesque recedunt:* cito dixit navigatum et in altum producta navigia, in tantum ut nec terra iam nec urbes viderentur. *sacra mari colitur medio gratissima tellus Nereidum matri et Neptuno Aegaeo, quam prius arcitenens oras et litora circum errantem*

---

4 *agere* LR *aggeritur* r. 8 *supernum* LR corr. r. 12 *filius* LR *et f.* edF. 16 *demonstraret* LR corr. edF. 17 *consuevit* LR *-erint* ed. | *haec* LR *hac* r ed. 23 *sui* LR *sua* edF. 25 *quam* LR *quas* ed. | *complet* ed. 28 *citoque* LR *que* del. L II man. r *quam cito* ed. 32 *prius* LR *pius* Verg. libri plerique.

*Mycono e celsa Gyaroque revinxit inmotamque coli dedit et contemnere ventos. huc feror, haec fessos tuto placidissima portu accipit:* dicendo fessos accipit et longam et laboriosam navigationem ostendit, casu autem factum ut ad illam insulam deferrentur; non enim noverant eam. interea descripsit insulae situm et quo conditore constiterit et quod numen in ea coleretur quove deo auxiliante ex erratica et mobili stabilis et inmobilis facta sit. *egressi veneramur Apollinis urbem:* ut primum, inquit, navibus sumus egressi, venerati urbem sumus in honorem eius qui eam firmavit et condidit et qui in ea praecipue
80 colebatur. *rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos, vittis et sacra redimitus tempora lauro occurrit, veterem Anchisen agnovit amicum:* quod ait occurrit, magna laus eius est, qui, cum esset rex et sacerdotii dignitate fultus, non expectavit ut ad se peregrini potius venirent, sed ipse occurrit humanitate vel maxime ductus, quam testabatur occurrendo. quod autem dixit veterem Anchisen agnovit amicum, non antiquum quasi veteris amicitiae tantummodo debemus accipere, sed talem quoque qualis fuerat, cum staret felicitas Troianorum; multi enim, ut Polymestor fecit, qui cum Teucrorum fortuna mutatus est, tamdiu amicitias tenent quamdiu stetit uniuscuiusque substantia. ecce iste Anius non fortunam praesentem consideravit Anchisae, sed veterem tenuit tantumque habuit amicum quantus fuit, non quantus veniebat. laurus et vittae insignia fuerunt sacerdotis, non signa laetitiae, quoniam non conveniebant tempori quo victi suscipiebantur et tristes. denique sacra lauro inquit, ut ostenderet eam religionis causa portari. hoc loco magna exempla in Poly-

---

1 *mycono e celsa* LR *Mycone celsa* ed. 3 *accepit* (et infra) LR *accipit* r. 7 *quo numen* LR *quod n.* ed. 8 *nobili* LR *mobili* rHO ed. 14 *agnoscit* ed. (et infra). 15 *sacerdotali* ed. | *fultus* LR *praeditus* ed. 21 *ut* om. ed. 22 *Polymnestor* ed. | *cum* LR *ut* edF. 23 *stetit* LR *stat* ed. 24 *annius* (et infra) LR. 28 *qua* LR *quo* ed. 30 *hoc* om. ed. | *in hoc Pol.* ed.

mestore et Anio Vergilius posuit malae bonaeque amicitiae, quibus homines vel a pessimis actibus revocat vel hortatur ad bonos. *iungimus hospitio dextras et tecta subimus:* merito, inquit, patris mei cum omnibus amicitiam iunxit et universos induxit in domum. de exhibitis alimoniis tacuit: qui enim occurrit venientibus, qui duxit in domum officia quoque plenae humanitatis inplesse monstrabatur.

*Templa dei saxo venerabar structa vetusto:* opus templi vetustatis ratione laudavit; quicquid enim vetus dicitur nec tamen antiquitate vexatum est atque inlaesum permanet procul dubio magnum est. *da propriam, Thymbraee,* 85
*domum, da moenia fessis et genus et mansuram urbem, serva altera Troiae Pergama, reliquias Danaum atque inmitis Achilli. quem sequimur? quove ire iubes? ubi ponere sedes? da, pater, augurium atque animis inlabere nostris:* occasio fuit ut ex responso Apollinis purgaretur scrupulus qui Troianorum animos vehementer angebat, quia incerti in omnibus fuerant nec sciebant quo tenderent nec noverant ubi certam sedem habere potuissent; sic enim superius (4) dixit: „diversa exilia et desertas quaerere terras auguriis agimur divum incerti quo fata ferant, ubi sistere detur". precatio igitur Aeneae plenam tenet desideriorum manifestissimamque petitionem et est in brevitate verborum tamen intellectu latissima; sollicitus quippe diligentissimusque consultor omnia conplecti debuit paucis, ut accepto plene responso semel in omnibus redderetur instructior. da propriam Thymbraee domum: da significat ostende quae nobis futura sit domus. addidit propriam, ne talis teneretur quam iterum perderent, sicut in Thracia factum est. da moenia fessis et paratam, inquit, civitatem: quoniam fessis novam condere difficillimum est. et genus, scilicet augmentum generis, quod ex maxima parte

4 *mei* LR *m. rex* ed. 12 *thymbrae* LR corr. r. 16 *labere* LR *illabere* r. 19 *nec sciebant* LR *nesciebant* ed. 23 *praecatio* LR *praefatio* ed. | *tenit* LR. 24 *et est* LR *et* om. ed. 28 *thybraeae* LR. 29 *propria* L *propriam* R.

in excidio Troiae fuerat consumptum. et mansuram urbem, quae numquam periret ut Troia. serva altera Troiae Pergama, reliquias Danaum atque inmitis Achilli: et quicquid te demonstrante nostrum fuerit factum tu serva, nos quoque custodi. posuit duo, incertus enim fuerat quid fuisset Apollo dicturus. petiit parata moenia et, ne forte haec illi fatorum ratione negarentur, secundo petiit ut Pergama quae ipse conditurum sese sperabat rogatus Apollo servaret. serva bis accipiendum est: serva altera Troiae Pergama, serva reliquias Danaum atque inmitis Achilli. reliquiarum idcirco fecit commemorationem, ut misericordem faceret quem rogabat. quem sequimur? noverat enim nonnumquam in responsis etiam per signa monstrari quid agendum sit. quove ire iubes? ut super terrarum vocabulo incertos dignaretur instruere. ubi ponere sedes? ut locum ipsum nosset in quo novam constitueret sedem. in conclusione petitiones suas recte commendat, ne responso dubio vel, ut factum est, signis incertis incertior fieret qui plena et perspicua desiderabat audire. da pater augurium atque animis inlabere nostris: paterno, inquit, animo nos instrue et favore plenissimo animis nostris quae desideramus infunde. hoc loco Aeneae verba consideranda sunt; cum enim supplicis et deprecantis more divina beneficia postulare debuisset, imperativo modo usus da, inquit, propriam domum, da moenia, da genus, da mansuram urbem, item serva altera Troiae Pergama, serva reliquias Danaum, iterum da, pater, augurium et inlabere animis nostris, omnia imperativo modo prosecutus est. hoc cum non sit deprecantis, sed iubentis, intellegitur fiducia numinis sic locutus et meriti sui. denique et in sexto libro (56) ex eiusdem Aeneae persona sic

---

4 *monstrante* ed. 7 *faturum* LR *fatorum* r *facturum* ed. | *rationegarentur* L *ratione gerentur* R *ratione negarentur* r *ratione negaretur* ed. 8 *ipse* LR *se* ed. | *esse* LR ed. *se esse* r *sese* nos. 14 *aut* LR *ut* r ed. 15 *ponere* LR *-erent* edF. 16 *ipsum* Lr ed. *istum* R. | *construeret* ed. 18 *velut* ed. | *incertis* om. ed. 21 *instruet* LR *instrue et* r *instrue* ed. 27 *iterum* LR *item* ed.

positum est, Apollinem semper Troianorum fuisse fautorem; preces enim illic sunt necessariae ubi concilianda est benivolentia eius qui aliquid postulatur, cum vero iam ex aliis benivolum constat esse, remoto circumitu desideria ipsa oportet exponi. *vix ea fatus eram, tremere omnia* 90 *visa repente liminaque laurusque dei totusque moveri mons circum et mugire adytis cortina reclusis:* mox, ait, ut dicta conplevi, omnia mihi visa sunt tremere: a generalitate transiit ad species, dixit enim liminaque laurusque dei totusque moveri mons circum et mugire adytis cortina reclusis. haec sic mota sunt vel mugierunt, ut deum ipsum praesentem fuisse monstrarent. *summissi petimus terram, vox fertur ad auris:* pavore, inquit, nimio vestigiis firmis non potuimus stare demissique ad terram has voces audivimus: *Dardanidae duri,* hoc est ad tolerandum laborem fortes, *quae vos ab stirpe parentum prima tulit* 95 *tellus eadem vos ubere laeto accipiet reduces, antiquam exquirite matrem:* quid brevius? quid evidentius hoc responso? cuius tanta benivolentia est, ut cum fine verborum consulentis prolatum sit et Aenean dudum suspensum atque incertum instructum, securum laetumque reddiderit ostendens Troianos apud Ilium peregrinos fuisse perindeque non iniuriam ex deorum invidia, sed beneficium consecutos, ut originalibus terris et suis parentibus redderentur. ut autem propriam domum fore et genus atque urbem in aeternum mansura manifesta ratione monstraret, addidit *hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris et nati natorum et qui nascentur ab illis:* ecce et altera Pergama perpetuo mansura dignanter ostendit et Troianam progeniem maxima incrementa sumpturam. *haec Phoebus:* post eiusmodi respon-

---

1 *fuisset auctorem* LR *fuisse a.* r ed. *f. fautorem* nos. 4 *circumitu* LR *circuitu* r ed. 9 *diei* pro *dei* L (supra recte). 13 *vox* LR *et v.* ed. | *auras* LR *aures* ed. *auris* scripsi propter *audivimus.* 16 *ab* LR *a* ed. 18 *exquerite* L *exquaeritae* R corr. r. 21 *reddiderint* LR corr. ed. 26 *mansura* LR *-ram* ed. 29 *dignanter* LR *signanter* edF. | *maxima* LR *magna* ed.

sum, quo solum continebatur incertum ut constaret quae esset illa regio ad quam tendere deberent, *mixto ingens*
100 *exorta tumultu laetitia et cuncti quas sint ea moenia quaerunt, quo Phoebus vocet errantis iubeatque reverti:* laeti quidem fuerunt omnes, quod optata cognossent, sed universi quaerebant nomen loci. antiqua enim memoria fuit, quam posterioris aevi homines ignorabant, quam cum omnes non nossent, deerant qui inprudentis instruerent. *tum genitor veterum volvens monumenta virorum:* Anchises pater meus, qui longe ceteros annis et scientia praecedebat, revoluta priscorum fabula expositionem responsi audacter ingressus *audite, o proceres, ait, et spes discite vestras:* quid, inquit, sperare debeatis audite. *Creta Iovis*
105 *magni medio iacet insula ponto, mons Idaeus ubi et gentis cunabula nostrae. centum urbis habitant magnas, uberrima regna, maximus unde pater, si rite audita recordor, Teucrus Rhoeteas primum est advectus ad oras optavitque locum*
110 *regno. nondum Ilium, et arces Pergameae steterant, habitabant vallibus imis. hinc mater cultrix Cybele Corybantiaque aera Idaeumque nemus, hinc fida silentia sacris et iuncti currum dominae subiere leones. ergo agite et divum*
115 *ducunt qua iussa sequamur, placemus ventos et Gnosia regna petamus. nec longo distant cursu: modo Iuppiter adsit, tertia lux classem Cretaeis sistet in oris:* non tantum exposuit Anchises id quod secundum responsum senserat verum etiam partis suasorias plenissime prosecutus est faciens in omnibus laetiores quos Apollo promissione

---

1 *ut constaret* LR ed.; possis *ut non staret* conicere, sed pro *ut notum fieret* accipiendum est. 2 *mixto* LR ed. *que* om. Don., quia lemma cum interpretatione contexuit. 3 *exortatu multo* LR corr. r. | *laetitia sit et* LR corrigere omisit r. 4 *iubeatve* ed. 5 *cognovissent* ed. 11 *familia* LR ed. *fabula* nos; cf. 107 *fabulam*, nam *monumenta* explicat. 13 *debeat his* LR corr. r ed. 14 *insola* LR. | *agentis* LR *et gentis* r ed. *ac g.*? 15 *conabula* (et infra) LR. 16 *auditor* LR corr. r. | *teucros* (infra *-rus*) LR. 19 *cybele* LR ed. cf. Serv. *Cybeli*? an *-lae*? 21 *subiecere* LR corr. r. 24 *sistit* LR *sistet* r. 26 *suasorias* LR *suas* ed.

meliorum hilares fecerat. idem quippe dixerat (94) „quae vos a stirpe parentum prima tulit tellus eadem vos ubere laeto accipiet reduces, antiquam exquirite matrem". hoc dicto ademit omnibus luctum perditae civitatis; non enim magnus dolor esse debuit obventiciam perdidisse, vel maxime cum originalis salva incolumisque promitteretur. certe quam pulchrum, quam honestum, quam religiosum fuit his terris reddi quae parentes in origine protulerunt. et quia potuit fieri ut a melioribus ad inferiora cogerentur, addidit ubere laeto: ecce ostendit et commodam. ubere quod dixit, adludere voluit, quia supra terram ipsam matrem appellavit. laeto autem idcirco posuit, ne se odiosos vel gravis vel certe inportunos venturos esse arbitrarentur. addidit reduces, ut satiaret non futuros oneri his terris, quae non advenas, sed suos essent felicius recepturae. Anchises igitur hoc responsum se existimans interpretaturum evidenter quod veluti dubium fuit incipit aperire, sic tamen, ut non tantum dicat quid sit verum etiam Apollinis promissa multifariis commodis rerum et honestis adcumulet. Creta Iovis magni: dixit et nomen loci, dixit et deum qui illic coleretur et ad quem specialiter insula ipsa pertineret, ipsumque magnum esse perindeque in magno numine magnam favoris erga incolas posse provenire substantiam, dignam vero insulam, in qua tantus deus et esset et praecipue coleretur. medio iacet insula ponto: ecce dixit et situm eius, ut ostenderet fluctibus clausam ac per hoc adversus insidias tutam, facilem autem victu et alimoniae propriae commodam. quod vero ait iacet, modum eius et inmensam latitudinem voluit demonstrare. venit iam ad signa: mons Idaeus ubi et gentis cunabula nostrae. quod hic dixit gentis cunabula

---

2 *a* (supra *ab*) LR. 9 *interiora* LR *inferiora* nos *deteriora* ed. 10 *commodum* ed. 15 *esse ait* LR *essent* r ed. (propter *quae* et *recepturae*). 23 *nomine* LR ed. 24 *pervenire* R *prov.* r. 26 *et situm* LR *et* om. ed. 28 *proprie* r. | *commodum* ed. | *vera* LR *vero* r *vero dixit* ed. *v. ait* nos. 31 *quod* — 280, 1 *et* bis scr. LR secundo loco del. r′.

nostrae et nihil expressit specialiter, inferiore in parte patefecit. interea evidentius aperit quod generaliter memoraverat; nam iacet inquit. nunc exponit quid sit iacet: centum urbis habitant magnas, uberrima regna, scilicet et numero et magnitudine atque ubertate praecipuas. intimat etiam quod obscurate iam dixit et gentis cunabula nostrae: maximus unde pater, si rite audita recordor, Teucrus Rhoeteas primum est advectus ad oras. maximus pater est qui maiores generis sui antiquitate praecedit; neque enim solus ille dicitur pater ex quo nascimur, verum etiam ille a quo originem ducimus; ubi enim generis defecerint nomina et gradus sanguinis fuerint expleti hoc est patris, avi, proavi, abavi, atavi, tritavi, veteres eorum aut maiores dicuntur aut patres. maximus ergo est pater ipsorum maiorum antiquissimus. denique Anchises, aevo omnibus qui tunc supererant potior, si rite, inquit, audita recordor, Teucrus Rhoeteas primum est advectus ad oras optavitque locum regno: nondum Ilium et arces Pergameae steterant, habitabant vallibus imis. ecce et ipse fabulam quandam satis annosam se ex aliis dicit audisse et hanc repetit notante memoria; firmare enim pro vero stultissimum fuit quod opinione narrabat incerta. Teucrum ergo primum refert illinc venisse ad Troiam, post ipsum augmentum cepisse Ilium; primo enim qui illic commorabantur in vallibus habitabant. usque adeo firmabat Cretam promissam, ut non tantum hominum a Teucro descendens genus illic diceret degere verum etiam sacrorum observationem eandem quae in Troiana civitate tene-

6 *obscura etiam* LR *obscure ante* edF *obscurate iam* nos cf. 388. 9 *maioris* LR corr. r. 11 *regimen* LR ed. *originem* nos. 12 *defecerunt* ed. 16—17 *sicut* LR *si rite* ed. 18 *aras* LR corr. r. 19 *et erant* R *steterant* r (cf. 403). 20 *se* om. ed. 21 *affirmare* ed. 22 *vero* L *veris* R. | *incertum* ed. 23 *ergo qui* R *qui* del. r = L. | *illuc* LR ed. *illinc* nos. 26 *cretam* LR *certam et* ed. | *hominum* LR *-nes* ed. 27 *descendens* LR *-ntes* ed. *genus* addidi, idem post *hominum* inseruit r″. | *decere* L *dicere* R *ducere* r *degere* nos *vivere* ed. 28 *eadem* LR *eandem* r ed.

batur adsereret custodiri. idcirco ait hinc mater cultrix Cybele Corybantiaque aera Idaeumque nemus, hinc fida silentia sacris et iuncti currum dominae subiere leones. ergo agite et divum ducunt qua iussa sequamur: ecce qui fuerant „incerti quo fata ferant, ubi sistere detur“ nunc deos secuti et exponentis verba navigationem tali adsertione promissam subire cogebantur. placemus ventos et Gnosia regna petamus: non, quia tunc asperi fuerant, dixit placemus, sed ut navigaturis flatus semper placidos exhiberent. subiungit quid commodi ex eo sacrificiorum obsequio provenire posset: nec longo distant cursu: modo Iuppiter adsit, tertia lux classem Cretaeis sistet in oris, si enim fuerit Iuppiter fautor. conplevit omnia quibus perfici oportuit suasoriam addendo quod navigatio ipsa de proximitate non futura esset odiosa, tamen, inquit, si faverit Iuppiter. temerarium enim post triduum polliceri cuius incerti sint flatus, ideoque posuit condicionem pendentem ex Iovis voluntate, cui omnis potestas esset dandi ventos aut nocendi. *sic fatus meritos aris mactavit honores:* meritos dixit convenientis et dicit quibus initiis honores et quibus numinibus sint exhibiti: *taurum Neptuno,* deo scilicet maris propter ingruentem navigationem, *taurum tibi, pulcher Apollo,* propter responsi beneficium, *nigram* 120
*Hiemi pecudem,* ut conquiesceret nec noceret, *Zephyris felicibus albam,* ut plena prosperitate adessent.

---

1 *adserit* LR ed. *-eret* nos. 7 *ignota* LR (supra *gnosia*) *gnota* r *gnosia* r′. 8 *dicit* ed. 9 *flatos* (et infra) LR. 12 *enim* LR *modo* edF. 13 *Iuppiter favor* LR *Iovis fautor* r i. e. vel *Iovis favor* vel *Iuppiter fautor* legi vult *Iupp. autor* ed. 14 *suasoria* ed. 15 *si faverit* LR *nisi f.* r′ (male distinguens). 16 *enim* LR *erat e.* r *est e.* ed. 17 *ideo ore posuit* L *i. reposuit* R *ideoque pos.* r *ideo p.* ed. 18 *voluntatem* L. | *esse* R *esset* r. 19 *meritus* LR corr. r. | *honoris* LR. 20 *merito* LR corr. r. | *quis initiis honoris* L item, sed *init//ii//* cum rasuris R *quibus i. honores* nos, quia Don. nusquam *quis* pro *quibus* habet, ad *initiis* cf. Catull. 63, 9; an *bestiis*? 21 *et quis nominibus* LR corr. r. | *sint exhibitis* LR temere locum mut. ed. | *eo* LR del. r *deo* ed. 24 *hic* LR *hiemi* r ed.

*Fama volat pulsum regnis cessisse paternis Idomenea ducem desertaque litora Cretae, hoste vacare domos sedesque adstare relictas:* oportunitatem convenientem oblatam loquitur novam sedem magna cupiditate quaerentibus; fama enim creberrima fuit et volabat. hoc dicendo ostendit sine auctore certo eandem famam fuisse, Idomeneo regnis paternis excluso vacare imperium Cretae ac per hoc primum esse commodum, quod nullus esset qui venientibus ..... contrarius possit existere, domus autem incolumis et paratas solos incolas quaerere. favebant ergo omnia Troianis, locus, tempus, personae. locus, quia secundum adsertionem Anchisis responso Apollinis Creta putabatur edicta. tempus, quod loci eius vacabat imperium nec fuerat qui posset obsistere. accedebat eo quod etiam domus paratae fuerant, quarum struendarum labor habebatur in lucro. personae, quia Troianis omnia supra vota cessisse videbantur, imperium sine dimicatione, dives terra, utpote quae Iovis praesenti foveretur auxilio, cognatorum domicilium et domorum parata substantia. *linquimus Ortygiae portus pelagoque volamus:* ecce quantum valuerunt obsequia sacrificiorum quae navigaturi perfecerant: non dixit navigavimus, sed volabamus. incipit enarrare loca per quae transierunt et haec nominare cum signis suis.
125 *bacchatamque iugis Naxon viridemque Donysam, Olearon niveamque Paron sparsasque per aequor Cycladas et crebris*

---

2 *do* LR *domos* L II man. r an *domus* cf. 645? | *sedeque* LR corr. r. 4 *loquitur* LR *narrat* ed. | *quaerentis* L *-ibus* ed. 7 *vagare* L. | *hac* LR *ac* r. 9 post *venientibus* spatium quinque litterarum vacat in L: signavi, etsi nihil desideraveris *advenis* inser. ed. 10 *incolis* LR *-las* r. 11 *omnis* LR *-nia* r. | *personae* LR *-na* r (vide infra). 12 *Anchisae* ed. (cf. 1, 34) 13 *erecta* LR ed. *electa* vel *decreta* r *edicta* nos cf. 146. 14 *possit* LR *posset* r ed. 16 *persona* LR ed. *personae* nos, quia sic supra et sententia poscit. 18 *auxilio* LR *a. et* ed. 22 *navigamus sed volamus* ed. | *enim errare* LR *narrare* superscr. L II man. *enarrare* r *enumerare* ed. 23 *nomina regum* LR *nominare cum* r cf. 125 *nomina regionum* ed. 25 *pharon* LR *Paron* ed.

*legimus freta concita terris:* a specie transiit ad generalitatem; dixit enim aliquas insulas cum signis et nominibus suis, nunc ait et crebris legimus freta concita terris, quia nec cognitionem habere Aeneas potuit vocabulorum omnium et odiosum fuit relationem ipsam facere longiorem. quod ait legimus, verbum est nauticum; nam legere aiunt, cum colligunt funem, legere dicunt, cum pelagi prolixa transmittunt. hoc ipsum legimus ad omnis insulas et ad freta pertinet. crebris ideo, quia hoc faciebat multarum vicinitas insularum. *nauticus exoritur vario certamine clamor:* vel morem nautarum expressit vel eorum gaudium qui suffragantibus elementis ad prospera sperabant se esse venturos. vario, inquit, certamine; in navi enim varia sunt officia et tamen omnia cum certamine et labore. *hortantur socii Cretam proavosque petamus:* credebant enim ad ea loca confestim se esse venturos unde Troianum genus dicebatur exortum. *prosequitur surgens a puppi* 130 *ventus euntis, et tandem antiquis Curetum adlabimur oris:* ipse est ventus prosperior et vehementissime necessarius qui puppim navis inpellit. quod autem dixit tandem adlabimur, cum Anchises dixisset „tertia lux classem Cretaeis sistet in oris", non prolixae aut tardae navigationis fuit, sed cupiditatem desiderantium voluit demonstrare; tardum est enim cupientibus, etiamsi celeritate summa ad optata vel sperata perveniant. *ergo avidus muros optatae molior urbis:* avidum dixit non avarum, sed (haec enim otio consentiunt et ab otiosis fieri consuerunt) rem instituendam satis properantem. *Pergameamque voco et laetam*

---

9 *pertinent* LR corr. ed. 10 *exori* LR *exoritur* r. 14 *et tamen* LR *et* om. ed. 15 *certabantur* L *certabant* R *certabatur* H edI *certabantur* O *credebatur* edF *credebant* nos (propter *se esse venturos*). 17 *dicibantur* LR *dicebatur* r ed. 19 *est* om. edF. 25 *proveniant* LR ed. *perveniant* corr. vel R ipse vel r. 26 *enim* LR om. ed. parenthesi non agnita. 27 post *consentiunt* spatium septendecim litterarum vacat in R nihil desideratur. *sed haec — consuerunt* expunxit vel R ipse vel r. | *consueverunt* ed. | *sed* supra expunctum ante *rem* inseruit r.

*cognomine gentem,* ut Pergamei vocarentur quibus Troia dederat nomen. *hortor amare focos:* ut haberent cum laribus novis adfectum. *arcemque attollere tectis:* quae praecipue amavit in Troia haec reparare cupiebat et arcem
135 in altum ducere. *iamque fere sicco subductae litore puppes:* ubi aqua maris finitur litus dicitur, ita et finis terrae quae litori iungitur pelagi litus dixit. propterea subductas navis dicit fuisse et in sicco litore constitutas, quia, ut dictum est, est et udum litus. *conubiis arvisque novis operata iuventus:* subductis navibus tamquam in loco mansuri conubiis et rei rusticae operam dabant, hoc est qui iuvenes erant iungebantur uxoribus vel insistebant culturae agrorum, quae res ostendebant plenam fiduciam commanendi. *iura domosque dabam:* aut leges vivendi et domos aut ipsarum domorum iura hoc est dominia legibus deputans. quod paratae urbi defuerat hoc solum decreverat Aeneas addendum, muros, arcem, Pergamum, aliud pertinens ad tuitionem commanentum, aliud quod adfectum locorum quae in Troia dilexerat demonstraret. *subito cum tabida membris corrupto caeli tractu miserandaque venit arboribusque satisque lues et letifer annus:* generalis quidem malorum propositio, sed aperitur sequenti specialitate discussa. securis, inquit, ac dispositis omnibus repentina morbi calamitas gravis omnibus fuit et perniciosas attulit causas; nam ex aeris corruptione lues exorta contagionem inflixerat diram non tantum humanis corporibus verum etiam arboribus et his omnibus quae victus causa fuerant Troianorum laboribus sata; supra enim dixit

---

1—2 *Troia deerat* L *Tr. deerant* R *n* del. ipse *Troiae deerat* H ed. *Troia dederat* O hoc recipiendum putavi. 6 *finis* acc. est, sed *finem* malim: de litore maris cf. 10, 223. 7 *quae* LR *qua*? | *litore* LR ed. *litori* r. 9 *est est* L alterum *est* om. R add. r. 13 *cultores* LR *culturae* r edF. 17 *muros arcem pergamum* LR *m. et a. ut P.* ed. addens *referre viderentur,* quod non habent LR. | *pergama ut* r. 18 *tutionem* LR corr. r′. | *commanentium* ed. 24 *fuit et* R *fuisset* L om. ed. 24—25 *pernitiosas a. causas* LR ed. *-sos a. casus*? 27 *his* LR ed. *iis*?

arvisque novis operata iuventus. defecerant quoque arbores, herbae et quodquod protulerat terra. ad haec mala etiam illud accesserat, ut languore ipso correpti non evaderent. et letifer annus: aut per totum annum homines sunt mortui aut annus diem letalem rebus omnibus attulit. enumerat iam evidenter quot mala ex illo principali malo exorta sint. *linquebant dulcis animas aut aegra trahebant corpora:* aut moriebantur homines, ait, aut corporibus tabe dissolutis trahebant miserabilem vitam. *tum sterilis exurere Sirius agros:* Sirius cum exoritur, omnia quae terra gignit exurit et facit eam sterilem, ut ipse est, adimendo quae portat. tantum denique in omnia invaserat malum, ut nonnullis perditis nec illis spes salutis retinendae esse posset qui se evasuros forsitan credidissent. *rursus ad oraclum Ortygiae Phoebumque remenso hortatur pater ire mari veniamque precari:* pater, inquit, meus, quia et aetate et sapientia atque exercitatione ceteros anteibat, primus sensit aliquid factum contra praescripta responsi, proinde dicebat ad Apollinem repetita navigatione redeundum, ut errati venia peteretur. *quam fessis finem rebus ferat, unde laborum temptare auxilium iubeat, quo vertere cursus:* ediceret laborum finem finiendisque ipsis laboribus unde provenire auxilium posset vel in quem locum iuberet cursus navigationis inflecti. iubeat in medio positum est et tenet omnia omnibusque desideratis aptatur.

*Nox erat et terris animalia somnus habebat:* quae dixerat Anchises faciunda nox interveniens distulit. denique omne animalium genus pro necessitate naturae ac temporis dormiebat. *effigies sacrae divum Phrygiique pe-*

---

2 *et quodquod* LR cf. 9, 89 *et quidquid* r ed.; fortasse *quotquot* deleto *et*? 5 *annus diem letum* LR ed. *a. d. leti* R ipse in rasura *annis dies letum* r′ ut videtur *diem letalem* nos. 6 *quod* LR *quot* r *quae* ed. 11 *ut ipse est* LR ed. *cuncta simul* r′. 12 *portabat* ed. 13 *retinenda* LR *-dae* ed. 15 *oraculum* LR. 16 *quia* LR ed. *qui* r. | *et aetate* om. ed. 20 *quam* LR *quem* ed. | *ferat* LR *afferat* r. 21 *temtare* LR *temptari* r. 27 *faciunda* L *facinda* R *facienda* ed.

*nates, quos mecum a Troia mediisque ex ignibus urbis extuleram, visi ante oculos adstare iacentis insomnis [multo manifesti lumine]:* virtutes animi sui et meritum iuxta deos omni occasione commendat et subtiliter praefert. dormientibus quippe omnibus animalibus et conpetenti tempore iam quietis solus . . . . . . prope pervigil fui et, licet iacerem, arcebant tamen ab oculis meis plenum diversae sollicitudines somnum; repente apparuerunt deorum imagines sacrae, illorum scilicet quos medio Troiae flammantis incendio rapui et mecum sustuli, ac reddentes meritis vicem in conspectu meo manifestissimi visi sunt constitisse. ne contra superiora locutus videretur (dixerat enim noctem fuisse ac per hoc tenebras) addidit *qua se plena per insertas fundebat luna fenestras.* inde, inquit, fuit per noctem lumen maximum qua luna fenestris patentibus pleno orbe oculis meis apparebat obiecta. locus iste et alium admittit intellectum, ut a diaeresi dixerit in somnis, hoc est ut somnians videret claritatem lunae et deos ipsos velut loquentis audiret et videret praesentis lumen praestantibus radiis lunae. *tum sic adfari et curas his demere dictis:* ne ulterius curis recurrentibus frangerer, his verbis . . . . .: *quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo est, hic canit et tua nos en ultro ad limina mittit.* ne cumulatus geminis discursibus labor te rursus ad Ortygiam revocet atque eadem quae transmiseras maria in-

---

2 *iacentes* LR. | *insomnis* scripsi propter interpr. | *multo* — 3 *lumine* deest in LR, sed explicatur. 4 *profert* ed. 5 *omnis* R corr. r. 6 *inquit* post *solus* desidero, quare lacunam signavi. 10 *reddentis* LR *-tes* r ed. 11 *meis* LR *meritis m.* edF *meritis* nos. 12 *ne* LR *et ne* r′. 15 *qua* LR *quia* r′. | *fenestras* R *-tris* r. 16 *locus* — 18 *lunae* partim om. partim mut. ed. 17 *et alium* R *est a.* L. | *sivelectum* LR *intellectum* r. | *adderetur* LR *a diaeresi* nos. | *dixerit* LR *dixerat* r′. 18 *desit lunae* LR *dein l.* r ex *clerit* ortum puto, quia *d* et *cl* et alibi (cf. 9, 306) permutatae sunt, quare *claritatem* emendavi, si quidem in LR trunca verba, quae archet. habuisse videtur, persaepe occurrunt. 22 post *verbis* aliquid excidisse patet *locutus est* absurde interpol. ed. *alloquitur* non minus inepte r′.

petrandi alterius responsi necessitate cogaris intrare, ultro quae desideras Apollo porrexit. habes numinis eius grande conpendium, ut hic nobis referentibus discas quod cum ingenti laborum iactura fueras cogniturus. ecce quantus erga te numinis favor: non rogas et favetur desiderio tuo, non navigas, domus quoque non egrederis limen et dei iussa famulantibus diis ad auris tuas animumque portantur. pone istam qua vexaris cogitationum molem et qui loquamur quidve referamus adverte: *nos te Dardania incensa tuaque arma secuti, nos tumidum sub te permensi classibus aequor idem venturos tollemus in astra nepotes imperiumque urbi dabimus: tu moenia magnis magna para longumque fugae ne linque laborem.* post errorem primi responsi sic Aenean instrui convenerat, ut omni ambiguitate summota et qui loquerentur et quae referrent evidenter audiret et cerneret. debuit enim ad haec perferenda talium adhiberi persona, ut incredibilia et mira dicturis facillime crederetur. denique ipsi enumerant beneficia sua et novissime etiam praesentis temporis sociant commemorantes praeterita ac meliora in futurum et grandia pollicentes nepotibus et eorum posteris profutura. sic enim et primo Apollo ipse praedixit (97): „hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris et nati natorum et qui nascentur ab illis“. hortantur quin etiam ne sit laboris inpatiens et arte mirifica conponunt eius animum, ut futura quamvis laboriosa libenter audiret. artis igitur fuit excludere ante omnia sollicitudinem primam et liberato angoribus animo sic alterius navigationis labores ingerere. denique purgato ad plenum adflicto dudum maeroribus corde facienda in

---

2 *nominis* LR ed. *numinis* r inferius item ubi corr. ed. 6 *domus* LR *domo* ed. 7 *portatur* LR ed. 8 *his iam* LR *hic i.* r *hanc i.* ed. *istam* nos. | *qui loquamur* LR *quid l.* r ed. 11 *tollimus* R corr. r. 15 *et qui* LR *ut qui* ed. *ut* del. ed. post. | *loqueretur* LR corr. r ed. | *audisset* R. 18 *novissima* ed. 21 *postibus* LR *nepotibus* r *viventibus tuis* ed. (pro *tuis* ed. post. *tum*). 24 *hortatur* LR corr. ed. 28 *sic* LR *si* edI om. edF. 29 *et adflicto* LR ed. *et* delevi.

praesenti vel futura narrantur. *mutandae sedes:* suffecerat hoc solum dixisse, ut sciret sibi esse migrandum, dicunt tamen causam nec suam, sed Apollinis esse iussionem. quod ut nosceret, *non haec,* inquiunt, *tibi litora suasit Delius aut Cretae iussit considere Apollo.* ecce iam ex aperto fit certior, ne rursum vexaretur incertis, et insinuatur regio imperio eius et posterorum successionibus debita sic instructa et plena narratione perspicua, ut vocabulis, signis, uberrimo locorum situ, incolarum fortitudine, decursa quoque saeculorum omnium origine signaretur: *est locus, Hesperiam Grai cognomine dicunt, terra antiqua, potens armis atque ubere glebae. Oenotri coluere viri, nunc fama minores Italiam dixisse ducis de nomine gentem.* quam multa dicta sunt paucis! sed haec veterem tenent ordinem rerum. veniunt dehinc ad eam partem in qua falsus Anchises simile quidem, sed non necessarium senserat, ut ostenderent non Apollinis in causa responsi, sed interpretantis errore laboris vacui vitium esse contractum. *hae nobis propriae sedes:* bene inquiunt hae nobis; supra enim dixerant „tu moenia magnis magna para". et quia responso tenebatur „quae vos ab stirpe parentum prima tulit tellus eadem vos ubere laeto accipiet reduces, antiquam exquirite matrem", hanc partem manifestissime disserunt dicentes: *hinc Dardanus ortus Iasiusque pater, genus a quo principe nostrum.* hos dicunt in Italia genitos, sed Iasium temporis antiquioris: mater ergo Italia est et maiores Iasius et Dardanus, a quo Dardani dicti sunt Troiani. *surge age et haec laetus longaevo dicta parenti haut dubitanda refer, Corythum terrasque requirat Ausonias, Dictaea negat tibi Iuppiter arva:* refer, inquiunt, patri tuo, cui antiquitatis perito ac tali non convenerat falli

---

3 *causam nec iam sed* LR *c. n. suam s.* r *c. et* ed. 5 *consedere* LR corr. r. 10 *signaretur* LR ed. *signetur*? 12 *onutri* LR. 13 *minoris* LR. 21 *ab* om. LR *a* r ed. 24 *disserunt* LR *dixerunt* ed. 26 *est* om. ed. 29 *requirat* LR *require* ed. 31 *qui antiquitatis merito aetati* LR edI *cui a. m. aetate* r *quem a. m. et aetate* edF *cui a. perito ac tali* nos.

in ratione cursus originis suae, Italiam potius et Corythum petat. ceterum Iuppiter, qui Cretae peculiaris amator est, nobis penitus ipsam denegat sedem. surge et age hortantium verba sunt et hinc Aeneas ostenditur per somnium vidisse et audisse quae superius dicta sunt, quamvis alii sic exponant, ut insomnis quasi sine somno ac per hoc vigilans intellegatur. surge igitur et haec laetus dicta longaevo parenti indubitanter expone: recte positum laetus refer, quia in lucro fuit labor navigandi ad Ortygiam et oblata omnia perspicua narratione perceperat. longaevo cum reprehensione occulta posuerunt, quia errare non debuit senex in originis suae causa. *talibus attonitus visis et voce deorum:* duo quippe extiterant miranda, deos videre obtutu et loquentis audire; quibus, inquit, ita se habentibus attonitus factus sum hoc est pavore praesentium numinum stupui. *nec sopor illud erat:* non enim pleno somno haec aut videram aut audieram. *sed coram agnoscere vultus velatasque comas praesentiaque ora videbar,* ut fit cum non plene vigilatur nec plene dormitur. accedebat eo quod sic venerant manifesti, ut dubitatio nulla ex parte potuisset existere: vultus idem illis fuerat quem noveram, comae opertae ex more et ora manifesta. *tum* 175
*gelidus toto manabat corpore sudor:* ecce alti pavoris indicium; ut enim toto corpore stupuerat, sic et omni ex parte membrorum sudor frigidus manabat in eo. quod dixit sudor manabat, ostendit inmoderatum fuisse et ultra humanum morem. hic illud debet adverti ex frigido corpore tantum sudorem exisse, cum constet hunc caloribus provocari consuesse. omnia haec confirmationis sunt, quod

1 *in* om. ed. *ut* r. 6 *exponantur* L *-atur* R *-ant* r ed.; an *ab aliis?* 7 *intellegitur* LR corr. r ed. 8 *longevus parentis* LR corr. et *dicta* transpos. r. | *rectum positum* LR *laetum responsum* vult r *recte pos.* ed. 11 *qui* R *quia* r = L. 12 *causae* R corr. r. | *visis* LR *iussis* ed. 14 *optata et* LR *et optata* r *opt.* om. ed. *obtutu* nos. 16 *ne* LR *nec* r. 19 *ut sit* ed. | *vigilaret* LR ed. corr. r. | *dormiret* ed. 27 *debita ducti* LR *debet adverti* r *demonstratur* ed. 28 *sudore* LR corr. ed.

Aeneas deos praesentis ut vigilans et viderit et audierit. *corripio e stratis corpus:* usque adeo ostendit prope vigilantem, ut diceret corripio corpus e stratis, ceterum poneret expergefactus sum et somnio considerato surrexi. corripio e stratis corpus expressit festinantem; rem enim satis oportunam proventumque eius expletum narrare cupientem non debuit sic describere stratum reliquisse quomodo relinquit ille qui nulla dicti aut facti necessitate constringitur. rapio, inquit, e stratis corpus *tendoque supinas ad caelum cum voce manus:* licet aliunde venisset beneficium, tamen omnibus diis referebat gratiam tendendo manus ad caelum. *et munera libo intemerata focis:* munera sunt vinum et tus, haec tradidit focis. *perfecto laetus honore Anchisen facio certum remque ordine pando:* conpletis, inquit, divinis obsequiis Anchisen facio certum, certum ideo, quia primae interpretationis vitio probabatur incertus. hic Vergilius ostendit divinas admonitiones referendas non esse, nisi primo per sacrorum et precis obsequia diis fuerint commendatae, ut prosperentur uberius, si bonae sunt, si malae, mutentur in melius. laetus perfecto honore: laetum possumus intellegere, primo quod sic pertineret ad deos, deinde quod labores secundae navigationis effugisset, postremo quod instructus evidentibus
180 et perspicuis monitis nihil iam formidaret incerti. *agnovit prolem ambiguam geminosque parentes [seque novo veterum deceptum errore locorum]:* errorem fecerat exempli duplicis ratio, quam Anchises post erratum relatione fili cognovit. Teucer enim et Dardanus in origine parentes fuerant Troianorum, sed antiquior Dardanus. hunc ergo sequi Anchisen convenerat, qui Italus fuit, non Teucrum Cretensem.

---

1 *videret et audirit* LR *-ret* ed. 2 *e* om LR, sed habent infra, add. r. 6 *oppotam* LR *optatam* r ed. *oportunam* nos. 7 *estratum* LR *stratum* r *et str.* ed. 9 *ratio* LR *corripio* r ed. *rapio* nos. | *ratis* LR *e stratis* r ed. 14 *ordine* in *ordone* corr. L quod exhibet R. 16 *probatur* ed. 20 *sint* ed. | *melius* LR *bonum* ed. 20—21 *laetus perfecto* LR inverso ordine edF. 21 *prima* LR corr. r ed. 22 *perteniret* LR. 25 *seque* — 26 *locorum* deest in LR, sed explicatur.

idcirco igitur Anchisae error exortus est, quia antiquior fuit memoria Dardani et vehementer obscura, Teucri vero vel levi opinione conperta. sed Apollo non originem posteriorem, sed antiquam dixerat requirendam, dicendo quippe antiquam quaerite ostendit fuisse et recentiorem quae non esset Troianis debita; noverat enim et primam fuisse et secundam. *[tum memorat:] nate, Iliacis exercite fatis:* non dixit quod ipse Aeneas proprio fato laboraret, sed quod fato patriae esset oppressus. haec fuerunt ante causam; parabat enim errori suo defensionem, ut laborem inritae navigationis ad Cretam Troiae fatis adnecteret. incipit iam purgare factum suum, ex quo intellegebat se gravi invidia laborare iuxta eos qui laboraverant frustra. enititur illa arte dicendi qua uti debemus, si quando factum negare non possumus; tunc enim excusatio probabilis adhibenda aut extenuatio necessaria est, quae res tantum prodest, ut culpam aut removeat penitus aut plurimum frangat. hanc ergo purgationem ingreditur sic: *sola mihi talis casus Cassandra canebat (nunc repeto) haec generi portendere debita nostro.* haec, inquit, deberi generi nostro et hos casus nobis imminere, sicuti nunc recordor, sola mihi praedixerat Cassandra. *sed quis ad* 186
*Hesperiae venturos litora Teucros crederet? aut quem tum vates Cassandra moveret?* monitu quidem Cassandrae ista omnia aliquando audieram, sed in unum convenerant quae fidem dictis illius facere non possent: primo quod quicquid illud fuerat uni credi non debuit; huc accedebant alia quae inpossibilia putabantur, scilicet Troianos venturos ad Italiam relictis originalibus terris, subituros quoque prolixae navigationis incerta; postremo quod re-

1 *antiquice* R *-ior* r = L. 3 *velle vi* LR *vel levi* nos cf. 12, 520 *velle videbantur* ed. 5 *quae rite* ed. inepte: *quaerite* pro *exquirite* Don. ex memoria scripsit. 6 *esse* R *esset* r. 7 *tum memorat* deest in LR add. ed. 14 *enitetur* R *et nititur* r. 15 *tactum* LR *factum* r *totum* ed. 18 *ingrediturus sic* LR corr. r ed. 20 v. 185 deest in LR neque explicatur, add. ed. 23 *speriae* R corr. r. 24 *monito* LR. 27 *huc* L *hunc* R. 30 *quod* LR *quoque* ed.

sponsis eius non habendam fidem divina fuerat sententia pronuntiatum. erroris igitur sui excusatione conpleta . . . *cedamus Phoebo.* quia de Cassandra loquebatur, non dixit consentiamus responso Cassandrae quod aliquando audivi, sed cedamus Phoebo. *et moniti meliora sequamur:* sequamur potius quae ipse Apollo melius intimavit et sequenda commodiora constituit. pronuntiatio talis esse debet, ut separatim dicamus moniti, separatim meliora sequamur. *sic ait et cuncti dicto paremus ovantes:* dicto paremus aut Apollinis aut certe Anchisis qui illi consenserat. ovantes: quis enim non gauderet adempto labore ad Ortygiam navigandi iturum se ad certa et optima? *hanc quoque deserimus sedem,* sicuti ante. *paucisque relictis vela damus:* non voluntate cuiusquam relictis, sed mortis necessitate remanentibus; supra enim dixit, cum luis contagionem describeret, „linquebant dulcis animas“ hoc est moriebantur.

*Postquam altum tenuere rates nec iam amplius ullae apparent terrae, caelum undique et undique pontus:* copiosa descriptio, in qua una atque eadem res est dicta frequentius diversa et splendida conpositione verborum. *tum mihi caeruleus supra caput adstitit imber noctem hiememque ferens et inhorruit unda tenebris. continuo venti volvunt mare magnaque surgunt aequora, dispersi iactamur gurgite vasto, involvere diem nimbi et nox umida caelum abstulit, ingeminant abruptis nubibus ignes. excutimur cursu et caecis erramus in undis. ipse diem noctemque negat discernere caelo nec meminisse viae media Palinurus in unda. tris adeo incertos caeca caligine soles erramus pelago, totidem sine sidere noctes, quarto terra die primum se attollere tandem visa, aperire procul montis ac volvere fumum:*

---

2 *conpleta* LR *ait* excidisse puto *inquit* post *Phoebo* inseruit ed. 8 *sequimur* R corr. r. 10 *Anchisis* (v. 181 *Anchisae*) LR *-sae* ed. | *illi consenserat* LR *illico senserat* male distinguens ed. 12 *iturum* LR *iterum* male distinguens ed. | *optima* LR *venturum* interpol. ed. 13 *deserimusq sedem* R. | *sicuti cete* LR *s. ceteras* r *s. Cretae* H edI *s. Thraciae* edF *s. ante nos* (*ceteras* ne accipiam pluralis prohibet). 16 *movebantur* LR *morieb.* r ed. 19 *atque* LR *et* ed.

egregie descripsit quae navigantibus accidunt, cum uno inpulsu omnia simul elementa turbantur. in qua ipsa descriptione et initium tenuit et augmenta descripsit et finem. quippe tum mihi caeruleus supra caput adstitit imber initium est, dehinc quae consequuntur ostendunt augmenta violentiae: noctem hiememque ferens. ex his quoque quae exorta sint enumerat breviter: inhorruit unda tenebris, continuo venti volvunt mare magnaque surgunt aequora. dispersi iactamur gurgite vasto; agebantur enim non arte navigandi, sed qua diversorum ventorum flatus urgebant accedente etiam eo quod ait involvere diem nimbi et nox umida caelum abstulit. ecce iam si possent aliquid contra maiorem vim, providere non poterant; tulerant enim diem nimbi hoc est removerant lucem, nox quoque umida obtentu nubium abiuraverat sidera, quae viam in fluctibus monstrant. ingeminant abruptis nubibus ignes hoc est crebrae fuerant coruscationes, sicuti fit cum est elementorum magna turbatio. excutimur cursu et caecis erramus in undis: excutimur ubicumque ponit Vergilius, nimiam facti necessitatem significat ut (1, 115) „excutitur pronusque magister volvitur in caput", item (2, 302) „excutior somno". et caecis erramus in undis: non undis caecis, sed hominibus, undis ipsis non videntibus, et qui nullo cum adfectu rapiebantur. erramus, inquit, pelago: qui errat in latitudine, vel maxime pelagi, et plus currit quam necesse est et inani labore consumpto ad destinata non pervenit. ipse diem noctemque negat discernere caelo nec meminisse viae media Palinurus in unda: violentiae ipsius mire conclusit augmenta adserens tantam fuisse rerum confusionem, ut ipse Palinurus dies ageretur an

---

1 *accedunt* LR corr. r ed. 6 *videntiae* LR *evidentia* r *violentiae* ed. 10 *qua* LR ed. *quia* ed. post. 12 *possent* R *possint* L. 21 *volvimus* R corr. r. 23 *undis ipsas* LR *undas ipsas* ed. *undis ipsis* nos (cf. 2, 453 ad *caecae fores* quod dicit *neque enim oculos habere potuerunt*). 24 *affectu* LR *effectu* r: mihi etiam *et qui* suspectum est *qui nullo cum aspectu r.* emendandum puto. 25 *qui erat* LR *q. errat* r *quia erat* ed. | *plagi* LR corr. r ed.

nox evidenter pronuntiare non posset. quod autem ait ipse, hoc in pronomine vult intellegi: ipse Palinurus peritissimus gubernator, ipse qui regendorum navigiorum arte pollebat, ipse qui vias in fluctibus et diligentiore cura rationem siderum noverat, ipse cuius magisterio gubernatores ceteri regebantur. apparet ergo, ut saepius diximus, in pronominibus esse plerumque maximum intellectum. ipsum autem Palinurum ducem fuisse ceterorum in pelago alio in loco (5, 833) positum constat quo dictum est „princeps ante omnis densum Palinurus agebat agmen, ad hunc alii cursum contendere iussi". tris adeo incertos caeca caligine soles erramus pelago, totidem sine sidere noctes, quarto terra die primum se attollere tandem visa aperire procul montis ac volvere fumum: descriptis omnibus quae orta tempestas et aucta perfecerat defectus eius et finis ostenditur, cum addit *vela cadunt, remis insurgimus, haut mora, nautae adnixi torquent spumas et caerula verrunt:* conparationem fecit praesentis temporis et praeteriti: in tempestate enim mare ipsos agebat invitos, sicuti dixit „excutimur cursu", nunc ipsi, quoniam ventorum successerat quies et montes ac fumus videri coeperant vanescente caligine, remis undas urgebant, ut ad litus procedere potuissent. interea diligenti ratione tractandum est, ut ostendamus poetam non posuisse contraria; fecit enim quaestionem quandam non attente legentibus dicendo „ipse diem noctemque negat discernere caelo", „involvere diem nimbi et nox umida caelum abstulit" et ipse dixit „tris adeo incertos caeca caligine soles erramus pelago, totidem sine sidere noctes", ipse rursum posuit „quarto terra die primum se attollere tandem visa". quemadmodum igitur dierum colligi numerus potuit, si dies noctesque discerni nequiverant? possumus hunc locum hac ratione dissolvere,

9 *quod* LR ed. *quo* nos. 10 *princeps — omnis* om. ed. 11 *cursum* L *culmen* R corr. r = L. 15 *defectus* in rasura r. 21 *montes ac fumus videri coeperant* LR *fumus minui coeperat* ed. 22 *remi* LR *remis* r ed. 24 *poeta* L. | *potuisse* LR *posuisse* r ed.

ut dicamus poetam obscuritatem aeris ventis saevientibus factam nimium satiare voluisse: ceterum qui fieri potuit per diei tempus sic accidere tenebras, ut inter ipsas et veram noctem nihil interesset? memor tamen poeta ipse „tris adeo“, inquit, „caeca caligine soles“, ut probaret fuisse in caligine aliquid lucis quod dierum tempora separaret a noctibus. vel certe sic intellegi potest dierum et noctium numerus, quia dixit crebras fuisse coruscationes, quae ruptis nubibus stellas possent demonstrare vel solem.

*Servatum ex undis Strophadum me litora prima acci-* 210
*piunt:* non vult videri perseverasse malam fortunam, sed nec in totum prosperam provenisse. procuraverat quippe ut eos opulentum litus exciperet, quod procul dubio prosperum plenissime foret, si illis in locis harpyiae non fuissent, quas post Phinei casum regiones ipsas occupasse constabat. *Strophades Graio stant nomine dictae insulae:* me, inquit, insulae Graeca lingua .......... nominatae acceperunt. *quas dira Celaeno harpyiaeque colunt aliae, Phineia postquam clausa domus mensasque metu liquere priores:* priores ...... cum dicit harpyiaeque colunt aliae, constat quod etiam Celaeno harpyia fuisset et haberet consimilis alias. hae, inquit, post Phinei casum illa loca tenuerant. *tristius haut illis monstrum nec saevior ulla pestis et ira deum Stygiis sese extulit undis:* propter unam, 215
quae illis multa adversa nuntiaverat, execrabatur omnis. nihil, inquit, peius ab inferis potest exoriri quam sunt harpyiae et dicit causas. *virginei volucrum vultus:* hoc non esset monstruosum, si cetera convenirent. *foedissima ventris proluvies:* ipsarum solita scilicet, quae nihil in

---

1 *ventis* om. edF. | *saevientis* edF. 2 *qui* LR *quia* r. 9 *stillas* LR corr. r ed. 10 *prima* LR *primum* ed. 14 *arpygiae* (et infra) LR. 16 *strofade* LR *s* add. r. 17 *me* LR *hae* r. | *Strophades* post *lingua* excidisse videtur. | *nominatae* R *nomina* L. 20 *priores* bis scriptum in LR post secundum lacuna sex litterarum in R fortasse *fineias*? lacunam signavi. 22 *hae* L *hac* R *haec* r ed. 23 *tenuerant* LR *-runt* ed. 29 *ipsorum* R *-arum* r = L. | *soli* LR om. ed. *solita* nos. | *in* om. ed.

interioribus suis morari paterentur, effundunt, inquit, statim quicquid victus causa perceperint. *uncaeque manus:* armatae ad rapiendum non industria, sed natura. *et pallida semper ora fame:* quarum enim venter non retinebat cibum non tantum non satiabantur, sed semper patiebantur famem atque ex ea pallor succedebat. cuncta haec idcirco descripsit, quia omina ipsarum dicturus est sibi ac suis fuisse contraria. *huc ubi delati portus intravimus, ecce laeta boum passim campis armenta videmus caprigenumque pecus nullo custode per herbas. inruimus ferro et divos ipsumque vocamus in partem praedamque Iovem:* omnia, inquit, in unum convenerant quae nos illorum animalium armenta et greges invadere provocarent, diversitas generis, abundantia, pinguedo, quam ingentes herbae procuraverant, custos nullus qui prohibere posset invadentis. dedit autem diversa nomina diversis animalium numeris. armenta quippe appellavit boves, pecora autem capros, ut ostenderet nec boves pecora dici posse nec capros armenta. mox, ait, exerere coepimus ferrum, mactare quantum libuit, tantum superfuit copiae, ut et nostris usibus alimonia superesset et diis atque ipsi Iovi fieret portio, ut quod fiebat inlicitum esset nobis commune cum superis. *tum litore curvo extruimusque toros dapibusque epulamur opimis:* tacuit de apparatu epularum, quem descripsit in primo libro (210) de cervis; illic enim latus fuit poeta, quia nulla necessitas quaerebat brevitatem, hic, hoc est apud Didonem, colligenda narratio erat propter noctis tempus et omnium qui auditores aderant requiem; dixit enim supra (2, 11) „et breviter Troiae supremum audire laborem“. ergo cum dicit occidimus et coepimus epulari, ostendit parata ordine suo quae mandi potuissent. extruimusque toros: in primo libro (214) dixit poeta

2 *perciperint* LR *receperint* ed. 7 *describit* ed. 9 *vidimus* LR. 10 *nullus* R corr. r. | *herbas* LR *-bam* ed. 14 *pinguido* L *pingydo* R *pinguedo* r. 17 *capros* (et infra) LR *capras* ed. 21 *diovi* R *iovi* r. 25 *latus fuit* LR *clare dixit* ed. 31 *parato* LR *parata* r edF.

„fusique per herbam“, quia lassitudine et fame naufragi urgebantur, hic dicit extruimusque toros, quia in magna copia herbarum nihil magnum fuerat congeries caespitum struere quibus discumbi posset et non magna properandi ad epulas necessitas urgebat. *at subitae horrifico lapsu* 225 *de montibus adsunt harpyiae et magnis quatiunt clangoribus alas diripiuntque dapes contactuque omnia foedant inmundo, tum vox taetrum dira inter odorem:* venerunt harpyiae inprovisae de montibus sonitu alarum horribilem metum incutientes et quae erant omni corpore inmundae diripuerunt uncis pedibus omnia et suis contactibus polluerunt, diro odore oppleverunt omnia, sic vocis execrabilis horruerunt sono, ut essent procul dubio fugiendae. *rursum in secessu longo sub rupe cavata arboribus clausi* 230 *circum atque horrentibus umbris instruimus mensas arisque reponimus ignem:* denique, inquit, propter eiusmodi detestabilis formas petivimus secessus longitudine et densitate arborum tutos, quo facile, ut putabamus, adire non possent aut volare inpeditae ramis arborum et umbra silvarum, et sub cava rupe, quo tutiores essemus, novavimus toros et repetivimus cibum, aris quoque ignem restituimus, hoc est iterum sacrificavimus. *rursum ex diverso caeli caecisque latebris turba sonans praedam pedibus circumvolat uncis.* nihil, inquit, profuit omnia providisse; nam per insperatas caeli partis et occultas latebras rupium quicquid adpositum fuit uncis pedibus rapuerunt. uncis dixit tenacibus, quia quae recta sunt aliquid tenere non possunt. *polluit ore dapes:* ne reliquiae remanentes in usus hominum proficerent, gnara quod vitium etiam in ore haberet polluit dapes. *sociis tunc arma capessant edico et dira bellum cum gente gerendum:* deficiente, inquit, 235

---

2 *extremusque* (supra recte) LR. 3 *congeriem* ed. 5 *uegebat* R *urg.* r. 7 *contactumque* L. 9 *inprovisaeadem* LR. 10 *et qui* LR *et quae* ed. 12 *diro* LR *et d.* r *et taetro* ed. 13 *horruerunt* LR *Troianos horr.* ed.! 17 *successus* LR *secessus* r ed. 28 *remantes* R corr. r. 29 *gnara* R *gnarae* L *ore hoc est* ed.

industria latebrarum iubeo sociis arma capiant, ut cum dira gente bellum gereremus. addendo dira gente excusavit crimen violentiae, quam Celaeno faciens pro causa sua plenissime prosecuta est dicens Troianos persecutores innocentium harpyiarum. *haut secus ac iussi faciunt:* illi, inquit, non aliter fecerunt ac iussi. iussi verbum est, non participium. *tectosque per herbam disponunt enses et scuta latentia condunt:* scilicet ut insidias harpyiae non viderent. hic quoque narrandi conpendio usus est; solum enim gerendum cum harpyis bellum praedixerat sociis et arma caperent, non tamen ut haec contegerent herbis, sed illi fecerunt ingenio suo; sapientibus enim locutus fuerat.

245 *una in praecelsa consedit rupe Celaeno infelix vates rumpitque hanc pectore vocem:* in praecelsa rupe, quoniam viderat parari armorum violentiam. *bellum etiam pro caede boum stratisque iuvencis, Laomedontiadae, bellumne inferre paratis?* invectio, quam oportuit non habere principia; fuit enim irascentis. cum vos, inquit, nobis poenas pro inlata violentia debeatis, facitis more generis vestri, ut provocetis bello paterna possidentis et ferro innoxias adpetatis. iratae invectio brevis extitit, licet in ipsa brevitate omnia teneantur; nam adseruit personam suam dicendo quod essent innoxiae, deformavit diversae partis appellando Laomedontiadas, quod nomen pro convicio posuit, dixit ipsam causam, iuvencos scilicet stratos caede, et hoc genere proposuit invasionis crimen, dixit etiam criminis ipsius augmentum, ut post inpletam in armenta et greges violentiam etiam de expugnatione dominarum ac nece cogitasse videantur. in ipsa quoque significatione iuvencorum nonnullum ostendit dolorem fuisse; plurimum enim differt, si species invadatur, cum sit meritum nullum. ut maiorem

1 *latebrae uni* L R *l. unum* r *latebrarum* nos *et mutatione* ed. 8 *et ut* R *et* del. r. 11 *et arma* L R *ut a.* r. 12 versus 238—244 non explicantur. 13 *rupitque* ed. 17 *inventio* R cf. 41. 23 *diversae partis* L R (scil. *personam* cf. 2,597) *adversariorum partem* ed. 25 *caede* L R *pro c.* ed. 30 *nonnullum* L R *multum* ed. 31 *cum* L R ed. *cuius?* | *aut* L R *ut* ed.

habeat deprecatio utilitatem, dixit insontis: quid iniquius quam persequi bene viventis et eas quae nihil priores incivile temptassent, quae proprium contra inprosperitatem defendere cuperent? addidit *et patrio harpyias insontis pellere regno?* haec definitio admissi est; factum enim non fuit quod obiecit, sed definiendo quid factum sit pro facto tenet quod fuerat cogitatum. quid est enim armenta et greges invadere, quid armare iuventutem nisi gradatim ad id tendere, ut eriperent alienum imperium non male quaesitum, sed relictum a parentibus? quod autem deesset ultor admissi, ipsa pro ultione ingerit quod esset praesenti poena gravissimum. quid enim est instante supplicio peius quam diu expectare quod metuas? quid saevius duriusque tormentis quam gerere pectore quod animum diuturna expectatione torqueat et omne corpus adfligat? *accipite ergo animis atque haec mea figite dicta:* 250 accipite, inquit, quod mentes vestras adfligat atque animis haec mea dicta figite, hoc est quae infixa vos vulnerent et excrucient conpetenter. verum ne in contemptum venirent quae fuerat dictura, dat illis auctoritatem venientem veluti ex praecepto Iovis et Apollinis iussu, quod eo credibile videri Troianis potuit, quia, cum rursum navigare ad Apollinis oraculum vellent, diis penatibus nuntiis futura didicerunt. ait ergo *quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo praedixit:* praedixit bis accipitur, ut sit quae Phoebo pater omnipotens praedixit, mihi Phoebus Apollo praedixit. *vobis furiarum ego maxima pando:* non

---

1 *deprecatio* LR *depredatio* r (hoc quomodo intellegat r non video, nisi forte *minorem* pro *maiorem* corrigere omisit, nam *aut* non mutavit: quodsi statuas eum voluisse *cum sit m. n. aut minorem h. depraedatio util.*, optime se habet).
12 *gravissimum* LR ed.: quoniam 11, 204 superlativus sequente „quam" legitur, ne hoc quidem abnui potest, superlativum cum ablativo comparationis Donatum coniunxisse, idque 6, 618. 7, 218. 9, 661 affirmant. | *intanti* LR *instanti* L II man. ed. *in tanto* r *instante* nos. 20 *fuerant dictura* LR *f. dicturae* ed. 22 *potuerit* LR in *potuit* corr. L ipse. | *quia* LR *qui* ed.

mea ad vos, sed magnorum deorum auctoritate veniens pando. hoc genere dedit et suae personae aliquam potestatem dicendo maxima sum furiarum, digna procul dubio per quam tristia mandarentur. ut autem hoc quod contrarium fuerat et illis ad poenam proficiens facilius crederent, prospera iunxit adversis dicendo: *Italiam cursu petitis ventisque vocatis. ibitis Italiam portusque intrare licebit:* haec Troianis fuerant optanda, sed contraria novissime posuit, ut de superioribus prosperis crederentur et
255 sumerent fidem. sequitur enim *sed non ante datam cingetis moenibus urbem quam vos dira fames nostraeque iniuria caedis ambesas subigat malis absumere mensas:* ut necessitate famis dirae hoc est crudelissimae atque gravissimae non remedio licito sed sacrilegio subvenirent. has enim mensas dixit quae ex frumento confectae diis penatibus consecrantur. sed hoc genus poenae potuit videri ab ultione harpyiarum esse discretum. addidit Celaeno nostraeque iniuria caedis, ut Troiani scirent velut merito harpyiarum inultum non fore quod fecerant. *dixit et in silvam pinnis ablata refugit:* dixit talia et refugit in silvas nec apparuit postea. *at sociis subita gelidus formidine*
260 *sanguis deriguit:* repentina, inquit, iniecta formidine sociis meis deriguit sanguis, hoc est de vigore suo pulsus est et in frigus ex calore mutatus. *cecidere animi:* fiducia superior animorum adversis debilitata nuntiis concidit. optime posuit cecidere; non enim cadit nisi qui ante fuit in summo. animi igitur Troiani instructi prosperis ex deorum responso perindeque sublimes cecidere, adversa cum sumpsissent. *nec iam amplius armis, sed votis pre-*

4 *hoc* LR *in hoc* ed. 11 *famis* LR. 13 *atque* LR *et* ed. 20 *alata* LR corr. r. 22 *diriguit* ed. | *infecta* LR edI *iniecta* nos *invecta* edF. 24 *ex calore* LR edI *calor est* edF. 25 *occidit* ed. 26 *ns quam* LR *nisi quod* r *nisi qui metus* ed. *n. cui m.* ed. post. *nisi qui ante* nos. 27 *troianorum* r. 28 *perindeque* LR *cum* ed. | *occidere* LR *cecid.* r *accid.* ed. 28—29 *adversa* LR *cum adv.* r *a. cum* nos *adversis diis* cum asterisco ed. 29 *sunsissent* R *sumps.* vel *audissent* r cf. 7, 505.

*cibusque iubent exposcere pacem:* usque adeo conciderant metu, ut adfectu bellandi reiecto censuerint fundendas preces offensis et vota facienda hoc est sacrificia, quibus placari potuissent et veniam dare. *sive deae seu sint dirae obscenaeque volucres:* nec cogitandum in tali causa quae essent auctores dictorum talium vel quales, sed qualia dicta sint considerandum; sive enim essent deae sive monstruosae volucres, respiciendum non esse, dummodo fierent ea quibus inminentia mala removeri possent. *at pater Anchises passis de litore palmis numina magna vocat meritosque indicit honores:* omnibus locis Vergilius primas dat Anchisae consiliorum omnium partis ipsique sacrorum scientiam plenam fuisse commemorat. denique quid significaret procedens ex capite Ascanii flamma ipse prodidit et quemadmodum Polydori piaculum purgari potuisset ipse monstravit, ipsius consiliis steterunt desideria Troianorum. videamus et hic quid consilii habuerit, cum omnes Troiani dicerent sive deae seu sint dirae obscenaeque volucres, placandas esse votis et precibus. ille, inquit, providentissimus non secutus est errorem omnium, qui tractabant superflua, ne omissis veris obsequiis facerent ea quae instanti necessitati prodesse non possent: non rogat harpyiam, quam constabat esse monstruosam, non rogat eam quae se aliorum iussiones pertulisse professa est, non rogat eam quae auctoritatem praeferebat potestatis alienae, rogabat, inquit, magna numina; ipsa enim placanda fuerant, quibus origo feralis nuntii dicebatur exorta. meritosque indicit honores: meritos debemus accipere non delatos harpyis frustra, ut ceteri dicebant, sed diis potissimum convenientis pro magnitudine petitionis et eorum persona qui vere fuerant rogandi aut meritos

---

1 *iubet* LR corr. r. 4 *placare* LR edF *placere* H edI *placari* nos. | *dare* LR vel *impetrare* r′. 6 *vel quale esset* LR *sed quale esset pati* r′ *vel quale esset sed* ed. *vel quales sed* nos. 21 *nec* LR *ne* r ed. 25 *perferebat* LR ed. 27 *quibus* LR ed. *a qu.?* | *dicebantur* LR corr. ed. 29 *filustra* LR *frustra* r *offensis* ed. 30 *potissimis* r. 31 *venere* R *vere* r.

secundum interiorem sacrorum scientiam; ut enim desideriorum genera diversa sunt, ita et vota deprecationesque diversae. haec igitur fuit eius vox atque haec summa
265 petitionis: *dii prohibete minas, dii talem avertite casum.* ne Celaeno conposita vel falsa propter iniuriam suam pertulisset, minas inquit; minae enim quamquam non habeant fixae alicuius sententiae definitionem, tamen etiam veritate cessante, ne omen facerent, petit minas prohiberi; nonnumquam enim accidunt quae ab iratis optantur. dii talem avertite casum: et, si vere talis casus inminet, avertite. ut autem melius probemus et incerta et certa esse potuisse quae dixerat Celaeno atque hoc Anchisen tenuisse, verba ipsa deprecantis consideremus attentius. cum diceret dii prohibete minas, ostendit nihil fuisse dispositum, sed ne oreretur, favorem divinum fuisse necessarium. minas, inquit, prohibete, non inminens malum. talem autem avertite casum, ut, si vere esset casus eiusmodi qui potuisset existere, averteretur. ecce singula singulis dedit: supra dixit prohibete, hic dixit avertite, ut prohiberetur nasci quod non erat, averteretur vero quod credebatur ingruere. *et placidi servate pios,* hoc est recte viventis et cultores vestros. deprecatione conpleta *tum litore funem deripere excussosque iubet laxare rudentis;* fugienda enim illa fuerunt loca in quibus non homines, sed execranda monstra commorabantur.

*Tendunt vela noti, fugimus spumantibus undis qua cursum ventusque gubernatorque vocabat:* dictis talibus ostendit non fuisse navigationem ad aliquam destinatam partem, sed quae esset oportuna fugientibus. fugimus, inquit, qua cursum ventusque gubernatorque vocabat: qui fugiens navigat eo tendit quo duxerit ventus; gubernator quoque quia aliud non potest, vento consentit. incipit
270 iam describere loca quae navigando transiit: *iam medio*

---

4 *prohibente* LR corr. r (et infra). 11 *et certa* om. R add. r. 12 *tenosse* LR *nosse* r *tenuisse* nos *recte nosse* ed. 15 *oriretur* ed. 22 *diripere* ed. 26 *nothi* r. 27 *vocabat* LR, item infra et 5, 2 *-bant* ed.

*apparet fluctu nemorosa Zacynthos Dulichiumque Sameque et Neritos ardua saxis.* nonnullarum insularum non fuit necesse facere mentionem, inveniuntur enim esse superfluae, sed ad necessarias venire non potuit, nisi etiam illas narratio contineret. *effugimus scopulos Ithacae, Laertia regna, et terram altricem saevi execramur Ulixis.* ecce pervenit ad eam revera quam se ac suos gratulabatur evasisse; fuit enim hostilis et quae Ulixem saevissimum nutrisset. *mox et Leucatae nimbosa cacumina montis et* 275
*formidatus nautis aperitur Apollo. [hunc petimus fessi et parvae succedimus urbi, ancora de prora iacitur, stant litore puppes.]* videntur haec cum aliqua ratione posita, quia, cum esset formidabilis nautis, illic Troiani, fatigationis necessitate conpulsi cum ponerent, oportunam refectionem habuerunt, usque adeo ut his et facultas sacrificandi diis occurreret et in honorem Apollinis, cuius tanta beneficia habuerunt, ludis exercendis daretur occasio. idcirco posuit *ergo insperata tandem tellure potiti lustramurque Iovi votisque incendimus aras Actiaque Iliacis celebramus* 280
*litora ludis. [exercent patrias oleo labente palaestras nudati socii, iuvat evasisse tot urbis Argolicas mediosque fugam tenuisse per hostis]:* dictum est iam quae fuerit ludorum causa, dicit quoque quales, ne ob luxuriem facti videantur, quia victis et male peregrinantibus non congruebat exercere vulgaris et turpis. causa igitur celebrandorum ludorum fuit quae est sacrificandi: iuvat evasisse tot urbis Argolicas mediosque fugam tenuisse per hostis; ac per hoc conservatae salutis gratulatio fuit, quod hostilis urbis magnitudine potentis et quam plurimas numero tuti securique transissent. ipsi quoque ludi convenientes viris fortibus, exercent, inquit, patrias oleo labente palaestras nudati socii. in illo spectaculo virtutis fuit artisque

---

1 *duliciumque* LR. | *fameque* R. 6 *ultricem* LR. 10 *hunc* — 12 *puppes* deest in LR, sed explicatur. 12 *videtur* LR corr. ed. 15 *his* L *hic* R. 20 *exercent* — 22 *hostis* addidi eadem ductus ratione qua 1, 25. 23 *luxoriem* LR *luxuriem* r *-riam* ed. 32 *expectaculo* R.

certamen, non tunc primum arreptum, sed a parentibus traditum in Troia. Actiaque Iliacis celebramus litora ludis: in his litoribus, quae victores tenebant, nos, ait, Troiani Iliaco more ludos celebrabamus; tanta enim prosperitas suffragata est. mediosque fugam tenuisse per hostis: sine cuiusquam hostis inpedimento cursum tenuisse gratissimum fuit. *interea magnum sol circumvolvitur annum:* deest per, nam sic esse debuit: per magnum annum sol circumvolvitur. plerumque tamen et deductis praepositionibus tenent 285 locutiones integritatem suam. *et glacialis hiems aquilonibus asperat undas:* ad felicitatem suam dicit pertinuisse ut in ipso loco diutius constitutus nihil hostile persenserit, eo vel maxime tempore quo obsistente hieme fuga non posset evadere. *aere cavo clipeum, magni gestamen Abantis, postibus adversis figo et rem carmine signo:* laudando magnitudinem clipei et eius praeferendo virtutem cui occiso detraxerat spolia se procul dubio laudat quem constabat extitisse victorem. postibus adversis figo, ut venientum oculis etiam cum non quaereretur occurreret et a nullo convelli posset et refixum auferri. ecce adicit laudis suae supplementum dicendo et rem carmine signo. tantum, inquit, otii insperati habuimus in hostilibus terris degentes, ut post omnem laetitiam ac ludorum celebritatem, post inpedimenta hiemis inpune transactae vacuum esset et insultare victoribus scutum figendo in foribus templi et tale scribendo epigramma: *Aeneas haec de Danais victoribus arma.* magna brevitas tituli, sed intellectus uberrima latitudo: Aeneas posuit, Aeneas scripsit, quod fuit ex aperto memorabile, ad illa eum loca venire potuisse, tutum illic fuisse ubi fuerat periculum manifestum, habuisse arma sublata victoribus et in ipsorum sedibus eadem ostentationis causa posuisse, addidisse quoque epigramma quod testaretur scribentis gloriam et eorum qui superiores re-

3 *victor est* LR *victores* r ed. 5 *mediosque — hostes* LR *ut medios f. tenuerit p. h. et* ed. 9 *propositionibus* ed. 15 *carmine* om. LR add. L II man. r. 19 *venientium* ed. 25 *esset et* RL *et* deleri vult r. | *insultaret* LR corr. r edF.

cesserant ludibria demonstraret, cum autem dona huiusmodi apud se victores consecrare sint soliti, Aeneae fortunae provenisse ut apud victores arma ipsis retracta atque erepta victoribus publice conlocaret. *linquere tum portus iubeo et considere transtris:* hoc facto, quoniam ulterius illic remorari contrarium fuit, iubeo, inquit, sociis ut navis in altum promoveant. *certatim socii feriunt mare et aequora verrunt:* obsequentes, ait, iussis meis et saluti propriae consulentes adgressi sunt navigationem. subiungit transitus sui textum discurrens per insularum nomina, non quae necessariae fuissent, sed ut perveniret ad eam quam revera tacere non debuit. hoc loco etiam illud reperiendum est, poetam non considerasse omnium insularum nomina, ne faceret narrationem ipsius continuationis vitio odiosam. inmisit enim commoratum Aenean apud Apollinem diu exhibuisse ludos et Abantis clipeum fixisse postibus templi, navigasse iterum, ut nominaturus alias insulas quandam faceret relationis novitatem. *protinus aerias Phaeacum abscondimus arces,* hoc est transimus: ecce generalitas ubi specialis dictio non fuit necessaria. *litoraque Epiri legimus,* id est navigando retinemus. *portuque subimus Chaonio et celsam Buthroti accedimus urbem:* haec est propter quam descriptae sunt ceterae; de ista enim habuit quod referret, quod in aliis non habuit.

*Hic incredibilis rerum fama occupat auris, Priamiden Helenum Graias regnare per urbis coniugio Aeacidae Pyrrhi sceptrisque potitum et patrio Andromachen iterum cessisse marito:* ad hunc, inquit, veniens locum loquente fama percepi quae tamdiu non putavi esse credenda, quamdiu haec rebus ipsis et meis oculis conprobassem. incipit

---

2 *consecrari* LR corr. ed. 3 *aut* LR edI *ut* r edF. | *repacta* LR *rapta* r *reparata* ed. *retracta* cf. 2, 395 nos. 10 *contextum* ed. 11 *ea quam* LR corr. ed. 12 *repetendum* ed. post. 20 *non fuit* om. R add. r. 22 *portusque s. chaonius* LR *p. s. chaonios* r *portuque s. Chaonio* ed. ‖ *botroti* LR. | *accidimus* LR *abscondimus* edI *ascendimus* edF. 25 *hinc* R. | *occurrat* LR corr. r. 26 *phrris* pro *Pyrrhi* L.

enumerare ipsa incredibilia. Priamiden dixit et Helenum: Priamiden, quoniam propter unum Paridem, qui uxorem sustulerat Agamemnonis, omnis filios Priami perosos Graeci habuerunt, inde ergo incredibilis fama de Heleno, quia filius fuit Priami, Paridis frater; quod dixit Helenum, abiecte pronuntiandum et accipiendum est pro fortuna quae incurrerat; captivus enim fuerat perindeque servus. Helenum Graias regnare per urbis, victum imperare victoribus. hoc dixit a persona, a loco autem Troianum in Graecia, a quantitate non per unam civitatem, sed per plurimas, a fortuna vero regnare. coniugio Aeacidae Pyrrhi sceptrisque potitum: hoc fuit ipsius incredulitatis augmentum, uxorem etiam Pyrrhi eversoris Troiae et Priameiae gentis eidem Heleno, quem Priami filium esse constabat, simul cum regno cessisse, cum idem Pyrrhus vita fuisset exemptus. et patrio Andromachen iterum cessisse marito: tertium accedebat quod dictis fidem adferre non posset, Andromachen uxorem quondam Hectoris post captivitatis sortem malamque fortunam in eius venisse coniugium qui civis esset et adfinis; hunc enim Helenum constabat filium esse Priami, Hectoris fratrem. *obstipui miroque incensum pectus amore conpellare virum et casus cognoscere*
300 *tantos, progredior portu classis et litora linquens:* religiosa curiositas et honestum desiderium. his, inquit, auditis stupui potius quam miratus sum et, licet omnia ex celebritate famae iam pro veris ducerem, tamen nosse cupiens casus qui talia perfecissent coeperam ad ipsum Helenum tendere progressus e portu, ut ex ipso cui tanta prosperitas venerat omnia certiore fide cognoscerem, itaque, ut non longe a navibus processissem. *sollemnis cum forte*

---

2 *pamiden quam* LR *priamiden quoniam* r *Pr. quia* ed. 5 *et Paridis* ed. | *de helenum* LR *de* del. ed. 8 *victum* LR *hoc est v.* ed. 13 *priamitae* LR *Priamidae* ed. 15 *successisse* r. 20 *civis* LR *eius* ed. 22 *conpellere* LR. 23 *portus* LR. 25 *obstupui* ed. 26 *ducens* ed. 29 *itaque cum* LR ed. nec cum antecedentibus nec cum sequentibus coniungi potest, quare *i. ut* (= et ita ut cf. 4, 262) emendavi. 30 *tum forte* ed.

*dapes et tristia dona ante urbem in luco falsi Simoentis ad undam libabat cineri Andromache manisque vocabat Hectoreum ad tumulum, viridi quem caespite inanem et geminas, causam lacrimis, sacraverat aras:* quando, inquit, ad Helenum pergebam, quod decuit gravem virum, ut vir viro referente desiderata cognoscerem: sed eventus attulit ipsius primam Andromachae praesentiam; nam haut procul a navibus constituta in luco qui extra civitatem fuit defuncto Hectori, in cuius matrimonio incolumi patria tenebatur, reddebat triste obsequium. illic enim constituerat inanem hoc est sine funere hominis tumulum propter lacrimarum causam, ut quasi adversam mariti memoriam peragens occasionem flendi haberet et eum ad tristis epulas advocaret. descripsit eam fuisse in luco et parentalibus obsequiis occupatam. videamus utrum poeta memor fuerit sui; non vult enim (299) Aenean cum muliere sponte conseruisse conloquium quod veniret ex dispositione propriae voluntatis; debuit et illam inducere priorem vidisse Aenean, quae ex occultis luci illius spatiis potuit prima conspicere venientem. *ut me,* inquit, *conspexit venientem et Troia circum arma amens vidit,* ut consternata ex repentino casu armorum Troianorum consideratione certior facta est, *magnis exterrita monstris deriguit visu in medio:* revera monstrum fuit ut quo tempore Hectoris manes vocabantur ad tumulum Aeneas insperatus apparuisset quasi et ipse defunctus. deriguit visu in medio: antequam plene vidisset, deriguit: quid autem deriguit sit explanat sequentibus dictis. ait enim: *calor ossa reliquit:* quippe turbata mente recedit calor, calore recedente quid

---

1 *loco* R *luco* r (et infra). 4 *quo* LR *cum* r *quando* ed. 6 *sed* om. ed. 7 *aut* R *haud* r. 12 *adversam* LR *ad veram* r. 13 *pergens* LR *peragens* ed. 17—18 *voluntatis propriae* R. 19 *illius* L *ipsius* R corr. r = L. | *primae* LR *prime* r *prima* ed. 21 *et confirmata* LR ed. *ut conf.* r *amens explicari ratus ut consternata* scripsi. 23 *diriguit* ed. (et infra). 27 *quid* LR *quod* ed. | *autem deriguit* LR om. ed. *sit* addidi. 28 *relinquit* R corr. r.

superest nisi ut frigus succedat et intercidat vigor animi, quo corpora gubernantur et constant? *labitur:* cum hac ex causa stare non posset, lapsa est, defectu scilicet animi et corporis. *et longo vix tandem tempore fatur:* post longum tempus recepto sensus aliquantulo vigore aegre locuta est. o consilium poetae tractantis ad personam mulieris solventis inferias mortuo et amorem mariti etiam perditi retinentis! praeter sexus errorem et muliebrem inprudentiam adplicavit ei etiam confusionem mentis, ut inperfectum putaret et quod viderat. nam si plene vidisset, intellegeret vivum quem venire conspexerat cuiusque arma cognoverat. cum igitur loqui utcumque potuisset, aperuit suae mentis errorem. ecce prior vidit mulier, prior loquitur, Aeneae verecundia intemerata servatur, qui respondentis officio functus ostenditur nec aliquid
310 prior exegisse. *verane te facies, verus mihi nuntius adfers, nate dea? vivisne? aut, si lux alma recessit, Hector ubi est?* quoniam amentis feminae inducta persona est et quae supra tractata sunt ostendunt eius errorem, dicamus secundum eam quid senserit. aestimabat vivum, quoniam et armatum videbat et per diem mortui videri non possunt, rursus arbitrabatur mortuum ex occasione loci et parentationis causa, quia illic fuit, licet inanis, Hectoris tumulus et tunc Aeneas apparuit, cum Hector sollemniter vocabatur. si vivis, inquit, refer, sin vero mortuus advenis, cur non tecum est Hector? *dixit lacrimasque effudit et omnem inplevit clamore locum:* post mariti, inquit, nomen, quod gemibunda protulerat, nihil potuit loqui; dolor enim ei totam ademerat vocem, quid tamen animo

---

1 *intercedat* LR ed. corr. r. 2 *constat* R. 3 *defectus* R corr. r. 4 *vim* R *vix* r. 5 *haec* LR ed. *aegre* nos, quoniam quae locuta sit non sequitur. 6 *o consilium* LR *mirum c.* ed. | *tractantis* om. ed. 9 *appellavit ei* LR *aptavit ei* r *adplicavit ei* nos *addidit* ed. 10 *et quod* LR *et* del. r ed. 12 *potuisset* LR *potuisse vellet* edF. 16 *priore* R corr. r. | *exegisset* LR corr. r *exegit* ed. 20 *aestimabat* LR *existim.* ed. 22 *loci* post *parentationis* habent LR, sed L transpos. ipse signis adiectis.

gereret ubertate lacrimarum, quas copiose fundebat, et clamoribus tristibus demonstravit. potest et sic intellegi et, ut arbitror, hoc magis est verum: non fuisse necessarium alia quaerere, quoniam in dolore posita de solo marito debuit loqui, quem putabat Aeneae sociatum. te et adfers bis debemus accipere, ut sit verane te facies adfers? verus te mihi nuntius adfers? *vix pauca furenti subicio:* insani doloris muliebris inmoderatione ab statu mentis exclusus vix, inquit, etiam ipse paucis respondi, vel quod essem turbatus vel quod scirem illam plura audire non posse. *et raris turbatus vocibus hisco:* perturbatione mentis hiabam potius quam loquebar; rarae sunt enim voces cum ob aliquam causam continua verba esse non possunt. *vivo equidem vitamque extrema per omnia* 315 *duco:* cito respondit propositis et fortunae suae miserias brevissima insinuatione signavit. ut autem confirmaret quae dixerat, adiecit: *ne dubita, nam vera vides.* sciebat enim se cum ea loqui quam amentem fecerat dolor. *heu! quis te casus deiectam coniuge tanto excipit? aut quae digna satis fortuna revisit?* incipit Aeneas vicissim inquirere in qua fortuna Andromache post captivitatem constituta videretur, quod ipsum non sine dolore faciebat. denique non a verbis coepit, sed a gemitu, utpote qui non tantum eius casu verum etiam Hectoris recordatione movebatur. adeo hoc conplexus est et dixit heu et postquam illo gemitus signo dolorem sui animi demonstravit, quis, inquit, te casus deiectam coniuge tanto excipit? aut quae digna satis fortuna revisit? quis te casus nunc habet? vel qualis est fortuna tua praesenti tempore, quando constat amissione tanti coniugis te esse deiectam? quae autem sit ipsa deiectio, ex consequentibus invenimus:

---

1 *gemeret* LR ed. *gereret* nos cf. 492. 7 *adfert* LR corr. r. | *ferenti* R corr. r. 8 *muliebris* LR ed. *-bri* r fortasse recte. | *ab* LR *a* ed. 11 *raris vocibus hisco* LR *et* ac *turbatus* inseruit ed. 17 *adiecit* LR *dicit* ed. 24 *verbum* LR *verum* r ed. | *recordationem movebantur* L. 25 *abeo* R *adeo* r. 26 *demonstraverit* LR *-rat* r *-vit* ed.

*Hectoris,* inquit, *Andromache Pyrrhin conubia servas?* post coniugium Hectoris nobilis atque fortis, qui filius fuerit tanti regis, Andromache, quae tanti viri consortio antea iungi meruisti, nunc observes coniugium Pyrrhi? haec nomina secundum dicentis animum sic debemus posita intellegere, ut sciamus duo dicta cum laude, tertium vero cum vituperatione. unde cum pronuntiamus, Hectoris et Andromachae nomen debemus attollere, deicere tertium Pyrrhi, quoniam et ipse hostis fuerat et patris eius memoria esse debuit odiosa; Achilles enim Hectorem peremit. insultatio et iniuria ultima fuit, ut interemptoris filius uxorem teneret occisi. *deiecit vultum et demissa voce locuta est:* ubi ad partis pudoris ventum est, quamquam constaret nihil sponte deliquisse captivam, tamen verecundiae confusa tormentis deiecit vultum et demissa voce locuta est et ipsius pudoris causam, quoniam factum negari non poterat, summissae vocis purgatione defendit. *o felix una ante alias Priameia virgo hostilem ad tumulum Troiae sub moenibus altis iussa mori.* quodammodo turpe defensura negotium incipit a conparatione personarum et facti felicitatem appellans poenam quam illa passa est, cum detestandum scelus extitisse constaret ad sepulchrum hostile mactare filiam regis. sed quia in alias deteriora commissa sunt, felicem dici convenerat cuius mors omnis exclusit pudoris iniurias. una, inquit, ante alias: significatione numeri dixit plenam felicitatis laudem. quid enim evenire prosperius potuit quam inter tot clades patriae et gravissimos casus solam meruisse cum castitatis honore procumbere? cum autem solam felicem dicit, non se solam adserit in causa turpi esse constitutam, sed et alias. Priameia virgo: periit, inquit, virgo, periit salva dignitate paterni honoris. Troiae sub moenibus altis:

---

2 *utique* LR *et* r *atque* H ed. 4 *nunc observes* LR *num o.* r *nunc observas* edF. 9 *fuerat* LR *fuit* ed. 14 *et nihil* R *et* del. r. 18 *priamea* LR. 22 *extitisse* LR *extitisset et* ed. 23 *mactare* LR *Pyrrhum mactavisse* ed. | *alia* LR *alias* r ed. 31 *perit* LR ed. *periit* r. 32 *paterna* LR *-ni* r ed.

quae in patria interempta est neque eius interitum vidit. hostilem ad tumulum iussa mori: quae non ad hostilis cubilis iniurias, sed ad sepulchrum ducta est. intellegendum est hoc loco quia, etsi occisa est, nec ipsius necis fructus pervenit ad mortuum, quia nihil exanimes sentiunt: proinde et hoc felicitati eius adscribendum. *quae sortitus non pertulit ullos:* ut in divisionem non veniret per iudicium sortis nec in alienam potestatem caderet. *nec victoris eri tetigit captiva cubile:* novissimam posuit qua premebatur causam, qua se volebat exolvere felicem adserens quae non habuit dominum, quae ingenuitate quoque salva et virginitate iugulata est. sequitur definitio de terroribus servitutis: nec victoris eri, ut ipse dominus esset qui iamdudum fuerat inimicus; tetigit captiva cubile, non ad honestam, sed ad ludibriosam conventionem etiam invita perducta. ecce egit oblique causam suam qualitate absoluta nondum contingens ex aperto personam propriam, sed ea occasione qua prosperitatem laudavit alienam, adserens non in facto esse crimen, sed in voluntate. superior quippe hostis cum iure belli dominus fuerit effectus, non domini aequitatem vel iusti servitii retinet modum, sed auctoritatem sequitur superbiamque victoris. conclusa conparationis parte, quam de exemplo virginis habuit quaque se purgavit, redit ad personam suam, ut propriam fabulam referat conparationis eiusdem intentione servata. *nos* 325 *patria incensa diversa per aequora vectae stirpis Achilleae fastus iuvenemque superbum servitio enixe tulimus:* illa, inquit, incolumi virginitate ac libertate mactata est, illa moriens incolumem patriam reliquit, nos incensam atque ex ea causa consumptam. illius funus et sanguinem solum patrium tenet, nos per diversas pelagi partis sumus transportatae multa tolerantes quae in unum hominem mala

3 *ducta es* r. 4 *nec his* LR *necis* r ed. 7 *ullus* LR. | *indicium* ed. 11 *salvam* L. 12 *deterroris* LR *de terrore* r *de terroribus* nos *deterioris* ed., sed Polyxenam in servitute fuisse negat. 21 *modum* LR *dominum* edI *dominium* edF. 24 *reddit* R corr. r. 30 *funis* R corr. r.

convenerunt. qualis enim esse potuit qui natus fuerat ex Achille, ex eo videlicet qui nulla miseratione movebatur, cuius superbiam aetas iuvenalis augebat? iuvenibus autem nulla morum gravitas deputatur, quae crescebat magis magisque in Pyrrho fastu successuque victoriae. qualis ergo iste fuerit simul colligamus. natura malus, aetatis ratione deterior, condicione fortunae intolerabilis. servitio enixe tulimus: enixe adverbium esse debet, ut sit fastus eius intolerabiliter servitio tulimus. ex eo quod dixit tulimus ostendit nimium fuisse servitii pondus. enixe ergo et tulimus hoc idem significant. interea causam suam communem cum ceteris facit, ne videatur sola esse in eo quod poterat displicere, quamquam hanc partem, quam vis amara inflixerat, plena defensione purgasset. peracta causa quam personis plurimis artificiose coniunxit separat personam suam relatura quid ipsi specialiter accidisset. *qui deinde,* inquit, *secutus Ledaeam Hermionen Lacedaemoniosque hymenaeos me famulo famulamque Heleno transmisit habendam:* ecce necessitate iuncta est Pyrrho, necessitate Heleno, ut secundae et tertiae coniunctionis facto pudoris non accesserit detrimentum. secuturus, inquit, inlicitam Hermionae coniunctionem tradidit me Heleno et iunxit quos una status condicio retinebat, fecit istud ut dominus cui resisti non potuit. dixit coniunctionis inter se et Helenum rationem, venit ad eam partem ut dicat quemadmodum ad Helenum regni potestas et iura per-
330 venerint. *ast illum,* inquit, *ereptae magno inflammatus amore coniugis et scelerum furiis agitatus Orestes excipit incautum patriasque obtruncat ad aras:* Orestes iniuriam

---

3 *superbia* LR corr. ed. | *iuvenilis* ed. 5 *magisque* om. ed. 8 *enix et ultimus* LR corr. r (supra recte). 9 *intolerabiliter* LR *intolerabili* r. 13 *quamquam* LR *licet* ed. 13—14 *quamvis amore* LR ed. *quam vis amoris* r *quam vis amara* nos. 14 *inflixerat* LR *infelix erat* ed. 16—17 *quid deinde* LR corr. r. 17 *laedeam* LR. 18 *famulam famuloque* ed. 22 *Hermiones* ed. 23 *statutus* LR corr. r ed. 26 *pervenirent* LR corr. r ed.

dolens ereptae sibi uxoris, magno amore eius exagitatus
ultus est se et ad aras patrias incautum mactavit adul-
terum. hoc facto *regnorum reddita cessit pars Heleno,*
*qui Chaonios cognomine campos Chaoniamque omnem Tro-* 335
*iano a Chaone dixit.* ecce rettulit quo ordine ad Helenum
etiam regni potestas pervenerit, qua sumpta adfectum
retinens patriae gentilis propter praesentis temporis sola-
cium et plurimis locis Troiana indidit nomina et hanc
terram Chaoniam dixit propter memoriam Chaonis, quem
constaret fuisse Troianum. *Pergamaque Iliacamque iugis*
*hanc addidit arcem:* ultra eius ex Aeneae persona dictum
est (497) „effigiem Xanthi Troiamque videtis, quam vestrae
fecere manus“ et supra (302) poeta dixit „falsi Simoentis
ad undam libabat cineri Andromache“ et infra (349)
Aeneas idem dixit: „procedo“, inquit, „et parvam Troiam
simulataque magnis Pergama et arentem Xanthi cogno-
mine rivum agnosco Scaeaeque amplector limina portae“.
*sed tibi qui cursum venti, quae fata dedere? aut quisnam*
*ignarum nostris deus appulit oris?* et gratulantis de salute
ac de adventu eius insperato est ista vox et inquirentis
quid ipsum provenerit casu. dicendo quis deus, qui venti,
quae fata ostendit divinum extitisse beneficium ut illi
Aenean videre contigerit. *quid puer Ascanius? superatne*
*et vescitur aura? quem tibi iam Troia:* religiose quaesiit 340
de salute pueri qui eius esset adfinis. addidit *ecqua tamen*
*puero est amissae cura parentis?* plus enim pueri amant
matres, idcirco quaesiit quantus ei dolor esset ob matris
amissionem. *ecquid in antiquam virtutem animosque viriles*
*et pater Aeneas et avunculus excitat Hector?* posteaquam

---

2 *se* om. ed. 7—8 *solacium et* LR *et* om. ed. 11 *eius* (sc. *personam* cf. 248) *etiam* edF *ulterius* r. 12 *detis* LR *videtis* nos om. ed. 15 *dixit* LR ed. deleri malim. | *inquit* LR *inquiens* ed. *inquit et* nos. 17 *cognosco* ed. | *limine* LR corr. ed. 18 *ubi* R *tibi* r. | *delere* LR *dedere* r. 19 *appollitoris* LR corr. r. 21 *ipso* r. | *dicendo* LR *et d.* edF. 22 *ille* LR *illi* r ed. 24 *quem* L *quam* R. | *quaesivit* (et infra) ed. 25 *et qua* Lr *et quae* R. | *tamen* LR *ecquaenam* ed. 28 *et quid* LR.

de salute pueri quaesivit, voluit nosse utrum temptaret iam virorum fortium partis imitatus patris et avunculi virtutem.

345 *Talia fundebat lacrimans longosque ciebat in cassum fletus:* nihil, inquit, locuta est sine lacrimis excitans loquendo quod in cassum plangeret. quid enim prodesse potuerant lacrimae, cum semel amissa reparari non possent? *cum sese a moenibus heros Priamides multis Helenus comitantibus adfert:* dictura adhuc intellegitur fuisse conplura et responsurus procul dubio fuit Aeneas interrogationibus mera benignitate prolatis, sed ne id fieret Heleni adventus effecit, qui cum magna deductorum caterva insperatus processerat. bene interventu Heleni responsum Aeneae poeta subtraxit, ne in relatione eius nota et iam dicta repeterentur. *agnoscitque suos laetusque ad limina ducit:* fecit Helenus quod est inter homines saepe difficile. nonnulli enim fortunae suffragiis fulti despiciunt suos quos fata deiecerint, nonnulli pudore potius quam voluntate humani sunt. iste et agnovit suos et laetus duxit ad domum. *et multum lacrimas verba inter singula fundit:* ut modus verborum lacrimarum copia vinceretur. uno in loco duos motus animi eodem tempore Heleno dedit, laetitiae scilicet et maeroris, qui sunt sibi ex adfectu contrarii; nam quomodo laetus fuerat, si iugiter flebat? quod laetum dixit et flentem, alterum fuit quod videbat suos, alterum quod malorum communium recordatio dolentem cogebat ad lacrimas. *procedo,* inquit, hoc est ulterius
350 accedo. *et parvam Troiam simulataque magnis Pergama et arentem Xanthi cognomine rivum agnosco Scaeaeque amplector limina portae:* plurimum derogasset nobilitati patriae suae, si consimilia diceret cura Heleni fieri potuisse quam fuisse sciebat in Troia. idcirco posuit parvam Troiam simulataque magnis Pergama et arentem Xanthi

---

5 *sine lacrimans* R corr. r. 6 *enim* om. ed. 10 *quam plura* r. 11 *mera* LR *mira* r *tanta* ed. 14 *etiam* ed. 28 *procedo* ante *et parvam* interpol. ed.

cognomine rivum agnosco Scaeaeque amplector limina portae, ut ostenderet fuisse quidem multa quae similitudinem et vocabula locorum veterum adferrent, non tamen ostenderent magnitudinem. nam Troia fuerat, sed parva, et Pergama mediocriter structa et sitiens Xanthus, non ille de quo alio loco (5, 807) dictum est „nec reperire viam atque evolvere posset in mare se Xanthus". ecce ostendit verum Xanthum copiose fluere, illum vero simulatum et rivum esse et aridum, ut solum nomen, non etiam parem substantiam retineret. *nec non et Teucri socia simul urbe fruuntur:* Aenean, Anchisen et Ascanium duxit ad domum suam, Troiani ceteri per civitatem hospitia acceperunt ea religione qua non tam peregrini, sed qua socii excipi debuerunt. *illos porticibus rex accipiebat in amplis:* accipiebat dixit pascebat. hoc verbum denique et haec loquendi consuetudo etiam nunc in usu est, cum sumpto aliquo commodo dicimus danti bene nos accipis hoc est bene nos foves, bene nos pascis. ceterum si non ita ut positum est intellegatur, erit vitium, si in amplis porticibus, non in amplas porticus accipiebantur.

*Iamque dies alterque dies processit:* augmentum be- 356
nignitatis ostenditur, cum hoc non tantum una die, sed et altera exhibebatur hospitium. *et aurae vela vocant tumidoque inflatur carbasus austro:* bene suffragantem etiam ventum dixit; non enim sola aura navigaturis fuerat necessaria. *his vatem adgredior dictis ac talia quaeso:* adgredior quasi superbum est, quaeso autem humile: unum fuit quod veniret ex fiducia civis et adfinis, alterum honorificentiae, quam deorum omnium cultor debebat sacerdoti. *Troiugena, interpres divum, qui numina Phoebi,
qui tripodas Clarii,* hoc est Apollinis, *laurus, qui sidera* 360
*sentis,* hoc est qui lauros et sidera sentis, *et volucrum*

---

3 *aeferrent* LR corr. r ed. 7 *neque volvere* ed. (at in V ut LR!). 13 *qua non tam* LR *qua non* edI *non qua* edF. 15 *dixit* LR *d. id est* ed. 19 *ut si positum* LR corr. obscure L II man. *si* del. r. 29 *debeat* ed. 31 *clari* L *clar* R *clarii* r. | *laurus* LR, infra *lauros*.

*linguas et praepetis omina pinnae:* inter omnia quae fuerunt in illo viro laudanda primo Troiugenam dixit, ut plurimum daret ei hominum generi ex quo fuit etiam ipse qui laudabat. interpres divum: quid felicius quam nosse quid velint vel quid cogitent dii vel dignum esse per quem loquantur in hominibus numina? qui tripodas: tripodam dicimus trium pedum, quae alio nomine cortina appellatur et est in templo Apollinis. Clarii: ipsius Apollinis, ut sit ordinatione facta qui tripodas Clarii Phoebi et lauros sentis et sidera, hoc est qui scis quid siderum motus transitusque significent. et volucrum linguas et praepetis omina pinnae: et nosti quid avium linguae vel volatus ostendant. ecce laus plena; cum enim diversa sint vatum genera et vix singula vaticinationis in singulis reperiantur, haec est Heleni summa praedicatio, quod omnium professionum scientia redundabat. sentis autem non semel accipiendum est; in medio enim positum et superioribus et inferioribus potest adplicari. sed hoc ipsum sentis non multipliciter positum est, ne esset odiosum, nec in capite aut in fine, ne multorum continua congregatio deformaret dictionem. posuit igitur, ut iam dictum est, in medio, ut superioribus inferioribusque adpositum praestaret gratiam. praecepta quoque rhetoricae disciplinae non omisit; nam qui necessaria poscebat debuit demonstrare posse illum quod petebatur monstrare perindeque non esse difficile quod esset largiturus, damnosum quoque non esse nec turpe, si id diceret quod eius ore sine ipsius pudoris detrimento numina praenuntiare voluissent, honestum vero et religiosum, ut civis in rebus dubiis et periculosis instrueret civem. idcirco autem in ipso prin-

1 *omnia pinnae* LR *omina p.* r. 6 *hominibus* LR ed. *ominibus?* | *nomina* LR corr. ed. | *trodas* R *tripodas* r. 8 *Clarii — Apollinis* om. ed. 10 *et lauros* LR *et* om. ed. 15 *esset* LR ed. *est* r. 20 *multorum* LR ed. *ne m.* r′ (egregia emendatio ex haplographia manifesta). 22 *interioribusque* R corr. r. 26 *esset difficile* L *esse d.* R ed. 28 *nomina* LR corr. r ed. | *pronuntiare* ed.

cipio Troiugenam dixit, ut civica religione constrictus quod poterat non negaret. *fare age:* hortationem poscentis significant, non auctoritatem iubentis. dicit iam ipsam causam quae illum sollicitum faciebat: *namque omnis cursum mihi prospera dixit religio et cuncti suaserunt numine divi Italiam petere et terras temptare repostas: sola novum dictuque nefas harpyia Celaeno prodigium canit et tristis denuntiat iras obscenamque famem: quae prima pericula vito?* prodigia dicuntur quibus denuntiantur adversa. dixit ergo metus sui causam, dehinc remedium poscit quo adversa omnia tolerare posset aut fugere. idcirco addidit *quidve sequens tantos possim superare labores?*

*Hic Helenus caesis primum de more iuvencis exorat pacem divum vittasque resolvit sacrati capitis:* Helenus nihil Aeneae postulanti respondit, ut facturum sese promitteret aut negaret (fieret enim mora suspenso et ventorum prosperis flatibus), sed, quod fuerat melius, quod non promiserat verbis conpleturum se factis evidentioribus demonstrabat tenens ordinem ritus sui. primum ergo caesorum iuvencorum sanguine favorem deorum futuris responsis et desideriis conciliabat, ut per sacrorum obsequia ad veram posset futurorum scientiam pervenire, vittas autem resolvit sacrati capitis, ut plenum ostenderet officium sacerdotii. fecit solvi vittas, ut penderent quae fuerant nexae. *meque ad tua limina, Phoebe, ipse manu multo suspensum numine ducit:* rem gestam cum apostropha prosecutus est: ipse, inquit, Helenus me retinens manu, quod fuit apertum benivolentiae signum, ad tua, Phoebe, templa perduxit suspensum. quod posuit numine, aut numinis veneratione turbatum aut inde suspensum, ne contraria quam optabat audiret. *atque haec deinde canit*

---

7 *dictumque* L. | *arpygia caeleno* LR. 8 *famam* R corr. r. 10 *quod* LR *quo* r ed. 11 *fugire* LR. 15 *ut facturum* LR *ut* om. edI *facturumne* edF. 16 *et ventorum* LR ed. *ex v.* r. 17 *melius* om. R add. r. 24 *perderent* R corr. r. 26 *rem* LR *spem* edF. 29 *nomine — nominis* ut saepe LR. 30 *aut* LR ed. *ait aut?*

*divino ex ore sacerdos:* divinum dixit, quod divina caneret.
375 *nate dea, nam te maioribus ire per altum auspiciis mani-
festa fides, sic fata deum rex sortitur volvitque vices, is
vertitur ordo:* nam cum sit coniunctio rationalis, non de-
buit hoc loco prima constitui: ne sit igitur vitium, ordi-
namus ita: nate dea, maioribus te ire per altum auspiciis
manifesta fides, nam sic fata deum rex sortitur volvitque
vices, is vertitur ordo. *pauca tibi e multis, quo tutior
hospita lustres aequora et Ausonio possis considere portu,*
380 *expediam dictis; prohibent nam cetera Parcae scire Helenum
farique vetat Saturnia Iuno:* multa, inquit, tibi instructionis
causa fuerant referenda, sed ne id fiat, dii prohibent me
scire et Iuno aliqua referre non patitur, tamen dicam
quae possunt esse in mea potestate. *principio Italiam,
quam tu iam rere propinquam vicinosque, ignare, paras
invadere portus, longa procul longis via dividit invia terris.*
385 *ante et Trinacria lentandus remus in unda et salis Ausonii
lustrandum navibus aequor infernique lacus Aeaeaeque in-
sula Circae, quam tuta possis urbem conponere terra.*
antequam Aeneas venire ad Italiam posset et in ea
condere civitatem, dixit per quot loca, per quam prolixa
esset maria transiturus. primo, inquit, Italia, ut ignarus
putas, non est proxima; nam longe eam ab his locis
natura discrevit. denique ante Trinacria lentandus remus
in unda, hoc est Siciliae; et salis Ausonii lustrandum
navibus aequor, dixit et Italiae. infernique lacus Aeaeae-
que insula Circae †quoniae inferosque. quam tuta possis
urbem conponere terra: tunc, inquit, poteris tuta terra

---

3 *his* (et infra) LR *is* r *hic* ed. 4 *rationalis* LR *causalis* in marg. adnotat non ut emendationem r′. 9 *hospitalib; tris* L item sine *;* R *us* inseruit r *hospita lustres* r′ (cf. v. 264). 10 *expeditam* R corr. r. 12 *firt*? ita scriptum, ut vix legi possit L *fert* R *fiat* r. 13 *iuro* R *iuno* r. 14 *qua* R *quae* r. 17 *ante* LR *ante et* r. | *sales* R *salis* r. 18 *aeaeque* LR. 19 *Circes* ed. 21 *contendere* LR *condere* r ed. | *quod* R corr. r. 23 *non* ante *ut* expectes. 26 *eaeque* L. 27 *quoniae inferosque* L *quoniam ei inferosque* R *dixit et inferos* r om. ed. plura excidisse videntur.

condere civitatem. hyperbaton fecit quandam obscuritatem, aperitur tamen, si quod longe separatum est ordinatione verborum procurata iungatur: ante, inquit, tibi multa transeunda sunt, quam tibi contingat ad Italiam pervenire, et dixit quae sint ipsa multa et haec specialiter posuit quae dicit primo transeunda. propter manifestatiorem autem instructionem ait *signa tibi dicam, tu condita mente teneto.* commendat quod fuerat dicturus, ut ostenderet et magnum esse et verum. quod dicturus sum tene sensibus conditum nec pro levi habitum reicias ex animo tuo. *cum tibi sollicito secreti ad fluminis undam litoreis ingens inventa sub ilicibus sus triginta capitum fetus enixa iacebit alba, solo recubans, albi circum ubera nati, is locus urbis erit, requies ea certa laborum:* quid tamen apertius quam ignorantem tot signis instruere? dixit enim locum, loci signa de flumine ac de arboribus dedit nec quemlibet locum, sed secretum; dixit tempus, cum nimia, inquit, sollicitudine fueris pressus; dixit iam signum ipsum, porcam, inquit, iuvenies; ipsi quoque porcae adplicavit indicia, ne alteram forte alio tempore atque alio loco reperiens falleretur; dedit signum de corpore ingentem significans, ut eam crederet triginta fetus exponere potuisse; dedit de colore, quod alba; dedit de fetu eius numerum firmans triginta capitum, ipsorum quoque colorem consimilem spondens, ipsam †ut roboream quietam et iacentem. haec ergo ubi, inquit, videris, illic habebis sedem, illic laborum requiem. supra fidem rerum est posse porcam parere fetus triginta, consimilis omnis, materno colori respondentes, si tamen consideretur monstri ratio, potest fieri. nam factum est saepe ut praeter naturam multa profer-

---

1 *per hyperbaton* ed. 6 *manifestatiorem* LR *manifestiorem* ed. (cf. v. 107 *obscurate*). 10 *tuto* R *tuo* r. 11 *litoriis* LR. 13 *his* LR *is* r. 14 *tamen apertius* LR ed. *iam a.* r′ an *tam apertum*? 22 *crederent* LR ed. 25 *ut roboream* LR ed. corruptum esse patet, fortasse *sub robore ac*? an *ubera praebentem*? 26 *laborem* LR corr. ed. 28 *colore* LR ed. 30 *proferantur* ed.

rentur quae aliquod bonum vel malum demonstrarent, ut ignis ex capite Ascani mitis et innoxius, ut in causa Polydori sanguis ex lignis, ut sudor ex deorum simulacris, ut vox humana ex pecudibus et multa alia quae extitisse memorantur. et quia sciebat Aenean famis inminentis formidine vehementer adfligi atque huius rei causa vel maxime consulere voluisse, *nec tu,* inquit, *mensarum morsus horresce futuros.* non praedixit Helenus futuros morsus mensarum, sed ab harpyia praedictos firmavit; cum enim non metuendos dicit, ostendit emersuros quidem, sed non verendos. Aeneas enim consulens Helenum super eadem re ait, cum multa responsa acciperemus, nihil nobis de fame, nihil de mensarum sacrilegio dictum est, Celaeno tantummodo haec futura praedixit. nosse cupio an soli debeat credi. respondit Helenus harpyiae quidem dicta conpendiose confirmans, sed extenuans metum. cum enim
395 dicit *fata viam invenient,* vult intellegi noli metuere futuros mensarum morsus, ne formida sacrilegium, tenebunt fata ordinem suum *aderitque vocatus Apollo:* ostendit quidem futuram, sed non obtenturam famem obsistentibus fatis et vel maxime Apolline. *has autem terras:* redit ad ea a quibus supra recesserat et, ne in oblivionem veniret unde recessisset fieretque lector incertus, repetit nomen loci dicendo has terras. *Italique hanc litoris oram:* aperit iam quae esset ipsa ora: *proxima quae nostri perfunditur aequoris aestu effuge.* dicit causam fugiendi: *cuncta malis habitantur moenia Grais:* si non diceret malis, hoc ipsum quod posuit Grais ostenderet, ut fecit, per ipsos non esse transeundum quos esse constabat veteres inimicos. sed

1 *aliquid* R corr. r = L. 2 *causa* LR *casu* ed. 5 *commemorantur* ed. 10—11 *non merendos* LR *non verendos* r′ *non metuendos* edI *metuendos* edF locum om. ed. Lucii. 14 *soli* LR *illi* ed. 17 *noli metuere* R *nolim et uere* L *vere* ed. 18 *ne formidas* L *ne formidat* R *sed ne formidet* ed. *ne formida* nos (cf. *ne naviga* 456). | *tenebunt* LR *t. enim* ed. 20 *optenturam* LR vel *obfuturam* adnotat r′ *diram* ed. 21—22 *ab ea a* L *ab//a* cum ras. R *ad ea a* r′ *a* om. ed. 25 *perfundetur* LR corr. r. 28 *potuit* R corr. r.

addidit malis, quia sine deformatione personae hostilis loqui non potuit, ipse vel maxime qui aliquando apud illos captivus fuit. dedit autem augmentum terrori, ne Aeneas contemneret illa fiducia qua multas urbis Graecas tutus incolumisque transierat, enumerans quae vel quanta sint loca, dicens et commanentis, ut eo magis ab hac navigatione Aenean averteret: *hic et Narycii posuerunt moenia Locri et Sallentinos obsedit milite campos Lyctius* 400 *Idomeneus, hic illa ducis Meliboei parva Philoctetae subnixa Petilia muro.* transiit ad alia: *quin ubi transmissae steterint trans aequora classes et positis aris iam vota in litore solves, purpureo velare comas adopertus amictu, ne* 405 *qua inter sanctos ignis in honore deorum hostilis facies occurrat et omina turbet. hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto, hac casti maneant in religione nepotes.* benignus interpres utpote civis et adfinis dicit futura et observanda pronuntiat, quod etiam illo studio facere intellegitur, ne exoriatur offensa in deos, si aliquid mutetur quod deorum fidem vexet, quae ipsa ventura firmabat. *ast ubi digressum* 410 *Siculae te admoverit orae ventus et angusti rarescent claustra Pelori:* et signum litoris dedit et Pelori et docere incipit quid sit necessario faciendum: *laeva,* inquit, *tibi tellus et longo laeva petantur aequora circuitu, dextrum fuge litus et undas.* dicit nunc causas propter quas dextera fugienda viderentur et laeva retinenda inducitque primitus descriptionem loci, ut ostendat qua ratione factum sit ut quod unum fuerat mari divisum in duas partis haberet laeva, haberet et dextera. *haec loca vi quondam et vasta convulsa ruina (tantum aevi longinqua valet mutare vetustas) dissiluisse* 415 *ferunt, cum protinus utraque tellus una foret, venit medio*

---

5—6 *quantas in* LR *quanta sint* r *quanta in* ed. (cum asterisco edF[I]). 9 *idomaeus* LR. | *philotetae* LR. 10 *transit* ed. 11 *et erint* R *steterint* r. 12 *solvis* LR corr. r. 18 *exorta offensa in deos aliquid* LR ed. emendavi, quia offensa mutationem sequitur, non praecedit 19 *vexet* LR ed. *vertat*? 20 *rariscent* LR. 27 *mare* LR ed. *mari* nos. 28 *et dextera* L *et* om. R add. r. 30 *fore* LR corr. r.

*vi pontus et undis Hesperium Siculo latus abscidit arvaque et urbes litore diductas angusto interluit aestu:* descriptionem partis huius poeta cum omni cautela prosequitur. dixit enim sese opiniones veterum sequi, qui unam fuisse Italiae atque Siciliae terram confirmant, sed interveniente violentia pelagi, angusto licet freto, esse divisam, ut inter Italiam et Siciliam esset medium mare. et quia hoc Vergilius noluit esse fabulosum, addidit argumentum, ut quod incerto auctore ferebatur vel verum vel versimile fieret; ait enim tantum aevi longinqua valet mutare vetustas. multorum enim locorum situs et facies longorum temporum vetustate mutantur et recedente natura in alias formas repente vertuntur. dixit causam quoque pelagi, ut terrae naturalem speciem unam antea posterius diviserit in duas partis. incipit dicere cur magis tenenda sit laeva, cur dextera fugienda. sed hic advertendum est tendentibus ad Italiam dici laevum latus et dexterum; ceterum redeuntibus sinistrum fit quod fuerat dexterum: hoc ita esse probatur ex eo quia . . . . . . . . . . . . . . vitia incipit referre lateris dexteri, sinistri etiam, sed facta conparatione vult referre quod
420 latus videatur esse dexterius. *dextrum,* ait, *Scylla latus, laevum inplacata Charybdis obsidet:* latus et obsidet bis accipiendum est hoc modo: dextrum Scylla latus obsidet, laevum latus Charybdis obsidet. Scyllam primo posuit, deinde Charybdim, verum, ne hiantem faceret dictionem, non rediit ad Scyllam, ut ipsam primo describeret, sed secutus est Charybdis demonstrationem et sic rediit ad Scyllam. vitium ergo Charybdis fuit tale: *imo barathri*

---

2 *deducta* LR. 4 *esse* LR ed. *se* r *sese* nos. | *sequi qui* om. ed. 5 *sicitaliae* LR *siciliae* r. | *confirmat* ed. | *se* LR *sed* r om. ed. 10 *longinquam* L. 13 *dixit causamque* LR *d. causam* r′ *dixitque c.* ed. *dixit causam quoque* nos. | *et* LR ed. *ut* nos. 14 *antea* LR *fuisse* additum vult r. | *dixerit* LR *dixit* r *divisit* ed. *diviserit* nos. *partis* LR *esse divisam* additum vult r. 19 post *quia* spatium quattuordecim litterarum vacat in L et aliquid excidisse patet, fortasse *laevum Siciliae* cf. v. 429 *primo multa* inepte interpol. ed. 20 *sinixtri* LR. 28 *imo* LR *atque i.* ed.

*ter gurgite vastos sorbet in abruptum fluctus rursusque sub auras erigit alternos et sidera verberat unda.* utrumque perniciosum navigantibus, aut cum sorbet et navigia vorat aut cum ructat et excutit in altitudinem rursus de summo in ima praecipitans. dextri quoque lateris quae metuenda sint monstrat: *Scyllam caecis cohibet spelunca latebris ora exertantem et navis in saxa trahentem. [prima hominis facies et pulchro pectore virgo pube tenus, postrema inmani corpore pistrix delphinum caudas utero commissa luporum.]* huic poetarum more formam monstri aliquam adsignat adserens eam superioris corporis parte humana specie demonstrari pube tenus hoc est usque ad inguina, pro pedibus autem habere saevorum animalium genus luporum feritate armatum. elegit animalis naturam quae semper habeat famem et satiari non norit. hoc ergo emissum longius adseruit navigia trahere in saxa ibique disperdere. sic quidem poeta posuit, ceterum revera locus est in mari saxa habens latentia, cuius natura sic se habet, ut de longinquis partibus navigia trahat, tracta retineat asperitate saxorum et retenta comminuat. *praestat Trinacrii metas lustrare Pachyni cessantem longos et circumflectere cursus quam semel informem vasto vidisse sub antro Scyllam et caeruleis canibus resonantia saxa:* propositis utriusque lateris malis et conparatis iudicat melius esse ire qua Charybdis esset, quoniam levius malum altero fuit, et laborem subire longioris cursus quam conpendio navigare per Scyllam et videre eam semel. non sic posuit semel, quasi videri iterum posset alio tempore, sed ut plenius exprimeret quid esset in ea periculi: quam nullus, inquit, iterum videre potest; visa enim evadi non valet quae sic unumquemque rapit, ut occidat. *praeterea, siqua est*

---

5 *qua* R *quae* r′. 6 *scyllam* LR *at Sc.* ed. | *hora* L. 7 *prima* — 9 *luporum* deest in LR, sed explicatur. 12 *usque* om. ed. 15 *habent* LR *habeat* nos *habet* ed. 16 *disperdere* LR vel *discerpere* adn. r. 17 *si* LR ed. *sic* nos. 20 *Trinacrii* om. LR add. r. 26 *longiores* R corr. r. 30 *evadi* LR *effugi* ed.

*Heleno prudentia, vati siqua fides, animum si veris inplet Apollo, unum illud tibi, nate dea, proque omnibus unum praedicam et repetens iterumque iterumque monebo:* dicturus rem magnam et Aeneae saluti vel maxime necessariam eam primo commendat altis sensibus tenaciter retinendam. si igitur sentis, inquit, aliquid me habere prudentiae: hoc ad eum pertinet' qui nondum numinis alicuius potentia teneatur. vati siqua fides: ecce venit ad personam vatis, si habetur, ait, ulla vatibus fides. animum si veris inplet Apollo: aut Apollo vera insinuat consulentibus edicenda. unum illud tibi, nate dea, proque omnibus unum praedicam et repetens iterumque iterumque monebo: unum dico pro omnibus hoc est pro commodo omnium desideriorum nec semel hoc ipsum, sed iterum ac saepius monens. unum inquit, ut in uno ostenderet non onerosum esse praeceptum. *Iunonis magnae primum prece numen adora, Iunoni cane vota libens dominamque potentem supplicibus supera donis, sic denique victor Trinacria finis Italos mittere relicta:* docet Vergilius maioris potentiae inimicos obsequendo potius quam resistendo posse superari: quapropter dat Helenus mandata et repetita commonitione insinuat Iunonem precibus et votis esse superandam, sic posse post Siciliam veniri ad Italiam, si placaretur illa quae Troianorum commodis ire obviam nosset. *huc ubi delatus Cymaeam accesseris urbem divinosque lacus et Averna sonantia silvis, insanam vatem aspicies:* insanam dixit plenam numinis. *quae rupe sub ima fata canit foliisque notas et nomina mandat. quaecumque in foliis descripsit carmina virgo digerit in numerum atque antro seclusa relinquit. illa manent inmota locis neque ab ordine cedunt.*

---

1 *vatis* (infra *vati*) R. 3 *iterumque* semel R corr. r. 4 *salutis* R corr. r. 9 *illa* ed. 15 *et in* LR *ut in* r ed. 18 *supra* LR corr. r. | *donis* LR *votis* ed. 20 *potiusque* R *p. quam* r. 21 *repetit a* ed. 22 *insinuat* L *-ant* R *-ans* edF. 23 *placeretur* LR corr. r ed. 25 *Cumaeam* ed. 26 *insanam* — 27 *numinis* om. R add. in marg. r'. 28 *discribsit* LR.

*verum eadem verso tenuis cum cardine ventus inpulit et*
*teneras turbavit ianua frondes, numquam deinde cavo vo-* 450
*litantia prendere saxo nec revocare situs aut iungere car-*
*mina curat: inconsulti abeunt sedemque odere Sibyllae.*
morem dixit Sibyllae et quo in loco sit et quo ordine
singulorum desideriis respondeat. sumit, inquit, folia, illic
responsa conscribit, ordinat et dimittit: veniunt homines,
considerant folia et futura cognoscunt. sed hoc habet
mos ipse contrarium: quippe si ventus inplerit fores et
ordinationem foliorum turbaverit, pereunt consulta et dubii
remeant qui instructi fuerant redituri. *hic tibi ne qua*
*morae fuerint dispendia tanti, quamvis increpitent socii et*
*vi cursus in altum vela vocet possisque sinus inplere se-* 455
*cundos, quin adeas vatem precibusque oracula poscas, ipsa*
*canat vocemque volens atque ora resolvat:* noli, inquit,
anxius esse de mora; licet enim clamitent socii, licet ele-
menta suffragentur, ne naviga prius quam Sibyllam con-
sulas; proderit enim tibi istiusmodi tarditas, ut instructior
abeas. quis esse possit huius rei fructus subnectit: *illa*
*tibi Italiae populos venturaque bella et quo quemque modo*
*fugiasque ferasque laborem expediet cursusque dabit vene-* 460
*rata secundos. haec sunt quae nostra liceat te voce moneri.*
ipsa, inquit, tibi edicet quae ego prohibeor aperire, sci-
licet quae ingruant bella, qui populi e diverso venturi
sint et quomodo singulos labores vel tolerando transeas
vel superando conpescas. conclusit Helenus responsa lae-
tum Aenean dimittens, etiam hortatur additis *vade age*
*et ingentem factis fer ad aethera Troiam.* fac, inquit,
ingentem Troiam pro merito tuo. ingentem ideo, quia

---

9 *impleret* LR *impleverit* r vel *inpulerit* adnot. r′ *implerit* ed. 10 *dubia* LR *-bii* r ed. 13 *vocent* LR *vocet* scripsi cum ed. interpr. neutro inclinat. | *possesque* LR corr. r. | *simus* L. 14 *portas* LR *poscas* r. 17 *nec naviga* LR ed. *ne n.* r, quod recepi propter *enim* (cf. 394). | *portus* LR *prius* r ed. 18 *prodenim erit* L *proderit enim* in rasura R. 19 *habeas* LR *abeas* r ed. 22 *secundos* LR *sacerdos* r″. *moveri* R corr. r′. 26 *conpescas* LR *mitiges* ed. | *responsae* LR corr. ed. 27 *additis* LR *his a.* r. | *age* LR *et* suppl. r″.

fecerat Helenus ipse, sed parvam. certum facit haec dicendo, quod per ipsum Troiae fortuna evadat ingens. eo ore locutus est, ut et vatis officium et amici intellegatur inplesse; aliqua enim dixit futura ut sacerdos, alia ut amicus monuit cessantibus partibus vatis. celerius redditur sic: *quae postquam vates sic ore effatus amico est.*

Haec ergo cum benivolo ore fuisset locutus et Aenean fideliter instruxisset, muneribus cumulavit. *dona dehinc auro gravia sectoque elephanto [imperat ad navis ferri]:* fit commemoratio munerum cum ornatu suo; nam species secti eboris et multi auri pondus significatum ostendebant meritum munerum quae Helenus donavit et iussit ad navis ferri. *stipatque carinis ingens argentum:* largitorem praecipuum dicit, qui tantum donasset argenti quantum naves nisi stipatae ferre non possent. *Dodonaeosque lebetas:* poculorum genus ferunt esse lebetas. *loricam consertam hamis auroque trilicem et conum insignis galeae cristasque comantis, arma Neoptolemi:* donavit quae opes augerent accipientis, donavit quae adversus hostilis impetus salutem tuerentur. singula cum decore suo posuit, dicendo quippe consertam hamis hoc est pulchra arte perfectam et auro insignem et galeam comantem. arma Neoptolemi: novissimum posuit cuius essent arma, illius scilicet qui captivos habuit Troianos et Troiam vicerat, quo esset insultatio arma victum possidere victoris. *sunt et sua dona parenti:* dedit etiam Anchisae sua dona, id est quae aetati eius merito convenirent. *addit equos additque duces:* dedit equos cum ductoribus suis. *remigium supplet:* quicquid remigiis deerat ipse conplevit. *socios simul instruit armis:*

---

2 *fortunae vates inquam* LR *fortuna succresceret v. i.* r′ *fortunae resurgent v. i.* ed., sed *vates inquam* corruptum esse patet: *fortuna evadat ingens* nos. 4 *aliqua — alia* LR *alia — alia* r′ *aliqua — aliqua* ed. 5 *monuit* LR *m. ut* ed. 6 *redditura sit* LR ed. *redditur sic* nos (i. e. coniunctum sacerdotis et amici officium). 9 *imperat — ferri* deest in LR, sed explicatur. 11 *significatum* LR *insigne* ed. 13 *fieri* LR *ferri* r. 15 *dodoneosque lebeas* (infra *lebetas*) LR. 20 *decoro* ed. 21 *confectam* ed. 27 *dedit* LR *addit* ed.

nullum nisi muneratum reliquit dans quod conpetebat fortibus viris. *interea classem velis aptare iubebat Anchises:* Helenus in officiis religiosis fuerat occupatus, cum autem haec ageret, iubebat suos Anchises parare navis et aptare navigationi necessaria hoc est apte congrueque disponere. *fieret vento mora nequa ferenti:* cur iuberet dixit: ne fieret mora suffragantibus ventis. *quem Phoebi interpres multo conpellat honore:* hunc Helenus honorificis verbis adloquebatur, continentibus scilicet laudem. dicitur laus ipsa: *coniugio Anchisa Veneris dignate superbo:* non quo ipse 475 quasi potior dignatus sit iungi matrimonio Veneris, sed quod dignus esset inventus qui ei iungeretur quae esset filia Iovis. hoc locutionis genus et in primo libro (335) posuit dicens „haut equidem tali me dignor honore". *cura deum,* id est quem dii amarent, probatio huius dicti: *bis Pergameis erepte ruinis.* qui cum esset debilis, non semel, sed secundo etiam liberatus sit periculis patriae, in qua ceciderunt viri fortes. dicendo bis ostendit non eventum fuisse vel casum, sed favore numinum esse servatum. *ecce tibi Ausoniae tellus: hanc arripe velis. et tamen hanc pelago praeterlabare necesse est:* Aeneae dixerat longe esse Italiam, verum ne taedium senex pateretur longam sperans superesse navigationem, sollicitudinem eius relevat spondendo proximam et usus est dicto ecce, quasi iam manu teneri potuisset aut oculis cerni. licet sit, inquit, proxima, usque adeo ut demonstrari et videri possit, tamen conprehendi non potest, nisi ad eam fuerit navigatum. hanc arripe velis: facilitatem nitendi voluit demonstrare. *Ausoniae pars illa procul quam pandit Apollo:* quod ait ecce demonstrantis est, hoc est quod conplevit dicendo partem esse Italiae quae templum praeferebat Apollinis. constabat autem longe non esse discretum

---

5 *congrueque* LR *et congrue* ed. | *disponens* LR corr. ed. 6 *iuberet* LR *fieret* ed. 10 *quo* LR *quod* ed. 11—12 *sed quo* LR *s. quod is* ed. *s. quod* nos. 12 *qui ei* LR *cui* ed. 15 *diei* L *dei* R *dicti* r′ ed. 21 *praeterlabere* r. 24 *revelat* R corr. r. | *et usus* LR *et* om. ed.

quod demonstrari poterat et videri. ecce Apollo consulitur et respondet, Apollo deos penatis facit loqui cum Aenea, ne ad Ortygiam redeat, Apollo nunc Italiam mon-
480 strat. *vade, ait, o felix nati pietate:* ornamentum totius laudis servavit ad finem, felicem iudicans eum qui haberet filium tanta pietate praestantem. usque adeo quod summum fuit, ut dictum est, servavit ad finem, ut nihil dehinc addiderit quod pertineret ad laudem. minuitur enim meritum laudis et cadit, si post praecipua et magna meriti inferioris aut deiecta iungantur. *quid ultra provehor et fando surgentis demoror austros?* venti, inquit, flant: non debeo fabulis longioribus inmorari commodum vestrum. *nec minus Andromache digressu maesta supremo fert picturatas auri subtegmine vestes et Phrygiam Ascanio
485 chlamydem nec cedit honori textilibusque onerat donis ac talia fatur:* Andromache, inquit, tristis de suorum supremo abscessu ferebat vestes Ascanio subtegmine variatas hoc est filo auro incluso distinctas. cum dicit qualis et non dicit quantas neque eas ipsas specialiter numerat, plus voluit in generalitate sentiri quam forsitan fuerant. et Phrygiam Ascanio clamydem nec cedit honori: duo merita posuit chlamydis, unum quod esset Phrygia, quae res dare potuit usuro solacium, quia veniebat illa ex originalibus terris, alterum quod tantae gratiae fuit, ut honori et merito conveniret Ascani: nam digna fuit qua uteretur talis, dignus etiam Ascanius qui tantam rem adplicaret usibus suis. hoc moraliter positum est; sunt enim plerumque nonnulli qui, cum ipsi sint humiles atque deiecti, utantur vestibus quas deforment, sunt qui cum vestibus suis pari honore contendant: in Ascanio igitur et chlamyde par meritum fuisse laudatum est. chlamys sola specialiter

---

1—2 *consuletur et respondit* LR corr. r ed. 4 *nati* om. LR add. L II man. r′. 5 *indicans* ed. 10 *aut* om. ed. 14 *subtemine* LR, sed infra *subtegmine.* 18 *auro* LR *aureo* ed. | *cum* LR *c. dicit quale* ed. *d. qu.* del. ed. post 19 *eas* om. ed. | *plus* LR *pl. enim* ed. 29 *utuntur* ed. 31 *clamis sola* LR *chlamydem solam* ed.

laudari commeruit, cetera generaliter. textilibusque onerat donis ac talia fatur: in Heleni parte dixit stipatque carinis, hic dixit onerat. Helenus donat argentum, lebetas, galeam, loricam, arma personis apta fortioribus, ipse quoque vir fortis; noverat enim quis cui quid dare debuisset. donat autem puero mulier in vestibus universa: hae enim conveniebant utrique personae. cum autem offerret Ascanio, addidit etiam verba plena religionis et quae animi benivolentiam apertius demonstrarent, commendationem quoque continentia et dantis et munerum. *accipe,* inquit, *et haec, manuum tibi quae monumenta mearum sint, puer, et longum Andromachae testentur amorem:* duas partis munerum fecit, unam quae in antiquis opibus fuisset quaeque esset confecta manibus alienis, in qua chlamys auri subtegmine variata, alteram quae non tanti pretii fuisset, esset tamen manibus confecta largientis. cum ergo has quoque offerret, ait accipe et haec hoc est praeter chlamydem et praedicta accipe etiam haec quae confeci ipsa manibus meis, ut haberet alterum quod esset in pretio, alterum quod omnia religione praeveniret nec consideraret quid datum videretur, sed respiceret potius personam dantis et adfinitatis adfectum. addidit Andromache *coniugis Hectoreae,* hoc est si pretio suo meritum apud te ista habere nequiverint, habeant saltem, quod has donat Andromache, uxor Hectoris, avunculi tui; huius quippe necessitudinis commemoratione fiet amoris nostri memoria in tuis sensibus diuturna. *cape dona extrema tuorum:* libentius accipi debent quae tibi offerunt tui dandi occasionem aliam non habituri. manuum tibi quae monumenta mearum sint, puer, et longum Andromachae testentur

---

1 *laudari commemoravit* LR *laudatur c.* r *laudari commeruit* nos cf. 606. 5 *quis cui quid* LR *quod cuique* ed. 6 *haec* LR ed. *hae* nos. 7 *conveniebat* LR *-bant* ed. 12 *Andromache* ed. *-es* ed. post. 14 *esse* R *esset* r. 17 *afferret* ed. 19 *meis* L *suis* R corr. r. 20 *nec* LR *non* ed. 30 *ex longum* R corr. r. | *andromache* LR ed. *-es* ed. post. | *testantur* R.

amorem hunc habent intellectum: quia puer es et spero te diu victurum, poterit apte esse amoris mei diuturna
490 memoria. *o mihi sola mei super Astyanactis imago. sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat et nunc aequali tecum pubesceret aevo:* miserabilis vox eius quae fili sui similitudinem videbat in Ascanio. tu, inquit, solus es qui fili mei similitudinem portas; denique qualis tu oculos habes et manus talis etiam ille habuit, sic fuit omnis facies eius ut tua, aetas quoque consimilis tecum pubesceret, si in hoc tempus mansisset incolumis. dum gemit fili memoriam, dum dolores suos miseranda voce prosequitur, prodidit causam liberalitatis suae; arbitrabatur enim quae tanta conferebat ei qui Astyanactis similitudinem ferret non se extrario donare, sed filio. *hos ego digrediens lacrimis adfabar obortis:* ego, inquit, recessurus a civibus bonis ac religiosis, ab his qui iuxta me ac meos tam liberales extitissent non potui abire sine pectoris morsu; nam quantum maeroris animi gererem testabantur oculi mei obortas lacrimas ingenti ubertate fundentes. obortas dixit, scilicet non coactas aut cum aliqua flendi cogitatione prolatas. inter ipsas tamen lacrimas huiusmodi verbis adfatus utrumque sum, hoc est Helenum et Andromachen: *vivite felices quibus est fortuna peracta iam*
495 *sua. nos alia ex aliis in fata vocamur: vobis parta quies, nullum maris aequor arandum arva neque Ausoniae semper cedentia retro quaerenda. effigiem Xanthi Troiamque videtis, quam vestrae fecere manus, melioribus opto auspiciis, et quae fuerit minus obvia Grais.* optimam occasionem poeta repperit qua definiret quid sit feliciter vivere. feliciter est vivere, inquit, manere otiosum in uno loco et adversa fortunae ulterius non timere. admiranda conceptio dictionis; Aeneas enim fortunam suam gravem et

3 *ei ppar* R *mei super* r. 5 *quia* R *quae* r. 6 *in Ascanio* — 7 *portas* om. ed. 7 *filii mei* R *filium ei* L. 14 *extraneo* ed. 16 *ab his* LR *et ab h.* edF. | *iuxta* LR *erga* ed. 18 *animo* ed. 22 *affectus* R *affatus* r. 30 *est vivere* LR *vivere est* edF.

satis adversam felicitati conparat alienae. denique totus in eo est ut singula cum singulis conferat. felices estis, inquit, et beatam ducitis vitam quorum infortunia transacta sunt et mala consumpta: proinde vivite, quoniam vobis vitae delectatio et otium superest. nos enim vitam ducimus miserandam qui trahimur per incerta. vobis provenit quies pleno successu nec ingruit feta periculis navigandi necessitas. vivite qui estis a mea infelicitate discreti nec mecum quaeritis Italiam, quae tantum recedit quantum eam nos insistendo persequimur. non ita posuit arva retro cedentia, quod vere possibile esset, sed ut exprimeret eius hominis taedia qui per tot annos tantis laboribus consumptis nondum inveniebat quo pervenire cogebatur. effigiem Xanthi Troiamque videtis, quam vestrae fecere manus; habebant enim nomina originalis terrae, quae idcirco addiderant, ut amissae veritatis adfectum simulatorum vocabulorum nuncupatione pensarent. quam vestrae fecere manus; gratius est enim et dulcius quicquid per nos fabricatur aut surgit. melioribus opto auspiciis et quae fuerit minus obvia Grais, ne memoria nominis Troiae quod adversis fatis penitus interierat aliquod alterius Troiae omen simile nasceretur, addidit dicens fecistis quidem Troiam, sed opto ut melioribus fatis sit condita nec habeat aliquando obvios Graecos aut eorum faciem noverit, quod malum facile potuit nasci et accedere constitutae in partibus suspectis. sed hoc obtinuit ne aliquando fieret. *si quando Thybrim vicinaque Thybridis arva* 500
*intraro gentique meae data moenia cernam:* si umquam,

---

2 *in eo* om. R add. r. 3 *inportunia* R corr. r. 7 *feta* LR *plena* ed. 8 *quietis* R *qui estis* r′. 9 *discedit* ed. 10 *potuit* LR *posuit* r′. 13 *co* LR *quo* r ed. 15 *numinum* LR edI *nomina* r′ edF. 19 *surget* R corr. r. 20 *nemo nominis* LR *ne nominis* r *memor n.* ed. *ne memoria n.* nos (*mo* ex *memoria* truncatum in archetypo fuisse videtur ut multa). 21 *quod* LR *quae* ed. | *aliquod* LR *ne al.* ed. 22 *nomen* LR ed. *omen* nos. 24 *faciem* LR ed. *aciem*? 26 *obtinuit* LR ed. *optavit* r′ nescio an recte. 27 *thebrim* LR.

inquit, Tiberim videre contigerit et agros Italiae ac moenia quae nobis fatorum ratione dicuntur esse decreta. cum dicit si quando, ostendit plus esse in proximitatis desperatione, quoniam superius dixit Italiam sequimur fugientem. *cognatas urbis olim populosque propinquos, Epiro Hesperiam, quibus idem Dardanus auctor atque idem*
505 *casus, unam faciemus utramque Troiam animis, maneat nostros ea cura nepotes:* etsi nos, inquit, per longa regionum divortia fortuna conpellit, tamen animorum potest esse indivisus adfectus; cum enim uno generis auctore nitamur sintque nostri ad quos speramus nos esse venturos, fiet ut vestra Troia et nostra animorum religione nectatur. quibus enim in adversis eiusdem casus consortium fuit debent felicium quoque temporum prosperitate coniungi. maneat nostros ea cura nepotes: nostros studiosius imitari quod viderint nos esse sectatos.

*Provehimur pelago vicina Ceraunia iuxta, unde iter Italiam cursusque brevissimus [undis]:* ut, inquit, pelago provecti sumus hoc est porro vecti, ad eum venimus locum qui non longo cursu abesset ab Italia. *sol ruit interea et montes umbrantur opaci:* elapsus fuit dies ex maxima parte.
510 *sternimur optatae gremio telluris ad undam sortiti remos:* remis, inquit, ad litus accessimus. *passimque in litore sicco corpora curamus, fessos sopor inrigat artus:* in ipso illo litore refectis ex cibo corporibus quievimus, mox vero, ut fessos artus solet, somnus tenuit. *necdum orbem medium nox horis acta subibat, haut segnis strato surgit Palinurus*
515 *et omnis explorat ventos atque auribus aera captat, sidera*

---

1 *tibrim* LR *Thybrim* ed. 3—4 *proximitate desperationis* edF. 5 *cognatasque* ed. 6 *epyro* L. | *hesperiam* LR (scil. propinquam) *Hesperia* ed. 7—8 *nostros maneat* ed. corr. ed. post. 8 *regionum* LR *regnorum* ed. 10 *effectus* LR corr. ed. 11 *sintque — venturos* om. ed. 17 *unde est iter* contra metrum r. 18 *undis* deest in LR add. ed. 21 *fuit* om. R add. r′. 25 *ille* LR *illo* ed. | *flevimus* LR vel *sedimus* in marg. adnot. r′ *sedimus* ed. *quievimus* nos. 27 *horris* LR.

*cuncta notat tacito labentia caelo: Arcturum [pluviasque Hyadas geminosque Triones armatum]que auro circumspicit Oriona:* officium solliciti peritique et diligentis gubernatoris expressit. quod enim pertinebat ad eius curam, evigilavit conpetenti tempore, quod ad peritiam, sidera omnia inspexit, quod vero ad diligentiam, exploravit universa. Triones: quidam volunt quasi Vergilius de nomine ipso aliquid detraxerit, cum hoc solo nomine vocitentur signumque habeant ex numero stellarum additum nomini. sive igitur dicamus Triones sive Septentriones, eo redigitur res, ut utrumque sit integrum. *postquam cuncta videt caelo constare sereno, dat clarum e puppi signum, nos*
*castra movemus,* hoc est navigia. *temptamusque viam:* 520
primo enim quibusdam temptamentis initium sumitur navigandi, ut naves in altum producantur. *et velorum pandimus alas:* velorum, inquit, spatia et angulos aperimus. usurpatum est, ut alae dicantur velorum quibus volari possit in pelago. inde est quod alio loco (124) ait „linquimus Ortygiae portus pelagoque volamus“. *iamque rubescebat stellis aurora fugatis, cum procul obscuros collis humilemque videmus Italiam,* non quia natura sua humilis erat atque depressa, sed quia etiam illa quae alta sunt, cum navigantibus longe apparuerint, esse videntur humilia. *Italiam primus conclamat Achates, Italiam laeto socii clamore salutant:* gratulabantur se repperisse Italiam, quam
per tot annos quaesitam invenire nequiverant. *tum pater* 525
*Anchises magnum cratera corona induit inplevitque mero divosque vocavit stans celsa in puppi:* ob id, inquit, quod visa esset Italia, pater meus diis vota solvebat. *dii maris*

---

1 *pluviasque* — 2 *armatum* om. LR. 2 *arcturumque* scripserunt LR corr. ed. 9 *numini* LR ed. 12 *e* om. ed. 17 *volare* LR corr. ed. 21 *quia* R *qua* L. 24 *Italiam* bis ed. alterum del. ed. post. 28 *in vota vocavit* LR edI *in vota* del. edF nec sequitur ex interpretatione ut Don. legerit quod versus respuit, potuit *vota solvebat* propter *magnum cratera* etc. scribere: spuria verba ex 7, 471 irrepserunt.

*et terrae tempestatumque potentes:* dii maris, dii terrae,
dii tempestatum potentes. *ferte viam vento facilem et*
*spirate secundi,* hoc est viam facilem praebete per maria
et favorem vestrum temperato flatuum suffragio commo-
530 date. ecce accedit petitionis fructus. *crebrescunt,* inquit,
*optatae aurae:* naturali more dixit; aura enim nascitur,
cum primum exoritur lux, quam supra induxit nascentem,
quo accedente crebrescit ventus. *portusque patescit iam*
*propior templumque apparet in arce Minervae:* in arce,
ait, hoc est in altitudine templum Minervae apparet.
*vela legunt socii:* hoc verbum nautis est familiare; nam
funes et vela cum colligunt vel aliqua loca transeunt,
legere appellant. *et proras ad litora torquent:* arrepta
enim statione fida oportunum fuit descendere refectionis
causa. descriptio portus qui venientibus occurrerat: *portus*
*ab euroo fluctu curvatus in arcum, obiectae salsa spumant*
535 *aspargine cautes, ipse latet, gemino demittunt bracchia muro*
*turriti scopuli refugitque ab litore templum:* portum ipsum
non humana industria, sed natura procuraverat; nam ab
oriente sole, qua maris fluctibus infestari potuit, magnas
obiecerat cautes, quae violentiam maris exceptis fluctibus
frangerent. spuma tantum apparebat, quae, cum nullius
esset virtutis, nocere non poterat. ipse, inquit, portus
latet, hoc est cum saeviunt fluctus, cum procellae universa
perturbant, ipse nescit quid agatur in pelago. sic enim
eius est situs, ut venti illum quamvis validi reperire non

---

1—2 post lemma *dii — potentes* atramento scriptum *dii maris dii terrae dii tempestatumque potentes* rubro colore lemmatis instar scripsit L eadem praebet R om. ed.: interpretatio est Donati more suo *dii* ter accipiendum esse docentis, sed *que* ex lemmate inepte repetitum delevi. 13 *vela legunt socii* lemmati praefixit ed. deest in LR. 14 *scendere* LR *ascendere* r′ *descendere* ed. cf. 10, 283. 15 *sequitur* ante *descriptio* interpol. ed. *fit* malim. 16 *euro* LR *eoo* r ed. 17 *aspergine* ed. 18 *ab* LR *a* ed. (et infra). 20—21 *magna subiecerat* LR *magnae se subiecerant* r′ *magnas natura subiecerat* ed. *magnas obiecerat* nos. 23 *portus* om. ed. 24 *comsaeviunt* R corr. r. 26 *validis* R corr. r.

possint. procurat eius tranquillitatem altitudo saxorum, quae in modum brachiorum utrimque proiecta contra procellas et turbines quasi adversus hostis murum praestant. refugitque ab litore templum: constitutis in portu eodem templum non apparet; obsistentibus enim scopulis in inmensum ductis videri non potest. *quattuor hic, primum omen, equos in gramine vidi tondentis campum late:* speciosum dictionis genus; non enim dixit vidi equos in campo latissimo gramen tondentis, sed vidi, inquit, equos in gramine tondentis campum latissimum, et cum non dicit quibus aliis herbis pascerentur, ostendit sola illic gramina fuisse. *candore nivali:* ecce in equis quod omnia quattuor fuerant et coloris nivei, constituti in magna alimoniae substantia et lata in ubertate camporum. *at pater Anchises bellum, o terra hospita, portas, bello armantur equi, bellum haec armenta minantur:* pater, ait, meus Anchises fiducia scientiae suae mox pronuntiavit equorum visum bella portendere hac coniectura, quod equis eatur ad bellum. confirmatio adsertionis ipsius fuit et plenissima pronuntiatio qua additur bellum, o terra hospita, portas, bello armantur equi, bellum haec armenta minantur. ridicule hic quidam coniciunt quod Anchises exemplo equi ductus per quem periit imperium Troiae pronuntiaverit equos istos bellum significare. sed falsum est; idem quippe iudicium suum ex interiore scientia prolatum sequenti et contraria disputatione dissolvit dicendo *sed tamen idem olim curru succedere sueti quadrupedes et frena iugo concordia ferre:* nonnumquam solet, inquit, hoc animalium genus et ad currum iungi et iuga

---

2 *proiectae* LR ed. 4 *rugitque* R corr. r. 6 *in* LR *et in* r′. | *ducitis* R corr. r. 7 *in* om. R add. r. | *tundentis* (et infra) LR. | *latesimum* LR (ex interpr. irrepsit) *latissimum* deinde *late* corr. r′. 12 *omnia* LR *omnes* r ed. (potest *omnia* pro *omnino* posuisse ad exemplum Vergilii 4, 558). 13 *colores nivei* LR corr. r′ *colore niveo* edF. 14 *at* LR *et* ed. et optimi Verg. libri. 20 *qua* LR *quod* ed. 27 *fidem* L *//idem* cum ras. R. | *succidere* LR.

portare et frena concorditer ferre: quo genere reductus in aliam partem *spes et pacis ait.* quomodo, inquit, significant bellum pacem quoque significare possunt. dixit quemadmodum valeant etiam spem pacis ostendere, quoniam signa pacis sunt quae de numero, de curru et de frenis ostendit, pronuntiatione tamen duplici atque diversa utramque fecit incertam. *tum numina sancta precamur Palladis armisonae, quae prima accepit ovantis:* accedebat his omnibus signis demonstrantibus per coniecturas bellum quod templum armatae Palladis occurrerat, quae merito rogabatur ut prosperum faceret, si quid forte inminere possit adversi, et ovantis dimitteret quos ovantis exceperat.
545 *et capita ante aras Phrygio velamur amictu:* rogabamus, inquit, velatis capitibus ante aras more patrio stantes. ante aras dixit, ut ostenderet non solas preces fuisse verum etiam munera. aras dixit fuisse in navi, quae non erant, ut ostenderet aram dici posse ubicumque sacrificatur. *praeceptisque Heleni, dederat quae maxima, rite Iunoni Argivae iussos adolemus honores:* memores ait praeceptorum Heleni, quae maxime curanda et semper retinenda mandaverat. Iunoni Argivae, hoc est quae apud Graecos praecipue colebatur vel Graecis favebat. iussos: ostendit necessitatem faciendi fuisse, non voluntatem.

*Haut mora, continuo perfectis ordine votis cornua velatarum obvertimus antemnarum:* perfecto, ait, votorum ordine submota omni mora obvertimus velatas antemnas, ut cursum navibus mutaremus. velatas antemnas dixit quae tenerent vela. dicit causam propter quam hoc fece-
550 runt: *Graiugenumque domos suspectaque linquimus arva.*

---

1 *seductus* ed. 2 *spes et* LR *sp. est* r′ (*et* confirmant *quoque* et *etiam* in interpr.). 5 *numero* LR *munere*? 8 *accedebat* LR om. ed. 13 *aram* LR ed., sed in interpr. *aras*, quare correxi. | *vela* R *velamur* r′ *velamus* r″. | *amictui* R corr. r′. 16 *aras* LR *quoque* inepte add. ed. 19 *adholemus* LR. 22 *iussos* LR *adolemus honores et hoc dicendo* quaere in marg. adnot. r′: nihil desideratur. 24 *velatamurum* LR corr. r.

quae enim suspecta sunt dimitti debent quam videri. iam nomina locorum exequitur quae transierunt vel quae evaserunt. *hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti cernitur, attollit se diva Lacinia contra Caulonisque arces et navifragum Scylaceum, tum procul e fluctu Trinacria cernitur Aetna et gemitum ingentem pelagi pulsataque saxa* 555 *audimus longe fractasque ad litora voces exultantque vada atque aestu miscentur harenae:* more suo multa superflua descripsit, ut ad eum locum veniret qui fuerat necessarius. debuit enim partis Charybdis tangere, ut responsorum Heleni fides aperte ostenderetur. hanc primus Anchises intellexit; ipse enim dixit *nimirum hic illa Charybdis, hos Helenus scopulos, haec saxa horrenda canebat.* parum fuit loca intellexisse, nuntiasse etiam, dat quoque in praesenti consilium, ut evadi potuisset, dicens *eripite, o socii, pa-* 560 *riterque insurgite remis.* socios non frustra appellavit; in communi enim periculo omnibus fuerat laborandum, ne simul omnis sorberet Charybdis, quasi diceret pro vobis facietis, quod periculorum praesentium participes estis. *haut minus ac iussi faciunt:* confestim, ut iussi sunt, fecerunt, quippe adversus praesentem et maximam vim celeres et maximi omnium conatus fuerant necessarii quorum periculum fuit. *primusque rudentem contorsit laevas proram Palinurus ad undas. laevam cuncta cohors remis ventisque petivit:* Palinurus in hac causa, quem observabant universi, si periculum vitare potuisset, consilium primus arripuit ut ad laevam niteretur: hunc imitabantur ceteri, iuvabat et ventus; sed nihil profuit pervenisse, nisi quod adparati venerunt ad resistendum, tamen ob-

---

1 *quam inde* LR *quam retineri* r′ *quam videri* nos om. ed. 4 *sedit ualacinia* R corr. r′. | *coloniaeque* LR *auloniaeque* r′. 7 *ad litora* LR edI *in littore* edF. 11 *fides* L *fidem* R ed. | *ostenderetur* R *ostenderet* L ed. | ante *hanc* nescio an lemma *et pater Anchises* exciderit. 18 *quodsi* LR edI *quasi* r edF. 19 *quod* LR *qui* ed. 24 *cuncta* om. LR. 26 *universi periculum* LR *qui* interpos. ed. *si* nos. 29 *nisi qui* LR ed. *nisi quod* nos *nisi quia* O.

tinuit malum quod navigia inplicabat. *tollimur in caelum curvato gurgite et idem subducta ad manis imos desedimus unda:* descriptionem fecit Charybdis secundum Heleni denuntiationem; factis primo quippe verticibus pelagi cum ipsis navibus ad caelum exaestuans unda pervenit, dehinc remeans in altitudinem demersam revocatas adduxit. *ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere, ter spumam elisam et rorantia vidimus astra:* tale fuerat malum, ut hoc constet non semel valuisse, sed saepius, tantaque eius fuerat vis, ut sereno caelo astra videremus in nubibus rorantia, dum ad plenum redirent undae quas ructaverat Charybdis. *interea fessos ventus cum sole reliquit, ignarique viae Cyclopum adlabimur oris:* post periculum Charybdis delati, inquit, sumus ad monstra et, quia dici potuit cur tendebatis ad haec loca quae saluti vestrae potuerunt esse contraria? ipse ultro usus excusatione est praetendens locorum et viarum ignorationem et tenebrarum noctis . . . . . . . . . .

Huius describitur situs: *portus ab accessu ventorum inmotus et ingens ipse, sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis interdumque atram prorumpit ad aethera nubem turbine fumantem piceo et candente favilla attollitque globos flammarum et sidera lambit, interdum scopulos avulsaque viscera montis erigit eructans liquefactaque saxa sub auras cum gemitu glomerat fundoque exaestuat imo.* dum vult praedicti portus bona malaque narrare, habuit occasionem ut Aetnae quoque flammas, ruinas, motus horrendos ac sonitus et eructationes fumosi incendii describeret. *fama est Enceladi semiustum fulmine corpus urgeri mole hac*

---

2 *manissimam* LR. | *desedimus* L *desedemus* R *descendimus* ed. 6 *revocatos* ed. 9 *constet et* LR ed. *et* delevi. 10 *visui* LR *vis ut* ed. 11 *rorantiad* LR *rorantia ut ad* r ed. *r. dum ad* nos. 17 *tenebras* ed. post. 18 post *noctis* lacunam signavi (post *ignorationem* asteriscum posuit ed. del. ed. post.), quia excidisse patet et unde *tenebrarum noctis* pendeat et quo *huius* referatur. 21 *ruimus* R *ruinis* r. 24 *aures* R corr. r. 29 *semitistum* LR: uncialis litterae *u* (u) forma

*ingentemque insuper Aetnam inpositam ruptis flammam expirare caminis, et fessum quotiens mutet latus, intremere omnem murmure Trinacriam et caelum subtexere fumo:* eiusdem Aetnae etiam originem et casus volens poeta subnectere, quoniam incerto auctore prolata videbantur perindeque erant fabulosa atque incredibilia, fama est, inquit, ne in rebus incertis et fortassis inpossibilibus ipse se quasi certum auctorem constitueret. inserit iam ipsam fabulam non se auctore, ut dictum est, sed fama vulgatam. Enceladum, inquit, Gigantem ferunt pro sacrilegio quod adversum deos cum ceteris Gigantibus admiserat semiustum fulmine Iovis ingentis Aetnae molibus esse subiectum perindeque montem ipsum ignem ructare fulminis poena, facere autem motum terrae, cum idem Enceladus conversus in aliud latus alterius voluerit vice adfectas viris et tolerandi substantiam reparare. *noctem illam tecti silvis inmania monstra perferimus nec quae sonitum det causa videmus. nam neque erant astrorum ignes nec lucidus aethra siderea polus, obscuro sed nubila caelo et lunam in nimbo nox intempesta tenebat:* faciebant, inquit, nobis horrorem sonitus silvae, nox nubila nullo solacio vel lunae vel siderum; omnia quippe nubes obtexerant.

*Postera iamque dies primo surgebat eoo umentemque aurora polo dimoverat umbram, cum subito e silvis macie confecta suprema ignoti nova forma viri miserandaque cultu procedit supplexque manus ad litora tendit.* mox, ait, ut lux coepit exoriri, emersit ex silvis ignoti nova forma viri. non hoc est nova forma quod est ignoti; nova enim forma

---

in archetypo occasionem erroris dedisse videtur (inde *tibi* pro *ubi* 5, 795) *semiustum* r *semustum* ed.

2 *mutat* ed. 4 *casus* LR *causas* edF. 8 *inseretiam* LR *inserit iam* r *inserit etiam* ed. 9 *auctorem* LR corr. r ed. 10 *fecerunt* L *infecerunt* R *interfecerunt* r *finxerunt* ed. *ferunt* nos. 11 *semiustum* LR *semustum* ed. | *flumine* LR corr. r. 14 *votum* LR *voto* r corr. ed. | *effectas* LR *effetas* r edF *adfectas* nos. 16 *substantia superare* ed. *s. superari* ed. post. 17 *vidimus* LR. 18 *castrorum* ed. | *sideria* LR. 19 *in* om. ed. 23 *euo* LR. 27 *e sylvis* ed.

ad ea pertinet quae infra de cultu eius et sordibus specialiter posuit, ignoti autem quem revera nescissent. *miserandaque cultu:* et hoc ad generalitatem pertinet; quam inferius aperit describens tegumen eius et barbam. *supplexque manus ad litora tendit:* gestu corporis et manibus ostendens quid rogaret, quia vox eius audiri non poterat ipso in litore posito et nobis in navibus constitutis. *respicimus:* ideo respicimus posuit, quia non audiebatur vox rogantis. *dira inluvies:* non respicimus dira inluvies, sed separatim pronuntiandum est et absolute intellegendum, ut sit quod respeximus dira inluvies fuit. non suffecerat nominasse inluviem, ait et dira. *inmissaque barba:* inmissa hoc est ultra modum grandis. *consertum tegumen spinis:* non illum texerat tegumen more hominum sutum, sed habuit concinnatum spinis: non enim in talibus locis acus habuit aut fila aut fuit species integra quae honesto genere iungeretur. spinis ergo frusta pannorum continentibus consertum illius fuerat tegumen. *at cetera Graius:* locutionis genus est quod est (1, 320) „nuda genu". in ceteris, inquit, Graius apparebat; nam superioribus hostibus ita consimilia in illo fuerant omnia, ut quivis intellegere
595 posset hominem Graecum. *et quondam patriis ad Troiam missus in armis:* apparebat eum ex iis esse qui ex partibus Graeciae ad expugnandam venerant Troiam. quam gratum fuit Troianis, ut talem videbant inimicum suum! *isque ubi Dardanios habitus et Troia vidit arma procul, paulum aspectu conterritus haesit continuitque gradum, mox sese ad litora praeceps cum fletu precibusque tulit:* ex eo, inquit, magis intelleximus unum fuisse de hostibus et ex

---

2 *autem* LR *vero* ed. 4 *tegumenta* ed. 11 *suffecit* ed. 12—13 *barba inmissa* om. R. 13 *tegmen* ed. 14 *ille* ed. 16 *aquus* R corr. r *acum* ed. 17 *frustra* R corr. r. 18 *ad* R *at* deinde *et* r. 19 *locus* LR *genus* edF. | *quod* LR *quale* edF. 20 *sordibus* LR ed. *hostibus* nos (ut 597). 23 *exisse* LR *ex iis esse* ed. *ex partibus Graeciae* post *exisse* transponi vult r. 24 *venerant* L *venerat* R (hinc coniectura quam protulit r excusatur). 25 *videbant* LR *-rent* ed., sed *ut* temporale est. 26 *hisque* LR *isque* r.

eo prior nostra firmata suspicio est, quia, cum nos Troiano cultu et armorum indicio cognovisset, territus conscientia substitit paululum. sed, ubi metum eius necessitas vicit, mox sese ad litora praeceps cum fletu precibusque tulit. praeceps hoc est ultra modum festinans et nihil metuens, ne desiderium eius cursus navium praeveniret. cum fletu precibusque se tulit ad litora atque haec, cum rogaret, dixit: *per sidera testor, per superos atque hoc caeli spira-* 600
*bile lumen, tollite me, Teucri, quascumque abducite terras.* cum longe esset, gestu corporis se supplicem demonstravit, at vero, ubi ad litus pervenit, addidit preces et lacrimas, quando videri poterat et audiri. *hoc sat erit:* abundabit, inquit, mihi ad solacium, si cum hominibus fuero. *scio me Danais e classibus unum et bello Iliacos fateor petiisse penatis, pro quo, si sceleris tanta est iniuria nostri, spar-* 605
*gite me in fluctus vastoque inmergite ponto. si pereo, hominum manibus periisse iuvabit:* ultro confessus est originem suam neque hostem se esse negavit et propter sacrilegium quod in deos penatis admiserat iudicium de se habuit omnibus poenis dignum se esse confirmans. fecit hoc, non quo vere mori vellet, sed ut confitendo indulgentiam mereretur et viveret. addidit spargite me in fluctus, in partis scilicet divisum, quod facile fieri potuit ex occasione loci, sed ne fieret, crudelitas facti descripta est. conclusit, hanc quasi revera libenter quaereret mortem, et ait vastoque inmergite ponto, id est si pereo, hominum manibus periisse iuvabit. ecce ubi prodidit quia vivere magis maluit quam occidi. si pereo enim dixit, non cum periero. si pereo cum dicit, et discriminis sui exitum facit incertum et ostendit se duci

---

1 *suspicio est* LR *suspicione* edI *suspicio* edF. 3 *subsistit* LR *substitit* r ed., quod recipiendum putavi. 6 *praeveniret* L in R abrasum add. in marg. r′. 17 *manum manus* LR *manibus* r′. 18 *atque* LR ed. *neque* nos. | *negavit* LR *non n.* r ed. 21 *quo* LR *quod* ed. | *confidendo* R corr. r′. 22 *meretur* R corr. r′. 24 *sed* om. R add. r′. 28 *magis* om. ed. 29 *non cum* L *nam c.* R corr. r′ = L.

spe quod inpetrare misericordiam posset. hominum manibus periisse iuvabit: feram, inquit, mecum solacium moriens, quod non ferarum morsibus, sed hominum manibus perire commerui. *dixerat et genua amplexus genibusque volutans haerebat:* non solum fletibus ac voce verum etiam obsequiis corporis extorquebat salutis beneficium; genibus enim nitebatur per terram et genua . . . . . . retinebat amplexibus. *qui sit fari, quo sanguine cretus hortamur, quae deinde agitet fortuna fateri:* tria quaesita sunt, nomen eius, quibus esset prolatus parentibus quaeve esset eius fortuna. haec ut fateretur hortamenta nostra non deerant. fari et fateri uno loco posuit, quod non pro uno atque eodem Vergilius intellegi voluit. fari est enim simpliciter aliquid referre, fateri autem ex necessitate quae secreto conteguntur publicare. loqui ergo debuit ut
610 supplex, et confiteri qui tot scelerum fuerat reus. *ipse pater dextram Anchises haut multa moratus dat iuveni atque animum praesenti pignore firmat:* hortamentis ait nostris pater meus robur adiecit porrigendo ei dexteram suam, quod quia fuit benivolentiae, dubitantis animus ac paventis firmatus est et securus effectus. denique sequitur *ille haec deposita tandem formidine fatur.* quid facit reiecta formidine superioris momenti? coepit his verbis ad proposita respondere: *sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulixi, nomen Achaemenides,* ecce dixit qui sit, Ithacus sum, inquit, Ulixis quoque comes et Achaemenides vocor. dicit dehinc quo sanguine cretus et quod unus esset ex
615 hostibus: *Troiam genitore Adamasto paupere (mansissetque utinam fortuna!) profectus.* quantum ad sanguinis rationem pertinet, patre, inquit, Adamasto natus sum paupere, profectus autem ad Troiam comes infelicis Ulixi; atque

---

4 *commeruit* LR *-rui* r *-ritus sum* ed. 5 *habebat* LR. 6 *corporeis* ed. 7 post *genua* spatium septem fere litterarum vacat in L, fortasse *nostra* excidit. 11 *eius* om. R add. r′ = L. 22 *for* LR *formidine* r. | *quid facio reiecta* LR *qui reiecta* r *quid faceret r.* ed. *quid facit r.* nos. 24 *comis* LR corr. r. | *infelicis* om. LR add. r. 25 *nomine* ed. 27 *deinde* ed.

utinam mansisset fortuna, quia dicturus est se metu sociorum relictum in illis terris Ulixis comitem esse desisse. incipit dicere quae illum agitet fortuna: *hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt, inmemores socii vasto Cyclopis in antro deseruere,* ut ostenderet non odio interveniente relictum se illic esse, sed metu periculi evidentis, in quo quisque sibi potius consulebat quam alteri. *domus sanie dapibusque cruentis intus opaca, ingens, ipse arduus altaque pulsat sidera (dii, talem terris avertite pestem!) nec visu facilis,* inquit, *nec dictu adfabilis ulli, visceribus miserorum et sanguine vescitur atro.* dixit haec, dicit unde eadem ipsa scire potuit, proinde descripsit Cyclopis magnitudinem ac feritatem, antrum autem conveniens habitatoris formae et quod praedas maximas capere potuisset, se autem relictum a sociis, cum fugerent, dicit. simul etiam monstrat crudelitatem beluae probatam suorum exemplo ac nece: *vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro prensa manu magna medio resupinus in antro frangeret ad saxum sanieque aspersa natarent limina, vidi atro cum membra fluentia tabo manderet et trepidi tremerent sub dentibus artus.* rapuerat, inquit, Cyclops de nobis duos, horum poenam spectavi oculis meis, cum utrumque una manu conprehensum resupinus fortius saxo inlideret. utrumque igitur sustulit coniectumque in aspersas cautes per frusta comminuit: horror omnis et inmanitas videbatur, antrum omne sanie taboque respersum, limina ipsa corrupto cruore natantia. ipse autem semineces artus mandebat dentibus et adhuc membra trementia transvorabat.

---

2 *se esse* LR ed. *se* delevi. 7 *sub potius* LR *sibi p.* r ed. 10 *inquit* LR om. ed. 11 *antro* LR *atro* r ed. | *dixit haec* om. ed. | *dicit unde* LR *dixit u.* r′. 13—14 *habitatores formae* LR corr. r *habitatori immani* ed. 17 *ac nece* LR *Aeneae* ed. 18 *praehensa* LR. | *melio* LR *medio* r. 19 *respersa* LR, sed infra *aspersa*, sic r″. 20 *trepidi* LR (et infra) *tepidi* r. 22 *expectavi* LR corr. r ed. 24 *at numquam* LR *ut utrumque* edF *utrumque* nos: quaere in marg. r′. 25 *frustra* LR ed. 27 *natanti* LR corr. r ed. 28 *transforabat* LR corr. ed.

horum versuum sensus ordinatur sic: cum duo corpora de numero nostro prensa manu magna resupinus in antro ad saxum frangeret et trepidi tremerent sub dentibus artus ac manderet membra tabo fluentia sanieque aspersa natarent limina, vidi egomet. vidi, quod semel dixit, itemque cum ad omnia pertinent, ut sit vidi, cum duo corpora de numero nostro manu magna resupinus in antro ad saxum frangeret, vidi, cum trepidi tremerent sub dentibus artus, vidi, cum manderet membra tabo fluentia, vidi, cum sanie aspersa natarent limina. *haut inpune quidem:* sed hoc factum non ei cessit. haut inpune quidem *nec talia passus Ulixes:* Ulixes, inquit, talia inulta remanere non passus est. *oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto:* omnis quidem nos, ait, dirum illud turbavit exemplum, Ulixes solus natura callidus, usu et ingenio vehementer instructus tantae crudelitatis visu territus non est neque oblitus est
630 sui hoc est non perdidit industriam solitam. *nam simul expletus dapibus vinoque sepultus cervicem inflexam posuit iacuitque per antrum inmensum, saniem eructans et frusta cruento per somnum commixta mero:* signa omnia fuerunt beluae iacentis occasionem praebentis ad ultionem in se perficiendam; prostratus enim per antrum ac resolutus fuerat omnibus membris, cervice inflexa hoc est capite inclinato et cervicis officio deficiente, eiectam ructabat saniem et frusta quae voraverat reiectabat. *nos magna*
635 *precati numina sortitique vices una undique circum fundimur et telo lumen tenebramus acuto ingens, quod torva solum sub fronte latebat [Argolici clipei aut Phoebeae lampadis instar]:* dederat Ulixes consilium ut uno oculo,

---

2 *prensa* L *presa* R r = L *pressa* ed. 4 *mandere* LR corr. r ed. 5—6 *itemque cum* om. ed. 6 *ad* om. R add. r′. | *pertinet* ed. 10 *sed* LR *nam* ed. 12 *inulta* L *multa* R corr. r = L post *est* transpos. ed. | *non* om. R add. r′ = L. 15 *calidus* R corr. r. 19 *frustra* R corr. r. 20 *quaerunt* LR *quae erant* ed. *fuerunt* nos cf. 8, 11. 55. 21 *praebentia* ed. 24 *eiecto* LR edI *-tam* edF; an *eiecta—sanie*? 25 *frustra* R corr. r. 26 *mundique* R corr. r. 28 *Argolici*—29 *instar* deest in LR, sed explicatur.

quem solum sub torva fronte latentem habuit, caecaretur: periculosum fuit quamvis dormientem, quamvis sepultum vino adgredi violenter, precati, inquit, deos, accessimus simul undique circumfusi adpetentes eas corporis eius partis quas sumpseramus de sorte, quoniam non unum aut simile esse periculum potuit, si adversa cessissent, aliud fuit eorum qui caput tenerent aut manus, aliud eorum qui ceteras inpetebant membrorum partis. hoc facto tenebravimus eius lumen telo acuto. quod ait acuto telo tenebravimus, celeritatem facti voluit demonstrare; in hoc enim consilii consistebat effectus, ne mora facientum et dolor vulneris quamvis graviter dormientem excitaret. hoc loco nonnulli terebramus tradunt, sed, cum terebratio habeat moram, quae fuit inimica facientibus, melius est ut telo acuto uno iactu videatur esse caecatus. quod autem ait sub fronte latebat quod ingens fuisse dicebatur, usque adeo ut orbi lunae vel solis aequari potuisset, faciebant rugae torvae frontis et ingentes capitis comae. *et tandem laeti sociorum ulciscimur umbras:* †ne quidem hic expressit perfectam ultionem. *sed fugite, o miseri, fugite atque ab litore funem rumpite:* dicit causam 640
persuasionis suae, ne aestimarent caecato illo nihil ultra esse metuendum; commorantibus et aliis Cyclopibus in illo loco non posset abesse formido. quod iteravit fugite, ostendit moram fugae non esse faciendam addens funis ab litore praecidendos, quod mature fieri potuit, quam solvendos cum mora. subiecit causam propter quam celerem suadebat abscessum: *nam qualis quantusque cavo Poly-*

---

6 *posuit* R *potuit* r. 8 *inpetiebant* LR *impetebant* r *impertiebant* ed. 10 *celeritate* L. 11 *facientium* ed. 13 *terrebramus* LR. 15 *iectu* LR *ictu* r ed. *iactu* nos cf. 663. 19—20 *nequidem hic* LR quod r adnotavit legi non potest *nec quidem hic* ed. fortasse *ne quid omitteret*, sed crucem adponere malui quam incerta ponere. 22 *aestimare* LR *aestimari* r (nescio quid sibi velit) *aestimarent* ed. 23 *et* LR *enim* edF.

25 *os///tendit* cum rasura duarum litterarum L *ostđ ostendit* R. 26 *mature* R *-rae* L *-rius* ed. 27 *solvendos* LR *-do* ed.

*phemus in antro lanigeras claudit pecudes atque ubera pressat, centum alii curva haec habitant ad litora vulgo infandi Cyclopes et altis montibus errant.* duxit a numero maiorem metum; quanta enim facerent centum, quando unus in Graecos tanta commiserat? nam qualis quantusque: qualis pertinet ad feritatem animi, quantus ad magnitudinem corporis, ut ex uno quem iam descripserat intellegeretur talis esse ceteros. quapropter prospiciendum caute, ne, cum Graeci accepto suorum luctu vix unum evasissent, accideret Troianis inevitabile malum, si veni-
645 rent omnes aut plurimi. *tertia iam lunae se cornua lumine conplent, cum vitam in silvis, inter deserta ferarum lustra domusque traho vastosque ab rupe Cyclopas prospicio sonitumque pedum vocemque tremisco:* constitutus in solitudine inter deserta ferarum cubilia ac domos, cum rationem dierum vel mensium nosse nequisset, possibilem exilii sui praestitit rationem. tres, inquit, lunae transactae sunt, ex quo in his demoror terris. potuit quaeri quomodo Cyclopas evasisset: inter lustra, inquit, ferarum et domus latui periculose. consulte fecit; quando enim occurreret occasio alia, quando per tris mensis sola Troianorum potuit reperiri? lustra sunt quae faciunt ferae inter sentis et illic cubant, domus vero quas infodiunt altius. item quaeri potuit unde illos nosset esse quam plurimos: de rupe, ait, eos vidi. item tribus mensibus unde victum habuisset indicavit, quia et hoc potuit quaeri, *victum,*
650 inquit, *infelicem, baccas lapidosaque corna dant rami, et vulsis pascunt radicibus herbae.* omnibus respondit quae ei constabat esse proposita et quae sequentibus interrogationibus quaeri potuerunt; dictum est enim „qui sit fari, quo sanguine cretus, quae deinde agitet fortuna“. dicit nunc quo consilio emersisset, ut Graecus se Troianis

---

3 *atque et* LR *et* nos *atque* ed. 4 *ei* R *enim* r = L. 9 *graegi* L *gregi* R *rege* r. | *unum* LR *uno incolumi* ed. 13 *domosque* ed. 14 *pedem* LR corr. r. 20 *consulte* — 22 *reperiri* non suo loco positum videtur, infra post *hostibus suis* rectius se haberet. 30 *qui* LR *quid* ed. 31 *agiet* LR corr. r.

offerret, sine dubio hostis hostibus suis. *omnia conlustrans hanc primum ad litora classem conspexi venientem, huic me, quaecumque fuisset, addixi: satis est gentem effugisse nefandam. vos animam hanc potius quocumque absumite leto.* cum omnia, inquit, attenderem evadendi auxilium quaerens, solam istam classem huius regionis litora tetigisse conspexi, quae semper propter inevitabile Cyclopum malum omnes fugerunt. et quia nullam sperabam dehinc proventuram occasionem, addixi me non considerans quae esset. quid enim metuerem homines Cyclopum manibus aut ferarum saevitia quolibet tempore periturus, existimans melius esse, si hominum manibus interirem? quia igitur hoc consilio ad vos veni, qua vultis me poena consumite.

*Vix ea fatus erat, summo cum monte videmus ipsum inter pecudes vasta se mole moventem pastorem Polyphemum:* statim, inquit, ut Achaemenides relationis suae verba conclusit, ecce ipse nobis Polyphemus apparuit agens in montibus pecora et ad nota litora faciens gressus. exponendum fuit quomodo potuit venire caecatus. noverat haec, inquit, antequam lumen amisisset, denique sic posuit *et litora nota petentem. monstrum horrendum, informe, ingens:* vidimus monstrum in quo errans natura non tenuit temperamentum; nam fuit horrendum et formae ingentis. *cui lumen ademptum, trunca manum pinus regit et vestigia firmat:* huius gressus trunca pinus regebat abscisa atque amputatis ramis, hoc est arbor pini ei pro baculo fuit, quae posset informe hominis caeci corpus ingenti fortitudine regere ac sustinere. *lanigerae comitantur oves, ea sola voluptas solamenque mali:* voluptatem ex animalibus habuit, cum videret, caecatus vero pecorum

---

2 *prim* LR *primum* r *partem* ed. 4 *quoque* R *quocumque* r. 5 *auxiumque* R *auxilium* r. 6 *tetigisset* R corr. r. 7 *quae* LR *quod* ed. 8 *fugierunt* LR ed. *fugerant* r *fugerunt* ed. post. 11 *petiturus* LR *periturus* r ed. 12 *igitur* om. ed. 22 *erans* LR *errans* cum quaere in marg. r′ om. ed. 24 *manum* LR confirmatur interpretatione. 26 *abscissa* ed. 27 *in forma* LR ed. *informe* r′.

suorum commodo orbitatem proprii luminis solabatur. *postquam altos tetigit fluctus et ad aequora venit:* postquam transiit undas litoris et in altum provectus est, *luminis effossi fluidum lavit inde cruorem:* abluit sanguinem qui fluebat ex oculo eius, quem constabat effossum. ecce vis iacti! cum Achaemenides exposuisset tertium se illic mensem exegisse, inflicta iam dudum caecitas nova putabatur, cum adhuc funderet sanguinem: hunc, ut dictum est, lavabat. *dentibus infrendens gemitu:* frustra enim irascuntur caeci, quia, dum non vident, se ulcisci non
665 possunt. *graditurque per aequor iam medium necdum fluctus latera ardua tinxit:* mira monstri descriptio et inmensae proceritatis expressio. ambulabat, inquit, in medio mari, quasi graderetur in terra, neque ad eius latera profundi maris unda pervenerat. *nos procul inde fugam trepidi celerare:* praesens, inquit, periculum vitare cupientes fugae dabamus instantiam conpetentem. *recepto supplice sic merito:* liberari enim meruit qui nos propria instructione servavit. *tacitique incidere funem, vertimus et proni certantibus aequora remis:* cum videremus evidens malum, taciti funem incidimus et verso remis pelago in altum coepimus taciti navigia flectere. taciti, cessante scilicet remorum strepitu et cantilena nautarum, sine qua remis operari non possunt. *sensit:* hoc ipsum quia non videbat, aurium suspicione collegit quod silentio gerebatur *et ad sonitum vocis vestigia torsit,* quia silentio licet adhibito non potuit in totum vacua esse omni strepitu navigatio.
670 sensit, inquit, et ad sonitum vocis vestigia torsit. *verum ubi nulla datur dextra adfectare potestas nec potis Ionios fluctus aequare sequendo:* ubi neque manu potuit aliquem

---

6 *visi acti* LR *vis icti* r′ *visi actus* ed. *vis iacti* i. e. teli nos: propter *telo* v. 635 de iactu Don. cogitat. 8 *hunc cui* LR *hunc ut* nos *propter hoc igitur* ed. 9 *fluctus* LR *plus* vel *gravius* r *tunc* ed. *frustra* nos cf. 264. 19 *vertimus* LR non obstante interpretatione. 22 *cessantes* LR ed. corr. ed. post. 23 *remis* LR *remi* ed. 26 *licet* om. ed. 29 *dextram* LR ed. interpretatione refutatur, quare *dextra* scripsi.

conprehendere et potentia fluctuum victus est nec valuit aliquem sequi, *clamorem inmensum tollit, quo pontus et omnes intremuere undae penitusque exterrita tellus Italiae curvisque inmugiit Aetna cavernis.* clamore, inquit, eius omnia contremuere, et iam longius posita et magis quae fuerant in praesenti. vim clamoris expressit; nam inanimalia quando terrentur? aut quomodo scivit Italiam tremuisse, ad quam nondum venerat? *at genus e silvis Cyclopum* 675 *et montibus altis excitum ruit ad portus et litora conplent:* quanta multitudo fuit, ut litora Cyclopes conplevissent! *cernimus adstantis nequicquam:* ideo nequicquam, quia nihil poterant audere violenter adversus eos quos liberaverat fuga et pelagi altitudo. *lumine torvo:* vel natura vel irato, quia perdiderant praedam. *Aetnaeos fratres caelo capita alta ferentis, concilium horrendum, [quales cum vertice celso aeriae quercus aut coniferae cyparissi* 680 *constiterunt, silva alta Iovis lucusve Dianae]:* constiterunt proceritate sui vincentes arborum celsarum altitudinem constitutarum in deorum lucis, quae idcirco inmensae sunt, quia praeter naturam suam plurimum consequuntur incrementi, dum religionum causa servantur. *praecipites metus acer agit quocumque rudentis excutere et ventis intendere vela secundis:* urgebamur, inquit, metu acerrimo, ut non iam quo vellemus, sed in quamcumque caeli partem intenderemus vela et consentiremus ventis secundis adiuvantibus fugam nostram oportunis flatibus suis. et hic et in quarto libro (562) secundos . . . . . . . . . . . *contra iussa monent*

---

4 *inmugit* LR corr. r. 6 *inanimalia* — 7 *aut* om. ed. 7 *quando* bis scripsit LR semel HO. 8 *e* om. LR add. r. 9 *conplet* LR *conplent* optimi Verg. libri, cui lectioni interpretatio favere videtur. 12 *audire* LR corr. r ed. 14 *irato* LR ed. vel *ira* r′. 15 *quales* — 17 *Dianae* deest in LR, sed explicatur. 18 *sui* LR *sua* ed. 21 *religionis* ed. 24 *vellimus* LR corr. r ed. 27 *libro* LR „fluctusque atros Aquilone secabat ad mala fugienda sibi“ inepte add. ed. | *secundos* LR *-dis* edI *-do* edF. | lacunam signavi, quia *dicit de fuga* vel simile aliquid excidisse puto; cf. quae ad 5, 2 de nostro et quarti libri loco disputat.

*Heleni Scyllam atque Charybdim:* timori Cyclopum ceden-
dum fuerat quacumque ratione, sed huic consilio iussa
Heleni e diverso veniebant, ne nos aut laniaret Scylla
685 aut Charybdis sorberet. *inter utramque viam leti discri-
mine parvo, ni teneant cursus, certum est dare lintea retro:*
istorum malorum consideratione turbati sententiam fiximus
ut inter geminum metum transiremus medii vel retrorsum
navigia duceremus.

*Ecce autem Boreas angusta ab sede Pelori missus adest:*
cum, inquit, talia tractaremus, quasi ab aliquo deo missus
Boreas venit tanta oportunitate, ut nos continuo per multa
loca detulisset. *vivo praetervehor ostia saxo Pantagiae
Megarosque sinus Thapsumque iacentem:* per haec, inquit,
690 loca venti suffragio transivimus. *talia monstrabat relegens
errata retrorsum litora Achaemenides, comes infelicis Ulixi,
Sicanio praetenta sinu:* horum locorum nomina referebat
Achaemenides, quia per haec erraverat, cum socius esset
hominis infelicis, perindeque habuit nota. *Plemurium un-
dosum nomen dixere priores Ortygiam:* prisci, ait, hoc est
veteres, Plemurium dixere, sequentis aevi appellavere Or-
695 tygiam. *Alpheum fama est huc Elidis amnem occultas
egisse vias subter mare, qui nunc ore, Arethusa, tuo Siculis
perfunditur undis.* quaecumque fabulosa sunt aut incredi-
bilia horum Vergilius non se, sed alium facit auctorem.
quis enim credat quod protulit fama, subter mare fluvium
ex longinquis partibus ire posse et incolumem hoc est in-
corruptum atque in alias terras exire et misceri Siciliae
fontibus? *iussi numina magna loci veneramur:* aut monitu
Heleni iussi, aut ab Achaemenide instructi. *et inde exu-
pero perpingue solum stagnantis Helori. hinc altas cautes
700 proiectaque saxa Pachyni radimus et fatis numquam con-
cessa moveri:* haec saxa adserit inmobilia esse. *apparet*

---

1 *scyllam* L *scylla* R. | *timore* ed. post. 9 *ab* LR *a* ed. 13 *merosque sinus* LR. 17 *certaverat* LR ed. *erraverat* nos. 18 *plemyrium* LR, sed infra *plemurium.* 21 *helidis* LR ed. 27 *miscere ceciliae* LR corr. r ed. 28 *iussi* post *loci* transpos. ed. 30 *perpingue* LR *praepingue* r ed.

*Camerina procul campique Geloi inmanisque Gela fluvii cognomine dicta:* ecce et Gela a fluvio cognomen accepit. *arduus inde Agragas ostentat maxima longe moenia:* inde ostentat longius moenia, quia excelsus est mons ipse. *magnanimum quondam,* hoc est magnanimorum, *generator equorum, teque datis linquo ventis, palmosa Selinus:* quod palmas copiosissime generet, dicta et palmosa. *et vada dura lego saxis Lilybeia caecis:* saxa caeca sunt quae nautici dicunt subaquanea. haec facile decipiunt navigantis, quoniam, dum in occulto sunt et non eminent, non videntur. omnia ista nomina fontium, locorum, civitatum, montium, insularum idcirco posuit, ut ad eam paulatim veniret insulam, in qua perdidit patrem, ut eius quoque casum potuisset exponere.

*Hinc Drepani me portus et inlactabilis ora accipit:* expressit plenam moralitatem; nam si quando aliqua infortunia accidunt vel luctus, haec in dolore positi nonnumquam locis adscribimus, quasi nobis aliquid inflixerint vel infligere potuerint. Aeneas igitur Drepanitano adplicat loco quod acciderat fatorum ratione. *hic pelagi tot tempestatibus actis heu genitorem, omnis curae casusque levamen, amitto Anchisen, hic me, pater optime, fessum deseris:* addebat amissi patris dolorem etiam ratio loci, quem ipsum duplicato adverbio patefecit; dixit quippe patrem suum perisse in portu, qui tot alti maris casus et pericula evasisset. nec tamen mortuum dixit, sed deseruisse filium; veteres enim praecipuos quosque non mortuos, sed per commutationem locorum translatos arbitrabantur. *heu tantis nequicquam erepte periclis:* tantus

---

5 *magna animorum* R corr. r. 6 *schinys* L *schynis* R *selinys* r. 8 *qua* R *quae* r. 12 *et insularum* ed. 13 *insulam* LR ed.: ne forte haereas, cf. ad 290 de Buthroto. | *reddidit* LR *perdidit* ed. 15 *accepit* LR ed. corr. r ed. post. 16 *inportunia* LR *importuna* ed. *infortunia* nos cf. 493. 17 *accedunt* LR ed. *accidunt* nos. 23 *addebat* LR edI *augebat* edF. 26 *sed* L *sede* R *se* r. 28 *commutationes* ed. 29 *periculis* LR (et infra).

dolor fuit perditi patris, ut apud Didonem positus quasi cum eo praesente loqueretur. posuit specialiter pericula ipsa quibus interveniente fine vivendi constabat frustra esse liberatum, sed ne in relatione maioris luctus moraretur, ad generalitatem necessario confugit et dixit tantis nequicquam erepte periclis. ceterum si esset interposita enumeratio, diceret bis Pergameis ruinis ereptum, diceret collo suo vectum, ut captivitatem vitaret aut mortem, diceret in mari ac terra quae pericula transmisisset. dolebat autem Aeneas vehementer, quod infinitis casibus et periculis liberatus ad Italiam pervenire non potuit. definit poeta quam vim erga filios habeat incolumitas patris, omnis, inquit, curae casusque levamen, hoc est in omnibus periculis solacio patris vixi. *nec vates Helenus, cum multa horrenda moneret, hos mihi praedixit luctus, [non dira Celaeno]:* nec mihi praedixit Helenus hos luctus, cum multa admiranda praediceret, nec ipsa Celaeno, cum multa optaret maledicta, ac per hoc haec futura nec amicus dixit nec inimica nuntiavit. *hic labor extremus, longarum haec meta viarum:* ut mors adveniens non tam
715 vitae illi, sed laborum attulerit finem. *[hinc me digressum vestris deus appulit oris.] sic pater Aeneas intentis omnibus unus fata renarrabat divum cursusque docebat:* tacuit de Siciliensi naufragio et ait hinc me digressum vestris deus appulit oris, ut ostenderet se conplesse proposita, quod ipsum vitiosum fuit repetere quod Ilioneus plene narraverat. intentis, inquit, omnibus, hoc est adhuc intentis, ut ostenderet Aenean libenter auditum et auditores textu narrationis satiari nequisse: intenti, inquit,

---

9 *transmisset* LR *transisset* ed. *transmisisset* nos. 12 *erga* LR edI *apud* edF. 14 *oblatio patris vixi* LR *oblatione p. v.* r *solacio p. v.* nos *levatus sum dolore dum pater vixit* ed. 16 *non dira Celaeno* deest in LR, sed explicatur. 20 *tam* om. *tantum* post *illi* interpol. ed. 21 *quoque* post *laborum* interpol. ed. | *hinc* — 22 *oris* lemmati praefixi eadem ductus ratione qua 1, 25. 24 *hic* R *hinc* r. 24—25 *digressum siestris* R corr. r. 29 *contextu* ed. | *satiare* R.

fuerant, cum inciperet, intenti, cum finiret. omnibus dixit, ut ostenderet nullum illic fuisse qui non adhuc desideraret audire. cursusque docebat, fatorum scilicet suorum. *conticuit tandem factoque hic fine quievit:* tandem ad ipsum pertinet qui casus suos narrabat invitus, ceterum auditores intenti fuerant et adhuc audire cupiebant. facto autem fine narrandi Aeneas secessit ad requiem.

---

1 *intenti cum finiret* LR *intentis c. f.* cum prava distinctione ed. 3 *docebat* om. ed. 7 *secessit* LR edI *successit* edF. — subscriptio plena *Tiberi* etc. — *incipit lib. IIII* (sine feliciter) L *Tiberium Claudium Maximum* om. R (cum feliciter).

---

# AENEIDOS LIBER IV.

Conclusis omnibus quae necessaria narratio exigebat secessit Aeneas ad requiem; conplevit enim vel quod ipse pollicitus videbatur vel quod regina desiderabat audire: Didonis tamen animus intolerabili iam dudum cura commotus accendebatur magis recordatione loquentis et secreto incendio torrebatur. hoc est quod ait *at regina gravi iam dudum saucia cura vulnus alit venis et caeco carpitur igni:* dicit ipsas causas quae hoc genus tormenti animis Didonis inflixerant: *multa viri virtus animo multusque recursat gentis honos, haerent infixi pectore vultus verbaque:* multa viri virtus non tantum corporis placebat verum etiam animi; adseruerat enim se laborasse pro patria, duros ac diversos habuisse discursus, mori etiam voluisse, innumera pericula ferendo superasse. haec tractabantur bona corporis, quibus toleraverat universa: animi vero istiusmodi recursabant in sensibus cogitantis, quod deorum cultor, amator patriae, amator patris, amator uxoris. quemadmodum auditum putamus Aenean referentem discrimina sua, cum amissam coniugem insanis laboribus perquisitam diceret, quemadmodum arbitramur iudicio eius acceptum quae intentionem tenuerat ut eius matrimonio iungeretur? haec considerabatur multa virtus, quae non in uno genere esset maxima, sed quae ex multis et diversis robur suae felicitatis ostenderet. tollamus amorem quem Cupido conflaverat: cur illa non amaret virum domi forisque prae-

4 *tolerabili* LRO edI *intolerabili* rHU edF. 9 *recusat* R corr. r. 11 *corpore* ed. 12 *animo* ed. 14 *tractabatur* R corr. r. 25 *conflaverat* LR *conciliaverat* ed.

stantem, bello strenuum, pacis temporibus religiosum, necessarium viduae, necessarium destitutae, necessarium condenti civitatem novam et nova imperii fundamenta roborare cupienti, necessarium contra Pygmalionis violentiam, qui magna manu sperabatur esse venturus? accedebat corporis decus et forma, quae ceteris animi corporisque praecipuis adderet venustatem, quae ipsa primus liber evidenter expressit, cum recedente nube plurimus fulsisset in sole. multusque recursat gentis honos: tertiam posuit generis laudem, haec enim tunc prodest, si quae sunt uniuscuiusque propria rationi sanguinis recte conveniant. nam quomodo Aeneae meritis praedicatio accederet generis, si ipse propriis bonis laudari non posset? haec igitur pars in eo est, ut etiam ipsa ex plurimis constet: nam sciebat Dido esse Aenean Veneris filium, Cupidinis fratrem, Mercuri, Teucri, Dardani adfinem et, quod supra omnia fuit, nepotem Iovis. haerent infixi pectore vultus verbaque: haerent pectore bis accipiendum est, ut sit haerent pectore vultus infixi, haerent verba pectore. infixi autem quod ait, ad solos vultus pertinet, quia erit vitium, si dicamus infixi verba, et magis pro persona amantis melius accipitur infixi vultus. verba enim augmentum dabant amori, non primam causam. haerent et infixi hanc habent rationem quam habet quod etiam in tertio libro ait (286) „aere cavo clipeum, magni gestamen Abantis, postibus adversis figo“. figi enim dicitur quod sic alicui speciei iungitur, ut velli non possit, et haeret quod non potest separari. vultus pertinent ad corporis laudem, verba ad animi praedicationem. *nec placidam membris dat cura quietem:* diversam naturam poeta voluit esse amoris et somni: somnus quippe quietam sedem quaerit, hoc tenebatur Aeneas, quoniam quietis animis fuit; contra ubi

---

7 *praecipuis* LR *pr. virtutibus* edF. | *venustate* L. | *primus liber* LR *primo libro poeta* ed. 12 *accederit* LR corr. r. 13 *ipse* om. ed. 16 *et Mercurii* ed. | *ac Dardani* ed. 23 *non primam causam* om. *nam* interpol. ed. 24 *illud quod* ed. 27 *velli* LR *avelli* r ed. 32 *quia quieto animo* ed.

fuerit cura, ut in Didone, non potest intervenire somni beneficium. ecce quemadmodum Didonis describuntur ardores: non flectebatur in requiem nec somni virtute vincebatur aut tempore, quia inpediebat medius amor. *postera Phoebea lustrabat lampade terras umentemque aurora polo dimoverat umbram, cum sic unanimem adloquitur male sana sororem:* non dixit lucescente die Didonem surrexisse, quia pervigil transegerat noctem, sed cum primum dies fuisset exorta, locutam talia cum sorore. mire autem posuit male sana: sanus est enim qui nullo animi aut corporis incommodo premitur, sanus non est qui nullo bonae valitudinis beneficio confovetur, male sanus est autem qui animi tormentis adfligitur et pro sano habetur. interea cum poeta praemittit sororem, praemittit unanimem, ostendit aliquid Didonem germanae dicturam quod in vulgus non deberet exire. erat enim turpissimum amores in hospitem publice confiteri, sed nullam putabat illa confessionem, quando in duobus sororum corporibus unus animus fuit. *Anna soror:* utrumque conplexa est, alterum nomen quo vocaretur ab omnibus, alterum quod consanguinitatis dederat cursus. his vocabulis admonitam voluit, ut quod erat auditura teneret animo et consilio regeret aestuantem: et tamen confessionem ipsam, quam sciebat inhonestam, non semel effudit, sed usa est insinuatione et per longos verborum circulos venit ad eam partem quae sine iactura pudoris, quamvis apud talem sororem, proferri non potuit. hoc loco apertius dicitur quid sit „multa viri virtus animo multusque recursat gentis honos“. ait enim Anna soror, *quae me suspensam*
10 *insomnia terrent! quis novus hic nostris successit sedibus hospes!* patior, inquit, soror, insomnia, dum considero nihil esse in hospite nostro quod praeferri non debeat.

---

1 *intervenire* LR *inveniri* ed. 4 *postea* LR *postera* r. 10 *sanus est enim* LR *sanus non est* ed. *non* del. ed. post. 16 *amoris* R *amorem* r. 20 *quo* om. LR add. r ed. 23 *aestimantem* LR ed. *aestuantem* nos. 28 *recusat* LR corr. r. 29 *quem me* LR (ex *que me*).

nova quippe in illo sunt omnia neque umquam in aliis visa. hospitem novum pro amantis animo, non quasi recens susceptum, sed nova quadam et singulari corporis atque animi specie debemus accipere. *quem sese ore ferens, quam forti pectore et armis!* quod tacet, inquit, quod loquitur, quod movetur quam gratum est, quam iucundum, quam viro forti conveniens! *credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum. degeneres animos timor arguit:* tanta in illo viro constantia est, ut appareat illum diis esse progenitum. argumentum additur, ut hoc ipsum firmaret quod volebat adserere: degeneres, inquit, animos timor arguit, hoc est si degener esset, humilitatis suae conscientia premeretur. ecce quantum laudabat quae alieno hoc est Cupidinis arbitrio ducebatur, non somno. sed hic poetae favor est, qui omni occasione virtutes Aeneae meritaque commendat. inter bona eius ponit quod non amavit ipse ut vulgaris, ut turpis, sed amatus est, neque amatus ab ea quae esset pudoris abiecti, sed ab ea quae petita esset consilio Veneris et Cupidinis fraude. *heu quibus ille iactatus fatis, quae bella exhausta canebat!* omnis partis exequitur quae amanti congruerent. ecce enim dolet casus eius et graviter ingemiscit. quamquam autem praemissa ostenderent amore illam captam, tamen incipit sensim confiteri quod amet. *si mihi non animo fixum inmotumque sederet ne cui me vinclo vellem sociare iugali, postquam primus amor deceptam morte fefellit, si non pertaesum thalami taedaeque fuisset, huic uni forsan potui succumbere culpae:* usque adeo dixit illum virum sibi placere, ut dignum iudicaret consortio matrimonii sui, nisi secundas nuptias primis decepta damnasset. ecce venit ad plenam confessionem. *Anna,* inquit, *fatebor enim,*

---

1 *neque* — 3 *susceptum* temere mut. ed. 2 *animo* R *animam* L *m* del. II man. | *recenti* LR *recens* nos (cf. 86 *instanti* pro *instans*). 7 *quam veniens* L *qua v.* R *conveniens* r ed. 11 *volebat* LR *videbatur* ed. 12 *si* om. LR add. r ed. 14 *somno* LR ed. *suo*? sed cf. v. 5 et 9. 26 *mortem* L *morte* cum ras. super *e* R. 27 *fuissent* LR corr. r.

*misceri post fata Sychaei coniugis et sparsos fraterna caede penatis solus hic inflexit sensus animumque labantem inpulit: agnosco veteris vestigia flammae:* verum ne ista confessio reprehensibilis remaneret, adnexuit iusiurandum, quo sibi binas nuptias horruisse firmaret: *sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras, pallentis umbras Erebi noctemque profundam, ante, pudor, quam te violo aut tua iura resolvo.* confessa sum, inquit, de amore, sed melius proveniet ut ante dehiscat terra et me recipiat aut Iovis fulmine demittar in Tartarum, quam ego pudoris leges aut iura dissolvam. *ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores abstulit, ille habeat secum servetque sepulchro:* ipsa sorori suae viam necessariae persuasionis ostendit, ut quod erat factura amoris inpulsu hortatu magis alieno coacta facere videretur. ait semel nupsi, habeat ille mortuus licet pudoris mei pignus, qui mihi florem virginitatis eripuit, et secum habeat ac suo sepulchro conservet. hoc est oblique dicere quid dubitem nubere, cum alterius nuptias sepultus ille nec videre possit nec aliquando sentire? quod praecipuum habui tulit. sufficiat ei virginitatis meae decus, relinquat viduam necessitatibus suis. etiamsi aliquid sentit, coniugii nostri sacratissimum nomen et fidem maritali debitam toro mors media sustulit, mors delevit. novitatem quandam illius procuravit excessus. superflua reverentia procul abscedat. vis maior urget, vis intolerabilis cogit. inpune secundi coniugii fortuna suscipitur et, si aliquid sentire manes possunt, inpune peccatur. *sic effata sinum lacrimis inplevit obortis:* fudit, inquit, post verba uberes lacrimas, vel quod veteris amoris recordatione movebatur vel quod urgebatur efficere quod animo respuente damnaverat. obortae sunt lacrimae, hoc est subito ortae,

---

5 *sibi in nuptias* LR *sibi binas n.* nos cf. 1, 720 *sibi nuptias* r ed. 7 *flumine* LR (infra recte). 8 *violem — resolvam* ed. 12 *meus* LR corr. r. | *amoris* LR corr. r. 13 *sororis* L. 16 *licet* om. edI *quamvis mortuus* edF. 26 *abscedebat* ed.

quod totiens fit, quotiens urgente animi dolore funduntur, ut hoc loco. ceterum cum de Sinonis fletibus diceretur (2, 196) „lacrimis", inquit, „coactis". sinum, ait, lacrimis inplevit, ut lacrimarum ipsarum copiam demonstraret.

*Anna refert:* intellectis Anna quae agerentur et coniectura manifesta collectis eadem repetit destruenda scilicet, quoniam illa mentis suae talem veluti sententiam tulerat, ut, quamvis amore teneretur, diceret tamen se secundas nuptias perhorrescere. incipit igitur a persona sua, ut ostenderet futuram persuasionem germano amore processuram. causa ergo meri consilii fuit quod ait primo: *o luce magis dilecta sorori:* hoc dicto paravit sibi sororis animum; non enim causam eius leviter tractare debuerat quam plus se amare professa est quam lucem. in eo autem omnis cardo fuerat, quia Dido amare se confessa est et amori ipsi propter praedicatas causas negaverat se esse cessuram. hoc itaque fuerat destruendum, ut suasurae intentio obtinere potuisset. *solane perpetua maerens carpere iuventa nec dulcis natos Veneris nec praemia noris?* duas causas posuit, sed quae in unam redigantur: nam idcirco, inquit, iuventam solam remanere non convenit, ut oportuno tempore procreari liberi possent. verecunda persuasio, ut non libidinis contemplatione videatur sororem hortari ad nuptias, sed natorum causa, qui profecto nisi aetatis novellae suffragio provenire non possunt. venit ad quaestiones quae istiusmodi consilia turbare potuissent; Dido enim dixerat servare se velle reverentiam mortuo, haec ipsi parti respondens ait *id cinerem aut manis credis curare sepultos?* hoc est cui deferre contendis nescit honorificentiam tuam: cum anima enim

---

1 *quotiens fit quotiens* LR *quotiens f. totiens* r *toties fit quoties* ed. | *animo dolore* LR *animi d.* r *animo dolores* ed. nos = r cf. 11, 41. 3 *sinum* LR *hic s.* ed. 4 *implevit* LR *i. obortis* ed. 6 *destruenda* LR *-do* ed. 8 *amore* LR *angore* ed. 10 *germano amore* LR *a germano amore* ed. 11 *meri* LR edI *veri* r edF. 18 *suasurae intentio* LR temere mut. ed. 28 *haec ipsi* LR *huic et ipsi* ed. 29 *credis* om. LR add. r.

sensus morientis extinguitur, totum interit quo vita retinetur, perdit obsequium quisquis illud non homini, sed cineri praerogare contendit. *esto, aegram nulli quondam flexere mariti, non Libyae, non ante Tyro, despectus Hiarbas ductoresque alii, quos Africa terra triumphis dives alit, placitone etiam pugnabis amori?* cum adhuc, inquit, esses aegra, hoc est cum recens mariti perditi te adfligeret dolor, petitores reiecisti potentis et plurimos. consenuit lapsu temporis dolor, amor placuit, conplenda sententia est. an tibi quod praesumis sic animis debet videri retinendum, ut perpetuis luctibus vacans iuventam omnem coniugia respuendo transmittas? si igitur petitores primi fastidio inpedientis doloris nihil pro voluntate meruerunt, quod nunc placuit non debet contraria voluntate dissolvi. *nec venit in mentem quorum consederis arvis?* quod obscure dixit quorum consederis arvis incipit evidenter exponere: *hinc Gaetulae urbes, genus insuperabile bello, et Numidae infreni cingunt et inhospita Syrtis, hinc deserta siti regio lateque furentes Barcaei. quid bella Tyro surgentia dicam germanique minas?* plenum studium suadentis exequitur utpote unanimis soror. nam post multa necessaria, quae superius posuit, addidit faciendi necessitatem singula cum suo metu percurrens. non, inquit, venit in mentem quorum consederis arvis? hoc est non tractas te esse peregrinam atque in peregrinis partibus imperium te velle fundare, initia omnia habere laborem durum, vel maxime in causa imperii novi, quod femina et sola in alienis terris parare contendis firmissimam sedem, esse innumeras gentis, quae te maximo urbium numero infestare non dubitent, quae ferocitate gaudeant et potentiae viribus possint inplere quicquid animo coeperint et cogitatione perficere? hinc Gaetulae urbes, genus insuperabile bello: quod genus hominum nesciat, inquit, vinci, cum intulerit

9 *lapso* LR. 10 *animis* LR *animo* ed. 13 *inpedientes* LR corr. r ed. 18 *inhita* L *inhrta* R *inhospita* r. 28 *firmissimam* LR edI *infirmissimam* cum prava distinctione edF. | *sedem esse* R *esse sedem* L. | *innumeras* LR edI *ob i.* edF.

bellum. ecce tulit et vincendi spem, ne diceret Dido etsi moverint arma, superabo eos. et Numidae infreni cingunt: cum dicit infrenis, ostendit indomitos et eos qui nullo iure tenerentur ac suis legibus viverent nec vellent alicuius imperio subiugari. et inhospita Syrtis, non quo non suscipiat hospites hoc est peregrinos, sed quam inhumanitatis causa omnis formidet adveniens vel oderit peregrinus. posuit in medio cingunt, sed tribus adplicandum est, ut sit Gaetuli, Numidae et Syrtis cingunt. hoc ipsum cingunt habet ingentem metum maximamque formidinem: nam cingere est ambire, ut et infiniti monstrentur inimici et, si fuerit ex necessitate fugiendum, per tantos ac talis exitus inveniri non possit. hinc deserta siti regio lateque furentes Barcaei: similis etiam istorum metus est; nam quomodo fuga per sitientis terras perindeque desertas fieri potest aut per eos qui sic furore rapiantur, ut furorem ipsum latius tendant? quid bella Tyro surgentia dicam germanique minas? quod habuit maximum servavit ad finem. considera, inquit, in quanta desperatione sis posita quantaque sit tuae fortunae condicio, quando cum tot inmanissimis gentibus timetur et frater; quid futurum sit, si ille cum copiis suis instructus adfuerit causae. considerandum est, quando nec persistendi facultas superesse potuerit aut certe fugiendi; tenebit enim ille subsidium maris et quacumque fugientem hostis durus excipiet, itaque fiet in his terris quod domi conpleri non potuit. ad omnia concurrit illud quod superius dixit solane perpetua maerens carpere iuventa? si enim perduraret iuventam sola transigere, quis tot ac tantis resisteret inimicis? vel quis iam quaereret exactis temporibus feminam, quae maritum procreatione filiorum patrem non posset efficere? postremo cogitandum cui tantum florem imperii ac tanto labore quaesitum esset traditura, si liberorum posteritas

---

3 *infrenis* LR *infrenos* r ed. 6 *se quam* LR corr. r ed. 7 *causam* L. | *oderit peregrinos* LR corr. ed. 13 *invenire* LR ed. *-ri* r. 18 *germanique minas* om. ed. 21 *futurum sit* LR ed. *f. est*? cf. 10, 783. 32 *postremo — florem* om. R.

non superaret, quorum tantam gratiam esse constaret, ut parentes gaudeant, si ad eos potius bene parta trans-
45 mittant. *diis equidem auspicibus reor et Iunone secunda hunc cursum Iliacas vento tenuisse carinas:* obstabat suadentis voto unum, quod si obiceretur, movere potuisset, ne forte hoc ipsum contra voluntatem Iunonis fieret, quam constabat Troianis infestam. tulit hoc prior Anna et coniecturaliter posuit non timendum. ait enim si nollent dii nobis coniungi Troianos, numquam nostra litora tetigissent; denique ipsam Iunonem procurasse confido ut pulsi propriis regnis nostris potius utilitatibus adderentur. nam non esset secunda Troianis, nisi hoc regni quod struis securitas exegisset. dehinc ostenditur commodum quod ex facto posset provenire. *quam tu urbem, soror, hanc cernes, quae surgere regna coniugio tali, Teucrum comitantibus armis Punica se quantis attollet gloria rebus!* si, inquit, sola tanta potuisti disponere, quanta erit felicitas tua quantumque rebus omnibus prosperitatis adcrescet adquisito tali coniugio et Troianis opibus felici societate coniunctis?
50 *tu modo posce deos veniam sacrisque litatis indulge hospitio causasque innecte morandi, dum pelago desaevit hiems et aquosus Orion quassataeque rates, dum non tractabile caelum:* post omnem persuasionis cursum dat consilium, quo Aeneas in illis terris diutius teneri potuisset. fac, inquit, sacrificia numinibus et eorum favorem sic obsequendo concilia, cumque hoc necessario feceris, indulge hospitio, hoc est illorum peregrinationem uberius fove, ne deficiente victus substantia discedere Troiani cogantur; deinde procurata istiusmodi securitate innecte properantibus moras, praetende causas quae illos a navigatione deterreant: dic inportune iam intervenisse hiemis tempus, sidera quoque vehementer esse contraria, quassatas naufragio rates asperis interea flatibus non esse credendas, motus caeli quoque

---

8 *nollent* R *nolent* L. 14 *esset* LR *posset* r′ ed. 16 *attollit* LR *-let* r. 20 *auspicio* (infra recte) LR *hospitio* r. 24 *tenire* LR *teneri* r. 27 *deficiendo* LR ed. *deficiente* nos. 28 *cogantur* R edF *cogerentur* L edI.

contrarios. haec Troianis proponenda non in cassum Anna mandabat; sciebat enim facile his moveri posse formidinem quorum tanta mala Aenea referente cognoverat et qui recentes a naufragio fuissent facilius cessaturos.

*His dictis incensum animum inflammavit amore spemque dedit dubiae menti solvitque pudorem:* retinens poeta quia non invitae sed volenti suadebatur et quod superius dixisset Didonem caeco igni carpi hic posuit his dictis incensum animum inflammavit amore, ut dictis tamquam ventorum adiumento quod ardebat fortius validiusque flammaret. amore bis accipiendum, ut sit his dictis incensum animum amore inflammavit amore, hoc est amorem primum amoris augmento cumulavit, data quoque spe commodi ex his quae profutura dicebat obtinuit et quicquid dubitationis esse potuerat penitus removit, illo usque donec verecundia omnis et pudor persuasione cessissent. Terentiana sententia huic loco convenit, qua dictum est (Andr. 1, 5, 31) „dum in dubio est animus, paulo momento huc vel illuc inpellitur“; facile enim quo quis voluerit animum dubitantis adducit, quoniam inest iam pars parata voluntatis. *principio delubra adeunt pacemque per aras exquirunt:* fiunt ecce quae soror sorori dixerat esse facienda et primum et ante omnia quod dictum est „tu modo posce deos veniam“ sacrorum praemissis obsequiis. ecce adeunt iam templa et deorum favorem sacrorum sibi exhibitione conciliant. *mactant lectas de more bidentis legiferae Cereri Phoeboque patrique Lyaeo, Iunoni ante omnis, cui vincla iugalia curae:* mactantes sollemniter ea animalium genera quae diis ad causam necessariis convenirent et primum Cereri legiferae, propterea quod populorum consensus nisi legibus teneri non possit, Phoebo, ut in futuris prosperiora perficeret quae optabantur, Libero patri, ut praestaret laetitiam sempiternam, Iunoni vel maxime, quae coniugiorum

---

2 *formidinem* LR edI *malorum f.* edF. 3 *milia* LR ed. *mala* r′ nos. 9 *antequam* LR ed. *tamquam* nos. 12 *amore* LR ed. *amorem* r′ nos. 31 *in futuris* L *in futurum* R ed.

teneret plenissimam potestatem, et ne Troianis invidens expugnaret Didonis adfectum. quam splendida dictio, quam artificiosa, quae in ordinatione verborum novissimam posuit Iunonem nec tamen novissimae sacrificatum memoravit: addendo enim ante omnis ostendit ipsi primo sacri-
60 ficiorum honores exhibitos. *ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido candentis vaccae media inter cornua fundit aut ante ora deum pinguis spatiatur ad aras:* fiebant per alios alia, Dido vero officio sacerdotis functa inter vaccae cornua pateram fundebat aut ante aras pinguis, hoc est pecorum corporibus oneratas, in ipso deorum conspectu spatiabatur, hoc est eundi ac redeundi vices creberrimas procurabat. *instauratque diem donis:* neque hoc semel, sed saepius faciebat, ut produceret diem volens diutius habere praesentem quem amabat. *pecudumque reclusis pectoribus inhians spirantia consulit exta:* quaerebat futura in interioribus pecorum. consulit sic posuit, quasi exta possent revera dare responsum: sed videntur respondere, dum consulentium visibus signa commissae consul-
65 tationis ostendunt. *heu vatum ignarae mentes! quid vota furentem, quid delubra iuvant? est mollis flamma medullas interea et tacitum vivit sub pectore vulnus:* fiebant, inquit, ab inprudentibus sacra nullis amorum necessitatibus profutura, fiebant ab his qui sibi velut vaticinandi scientiam vindicarent et, cum aliud ageretur, non intellegebant Didonis ardorem, profuturos se arbitrabantur his quae interveniente ignoratione nescirent. quid enim quae solvebantur numinibus vota amanti prodesse potuerant, cum amoris ardor iam dudum molliter serpens in inmoderata incendia prorupisset? est mollis flamma medullas interea et tacitum vivit sub pectore vulnus, *uritur infelix Dido totaque vagatur urbe furens:* denique, cum illa omnia frustra agerentur, amor Didonis medullas et viscera consumebat neque

4 *novissimae* L ed. *-me* R. 18 *evocare* R *revocare* Lr *revera dare* nos. 26 *ardorem profuturos* LR *sed* interpos. ed. | *hisque* L *his quae* R. 27 *ignorantiae* R *ignoratione* Lr. 32 *frustragerentur* LR *frustra gererentur* r.

eam patiebatur ullo in loco consistere, ut vaganti totius civitatis non sufficerent spatia. dat similitudinem poeta, ut ostendat quemadmodum per totam urbem Dido ferebatur et data discurrendi necessitas fuerat: *qualis coniecta cerva sagitta, quam procul incautam nemora inter Cresia* 70 *fixit pastor agens telis liquitque volatile ferrum nescius, illa fuga silvas saltusque peragrat Dictaeos, haeret lateri letalis harundo:* Didonem conparavit cervae, silvas civitati, mobilitatem cervae Didonis discursibus, sagittam pastoris sagittae Cupidinis, pastorem Cupidini, cursum inefficacem cervae cum Didonis errantis inmoderatis anfractibus. subtracto similitudinis istius textu superioribus inferiora iunguntur: dictum est enim uritur infelix Dido totaque vagatur urbe furens, conectitur *nunc media Aenean secum per moenia ducit [Sidoniasque ostentat opes urbemque paratam]:* sic 75 furebat Dido, sic per totam urbem amoris exagitata stimulis ferebatur, ut a suis conspectibus Aenean non pateretur abscedere. ducebat, inquit, eum secum atque ut eius praesentia non videretur esse superflua, ostendebat ei Sidonias opes urbemque paratam, monstrabat ei quibus naufragi animus et de institutione novi domicilii cogitans capi facilius posset. qui enim non teneretur divitiarum alienarum spe et adfectu eius urbis quam alterius labor et instantia procurasset? sed hoc pro animo Didonis est positum: ceterum Aeneas amores eius furoremque nesciebat. *incipit effari mediaque in voce resistit:* addebat ad moras fabularum inanium textum praecidens verborum continuationem, ut loquendi spatia proferret in longum. *Iliacosque iterum demens audire labores exposcit:* consumptis omnibus inventionibus, cum iam nihil esset quod ad moras

---

4 *dat* LR *data* HOU ed. 12 *textu* LR *contextu* ed. 15 *Sidoniasque — paratum* deest in LR, sed explicatur. 19 *ostendeb* L in *-bat* corr. man. II *-bant* R. 20 *ei quibus* LR *ea q.* ed. 21 *cogitans* LR ed. *cogitantis*? 22 *qui* (= quomodo) LR *quis* ed. 23 *ei* pro *ei'* = *eius* R. 25 *amoris* LR ed. *furoremque* LR *que* om. ed. 27 *textum* R *tectum* L *interpositionem* ed.

proficere potuisset quodque ipsa ulterius monstraret aut diceret, ipsum volebat iterum narrare labores atque ultimos exitus Troiae. demens, inquit, utpote quae ante paululum narrata iterum desideraret audire. *pendetque iterum narrantis ab ore:* optabat enim ipsum iterum audire loquentem. *post ubi digressi lumenque obscura vicissim luna premit suadentque cadentia sidera somnos, sola domo maeret vacua stratisque relictis incubat:* transactis omnibus quae ardoris sui causa amantis potuit industria reperire, manente tamen adhuc inveniendi cupiditate discessum est ad quietem. consumptus enim fuerat dies et noctis tempus adveniens actus Didonis abruperat ac non inmerito homines urgebat in somnos. sed recedentibus cunctis sola Dido maerebat in domo, quod demens sciret absentem, ipsa quoque strata despiciens, quod virum non haberent. *illum absens absentem auditque videtque:* cum toro incumberet nec totum corpus suum traderet lecto, non tam refectionem fessorum membrorum, sed desideratum cubilis sui socium quaerere videbatur. merito addidit illum absens absentem auditque videtque, quia tantum fallebatur animus amantis, ut hunc audire et cernere videretur absentem. *aut gremio Ascanium genitoris imagine capta detinet, [infandum si fallere possit amorem]:* interdum ad vicem patris amplectebatur Ascanium aut portabat gremio suo, ut similitudine paterni vultus amoris violentiam falleret. *non coeptae adsurgunt turres, non arma iuventus exercet portusve aut propugnacula bello tuta parant, pendent opera interrupta minaeque murorum ingentes aequataque machina caelo:* miro modo moralitas expressa est; nam cum in amore multa sint vitia, tum magis quod oblivionem negotiorum omnium parit et nimiam in agendis necessariis neglegentiam. hoc ad personam Didonis refertur,

---

6 *digressus* ed. 7 *sommus* R *summus* L pro *somnos.* 14 *quod demens* LR ed. *d. q.*? 16 *viditque* (et infra) LR. 17 *tradere* L corr. man. II *tradere////to* R explevit r. 23 *infandum — amorem* deest in LR, sed explicatur. 26 *aprima* LR (*a* semirasa L) pro *arma.*

quam in primo libro descripsit (504) „instans operi regnisque futuris", dehinc ad personam Tyriorum, qui occupata in aliis regina deseruerant omne operis genus, obliti scilicet salutis suae. denique cum iam opera murorum ac turrium ordinatis machinis prope perfecta viderentur et ad effectum plenum sola deesset instantia, torpuerant omnia et omnium operum fervor desertione plena languerat. hic ostenditur rectorem conplere omnia, cum insistit et iubet, atque eius neglegentia omni modo frigere universa quae ante fervebant.

*Quam simul ac tali persensit peste teneri cara Iovis coniunx nec famam obstare furori, talibus adgreditur Venerem Saturnia dictis:* ubi, inquit, sensit Iuno furorem Didonis, hoc est amorem intemperantem ulterius occultari non posse nec habere remedium, his dictis adgressa est Venerem. cum dicit adgressa, ostendit eam aliquid invidiose dicturam. *egregiam vero laudem et spolia ampla refertis tuque puerque tuus, magnum et memorabile numen, una dolo divum si femina victa duorum est:* magna, inquit, gloria vobis parta est, tibi scilicet et puero tuo, ex eo quod gemina numinum potestate coniuncta una per dolum femina superata est. haec veluti laus vituperationem potius tenet, quod nihil fecerint memorabile. vincere enim in partibus amoris feminam non est laboris maximi, praecipue cum duorum numinum potestas intervenit. huius facti per coniecturam edicit causas quae a Venere metuente tractae sunt: *nec me,* inquit, *fallit veritam te moenia nostra suspectas habuisse domos Carthaginis altae.* ut hoc, inquit, fieret, quid timueris scio: nam mearum inimicitiarum contemplatione commota me-

---

1 *instanti* LR corr. r′. | *operis* L. 4 *murorum* LR *multorum* ed. 5 *videretur* LR corr. ed. 9 *eius nec* LR *eius neglegentia* r ed. 14 *intemperantem* LR *-ratum* ed. 16 *adgressa* LR ed. *adgressam?* 26—27 *quae Venere metuente tracta sunt* LR *tractatae* ed. *a V. m. tractae* (i. e. ductae) nos. 27 *inquit* LR *adeo* ed. 28 *veritate* LR corr. r′. | *suspectas* LR *que* add. ed. 28 *domus* LR *domos* r.

tuisti ne aliquid mali filio tuo apud Carthaginem meam contingeret. *sed quis erit modus aut quo nunc certamine tanto? [quin potius pacem aeternam pactosque hymenaeos*
100 *exercemus?]* quid necesse est, ait, inmoderatas inimicitias ulterius retinere? fiat dissensionum omnium finis atque ita, ut in aeternum concordia perseveret sitque inter Aenean et Didonem matrimonii plena et firma coniunctio. *habes tota quod mente petisti, ardet amans Dido traxitque per ossa furorem:* ecce, ait, quod desiderabas habes, Dido amat, Iuno consentit. *communem hunc ergo populum paribusque regamus auspiciis:* quia quod speciale singularum fuit factum est me volente commune, utrumque populum regamus pares, utraque servemus. *liceat Phrygio servire marito:* quasi si diceret quando ad hoc ventum est, fiat quod non debuit, ut illi quos amo serviant inimico meo. quod enim dixit Phrygio, ibi est subtile convicium, quasi abiecto et infimae gentis homini. *dotalisque tuae Tyrios permittere dextrae:* et hic quod dixit tuae quasi indignae. Tyrii, pro animo dicentis potentes et magni, tradantur in dotem, addicti utique et quasi potioribus servituri. obliqua haec dictio fuit; dicebat enim velut tota simplicitate verborum tenens tamen interius quod inimicitias Iunonis integras demonstraret. ecce Vergilius docet facile inimicorum posse noscere consilia, cum sub imagine concordiae latent.

105 *Olli (sensit enim simulata mente locutam, quo regnum Italiae Libycas adverteret oras):* tractatus Veneris magnus atque astutus ostenditur; sensit enim fieri non potuisse ut atrox et vetus inimica repente benivola redderetur poneretque semel inimicitias quas longa aetate servaverat.

---

3 *quin* — 4 *exercemus* deest in LR, sed explicatur. 11 *singularum* LR *-orum* ed. 13 *utraque* LR *utraeque* r *utrumque* ed. 14 *si* om. ed. | *doceret* LR corr. r ed. 18 *quasi* om. R add. r. | *indigne* R. 23 *dicet* LR *docet* r ed. 24 *noscere* LR *nosci* ed., sed *facile* adiectivum est. 27 *averteret* LR, sed ad 127 Don. *adverteret* et scripsit et explicavit, quare correxi cum r′. 29 *redditur* L *reddetur* R *-eretur* r ed.

denique in eo ipso veluti beneficio obesse voluit potius quam prodesse. noverat enim quid Aeneae deberetur, quo magis nitebatur ut, si fieri potuisset, potestas omnis, quam fata Italiae decreverant, in Carthaginis opes felicitatemque transiret. *sic contra est ingressa Venus:* his in causa positis quid fuerat faciendum? intellectamne se scire debuit Iuno? an ab eius fraudibus dissimulari oportuit? melius visum est dolos dolis excludere veluti adprobatis per dissimulationem praesentibus, ne deteriorem viam nocendi perquireret atrox et pertinax inimica, si contrariam se ostenderet Venus. *quis talia demens abnuat [aut tecum malit contendere bello? si modo quod memoras factum fortuna sequatur]:* etiamsi dementi cuipiam tanta insperati commoditas proveniret, reniti, inquit, non debuit. cui enim prodest omissa pacis securitate commovere inimicitias tuas aut tecum habere cum reluctatione certamen? haec vox quasi consentientis est, sed ut illa voluit esse sub benivola prosecutione subtilis, ita et Venus subicit quod Iunonis animum tangere potuisset. dixit enim *sed* 110
*fatis incerta feror:* non fuit incerta, sed ita posuit, ut neque renisa videretur et tamen non posse fieri subdole demonstraret. *si Iuppiter unam,* inquit, *esse velit Tyriis urbem Troiaque profectis miscerive probet populos aut foedera iungi:* ego, ait, voluntatem tuam libenter amplector, sed si hoc fieri Iuppiter velit aut fata permittant ut Troianorum ac Tyriorum fiat una commixtio. quod provenire non poterat ut amici essent qui iam fatali dispositione fuerant inimici; dixit enim poeta alio loco (1, 19) „progeniem sed enim Troiano a sanguine duci

---

5 *causa positis* LR *compositis* ed. 10 *contraria* LR corr. ed. 11 *aut* — 13 *sequatur* deest in LR, sed explicatur. 13 *copiam* LR *cuipiam* r ed. 13—14 *tanta insperati commoditas* LR ed. *tam insperata c.* r *copia tanta insperati commodi* non male U. 19—20 *si fatis* R corr. r. 21 *renisa* LR *reniti* ed. | *tamen* LR *t. id* ed. 22 *inquit* om. ed. | *vellit* L. 25 *sed si hoc* LR *nescio an* r in marg. 29 *troia non sanguine* L.

audierat Tyrias olim quae verteret arces". hoc ergo cum metueret Iuno, optabat Aenean apud Carthaginem retineri et cum ipso Troianos omnis, ut illis nec proveniret imperium Italiae nec ex ipsis nasceretur qui deleret aliquando Carthaginem. quod cum nosset Venus, egit subtilitate mirifica, ut diceret ego quidem volo, sed nescio an fata consentiant aut Iuppiter velit. ut autem ostenderet fieri non posse, dimisit eam ad Iovem, ut ex ipso potius contraria reportaret et gemeret se destinata non potuisse conplere. *tu,* inquit, *coniunx, tibi fas animum temptare precando. [perge, sequar]:* quicquid secretum, ait, retinent viri facile confitentur uxoribus. tempta igitur eius sententiam, quicquid ex ipso audieris fieri posse libenter amplectar et qua dispositiones tuae praecesserint sequentur et meae. *tum sic excepit regia Iuno:* non in-
115 tellecto Veneris dolo in haec Iuno respondit: *mecum erit iste labor, nunc qua ratione quod instat confieri possit paucis, adverte, docebo.* haec dimitte, ait, partibus meis: verum quia quod instat, hoc est quod urget, debet inpleri, faciendi ac perficiendi consilium dicam. properabat enim ipsam conpleri coniunctionem, utpote quae Veneris dictione commota metueret ne Aeneas infectis rebus abscederet. sperabat autem illum ipsum post perfectam coniunctionem Didonis matrimonium non relicturum: idcirco dixit curabo ego quae te sollicitant; tantum coniunctio disposita conpleatur. usque adeo cupiebat hoc quacumque occasione fieri, ut ipsa perficiendi consilium daret. *venatum Aeneas unaque miserrima Dido in nemus ire parant, ubi primos crastinus ortus extulerit Titan radiisque retexerit orbem.*
120 *his ego nigrantem commixta grandine nimbum, dum trepidant alae saltusque indagine cingunt, desuper infundam et tonitru caelum omne ciebo. diffugient comites et nocte te-*

---

1 *olim quem* L. 5 *non esset* L edI *nollet* R *nosset* edF. 10 *inquit* om. ed. 11 *perge sequar* deest in LR, sed explicatur. 14 *despositionis* L. 21 *dictione* LR *ditione* ed. 25 *sollicitabant* ed. | *tantum* LR *dummodo* ed. 26 *quaecumque* LR corr. r ed. 27 *ipsi* edF.

*gentur opaca: speluncam Dido dux et Troianus eandem devenient. adero et, tua si mihi certa voluntas, conubio* 125
*iungam stabili propriamque dicabo. hic hymenaeus erit:* mox, ait, ut lux crastina fuerit exorta, Aeneas et Dido venatum ire disponunt. prima occasio ut in unum veniant futuri ad loca nemorosa, quae opacitate sui omnium visus excludant. his, inquit, inmittam pluviam, ac, ne aquae contemptui habeantur, misceam grandinem et haec desuper infundam, cumque avocabit universos indago, nimbus et grando non sinent adunari dispersos et ad reginam maturius remeare, dum alae trepidant, dum observantes ad retia pedem ecferre non possunt, movebo quoque tonitrua, ut, cum terrori omnia fuerint, in unam speluncam soli fugientes favore meo ac tuo . . . . . . . . . . si tamen etiam tuae voluntatis consensus accedit, conubio iungam atque ita, ut perpetuo matrimonii vinculo teneantur. *non adversata petenti adnuit atque dolis risit Cytherea repertis:* cum haec Iuno dixisset, noluit Venus adversari petitioni ac voluntati eius perindeque consensit ridens adversariae dolos evidentissime patuisse, quae sic insistebat, ut fieret aliquid quod esset Aeneae Troianisque contrarium, scilicet ut regnum Italiae Libycas adverteret oras hoc est ad Libycas oras verteret.

*Oceanum interea surgens Aurora reliquit. it portis* 130
*iubare exorto delecta iuventus, retia rara, plagae, lato venabula ferro Massylique ruunt equites et odora canum vis. [reginam thalamo cunctantem ad limina primi Poenorum expectant]:* aut Didonis meritum fuit aut dedecus Tyriorum ut expectarent reginam constituti ante fores eius,

---

7 *aquac* L *quae* R *aqua* r *qua* HU ed. *aquae* O nos. 8 *habeantur* LR ed. *-amur* ed. post. | *miscebo* ed. | *et* om. ed. 10 *adunare* LR *-ri* nos *convenire* ed. 12 *ecferre* R *nec ferre* L *referre* ed. | *movebo* LR *mox m.* ed. 13 *ferrori* L. 14 *tuo* LR *t. deveniant* ed.: lacunam indicavi, quae sic explenda est, ut etiam *tamen* quod sequitur habeat quo referatur, fortasse *amorem inpleant.* 22 *adverteret* LR confirmatur interpretatione. 26 *massillique* LR. 27 *reginam* — 28 *expectant* deest in LR, sed explicatur.

hoc est mulierem femineis ornatibus occupatam. *ostroque* 135 *insignis et auro stat sonipes ac frena ferox spumantia mandit:* regalis potentia omni genere ambitionis exprimitur, ut purpura et auro insignis equus staret opperiens dominam processuram. *tandem progreditur magna stipante caterva:* processio eius cultusque describitur, deducebatur, inquit, stipata magna iuvenum multitudine. *Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo:* limbus regibus deputatur et diis, qui eorum caput candido orbe circumdat. *cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum, aurea purpuream subnectit fibula vestem:* totum quod habuit aut aurum fuit aut purpura pretiosa. et ideo tandem: sic enim processerat ut amans et quae placere cuperet et amari. descripta est Dido cum suis: videamus quomodo Aeneae 140 processio demonstretur. *nec non et Phrygii comites et laetus Iulus incedunt, ipse ante alios pulcherrimus omnis infert se socium Aeneas atque agmina iungit:* non dixit solus inter ceteros fuit Aeneas formosus, sed formosior ceteris fuit, pulchritudinis augmentum facta conparatione cumulavit ex eo quod omnes, licet separatim procedentes, tamen in unum studium pergentes iuncti sunt, ut non deessent quibus Aeneas pulchrior probaretur. inmittitur parabola, ut Aeneae processio erigeretur in melius: *qualis, ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta deserit ac Delon* 145 *maternam invisit Apollo instauratque choros, mixtique altaria circum Cretesque Dryopesque fremunt pictique Agathyrsi, ipse iugis Cynthi graditur mollique fluentem fronte premit crinem fingens atque inplicat auro, tela sonant* 150 *umeris: haut illo segnior ibat Aeneas, tantum egregio decus enitet ore.* ut Aeneae pulchritudo praeferri ceteris posset, deficientibus humanis exemplis Apollo inter deos solus

---

1 *mulierem* om. ed. 4 *ecus* LR. 7 *multitudinis* L. 8 *chlamidem* LR. 11 *fila vestem* L. 12 *sic enim* LR *quia sic* ed. 13 *amari* LR *amaret* ed. 15 *processio* LR *processus* ed. (et infra). 23 *erigetur* R corr. r. 28 *inplacat* LR corr. r. 29 *illos egneor* LR corr. r. 30 *preferi* LR corr. r.

inventus est qui Aeneae meruisset aequari. iucunde tamen inventum ut huic non alium, sed Apollinem conpararet, quia Dianae similitudinem dederat, cum Didonem in primo libro describeret procedentem. *postquam altos ventum in montis atque invia lustra, ecce ferae saxi deiectae vertice caprae decurrere iugis:* ferae, inquit, caprae, hoc est agrestes, quas capreas dicimus. mansuetae sunt enim quae sunt in gregibus nostris et quae non metuant hominum conspectum, agrestes vero timidae, leves ad cursum, quo fiebat ut saxi de vertice et iugis praecipitarentur. *alia de parte patentis transmittunt cursu campos:* varia descriptio et ex diversitate copiosa, ut aliae de montibus agerentur praecipites insequentium metu, aliae exagitarentur in campis. *atque agmina cervi pulverulenta fuga glomerant montisque relinquunt:* non agmina pulverulenta, sed fuga. ordinatio enim sic est: agmina glomerant cervi fuga pulverulenta: currentes quippe fugientesque per campos excitabant suis ungulis pulverem. *at puer Ascanius mediis in vallibus acri gaudet equo iamque hos cursu iam praeterit illos spumantemque dari pecora inter inertia votis optat aprum aut fulvum descendere monte leonem:* Ascanius quoque pro aetate laudatur. nam etiam ea quae levia maioribus natu videntur laudantur in pueris; in his enim futuri temporis spes praesentium factorum coniectura colligitur. ille igitur quod magnae velocitatis equum habuisset discurrebat gaudens, quod cursu nunc hos nunc alios praeteriret, nec dignum habuit feras et inertia pecora pertinaciter sequi, sed optabat occurrere suis discursibus leonem aut aprum. praetermisit poeta datos equos Troianis ad venandum, quoniam proprios non habebant, utpote qui a navibus venerant; an ideo, quia in tertio libro

---

5 *deiecti* L. 8 *metuunt* ed. 9 *conspectu* L. | *timidae* LR *t. et* ed. 15—16 *non agmina pulverulenta sed fuga* LR *n. fuga p. sed agmina* ed. 17 *pulverulenta* post *agmina* transpos. ed. 19 *agri* LR. 25 *ille igitur* om. ed. | *habuisset* LR *h. et* ed. a *gaudens* pendet. 26 *nunc alios* R *nunc* om. L *n. illos* ed.

(470) dixit inter cetera munera Helenum et equos dedisse „addit equos additque duces“?
160 *Interea magno misceri murmure caelum incipit, in-*
*sequitur commixta grandine nimbus, et Tyrii comites passim*
*et Troiana iuventus Dardaniusque nepos Veneris diversa*
*per agros tecta metu petiere, ruunt de montibus amnes:*
fiunt ecce quae Iuno praedixerat, movetur caelum, toni-
trua concrepant, nimbi funduntur, grando exitium portat
et contra naturam rerum de summis verticibus montium
amnes innumeri praecipitantur. deserta venandi voluptate
fugiunt omnes et diversa occupant tecta: diversa ideo,
quod dispersae rusticae domus tantam multitudinem adu-
natam ferre non possent, vel quod unusquisque usus in
tanta necessitate conpendio non pulchrum suffugium tecti,
165 sed proximum quaesivisset. *speluncam Dido dux et Tro-*
*ianus eandem deveniunt:* avocatis, inquit, omnibus atque
ipso Ascanio et per diversa discretis Dido et Aeneas in
unam speluncam devenerunt, hoc est male venerunt, quia
personis regum non conveniebat speluncae depressio. dedit
igitur occasionem coniunctioni perficiendae locus secretus,
dedit tempus, quo periculi vitandi causa nullus audebat
exire de suffugio, dedit solitudo, quia soli fuerant duo,
dedit persona, quia uterque in prima aetate, uterque
formosi. factum autem intellegi voluit poeta, non dici.
*fulsere ignes et conscius aether conubiis [summoque ulula-*
*runt vertice nymphae]:* tantum valuit Iuno, ut etiam ipsa
elementa favere viderentur; itemque ignes de caelo fulse-
runt: non dixit emissa sunt fulgura, sed pro nuptialibus
facibus ignis caelestis apparuit. ad inpedimentum autem
Italici imperii tantum Iunonis dolosa fecit inventio, ut

---

7 *ecce* LR *ea* ed. 8 *nimis* L *nimes* R *nives* r *nimbi* ed. | *exitum* L *exitium* R cum correctione obscura r *vexationem*? 15 *proximorum* LR in *proximum* ut videtur corr. L ipse et r vel *nemorum* in marg. adnotat r′. 24 *formosus* ed. 25 *connubii* ed. | *summoque* — 26 *nymphae* deest in LR, sed explicatur: sequenti lemmati perperam add. ed. 27 *idemque* LR corr. ed.

Aeneas in illa coniunctione non voluntatem habuisse, sed vim quandam passus esse videretur: fiunt velut nuptiae cum turpitudine omni et volente Iunone solus testis extitit mundus, nympharum quoque festis ululatibus omnis ille locus personavit. *ille dies primus leti primusque malorum causa fuit.* duo proposuit, quae ex una causa 170
profluxisse videbantur, letum et mala: letum, quia se ob eam causam Dido interemit, mala, quia ex facto turpi et inhonesto contraxit detestabilem famam quae inter praecipuas mulieres castitatis merito potior dicebatur. ecce Aeneae fortuna et consiliorum exitus quae habuit Iuno: dum vult suae prodesse et commoda fulcire Carthaginis, Aenean vero ab Italiae partibus separare, sic Didoni non coniugium, sed ultimum procuravit interitum nec profuit Carthagini et aemulum suum tenere non potuit. ut autem probemus hac ductam intentione Iunonem, ut Aenean ad Italiam nollet pervenire, ostendimus ipsam Iunonem sese professam ex duobus alterum voluisse, scilicet Aeneae ipsius interitum aut eius ab Italia separationem: dixit enim (1, 38) „nec posse Italia Teucrorum avertere regem". quia igitur iuxta perniciem salutis eius nihil naufragia valuerunt, hunc ab Italia praedictis fraudibus avertere nitebatur. ille dies primus leti primusque malorum causa fuit. *neque enim specie famave movetur:* cum duo proposuisset exorta ex illo facto, causam mortis et turpem famam, praetermisso leti genere, quod postea consecutum est, secundo sic respondit: neque enim specie famave movetur *nec iam furtivum Dido meditatur amorem:* non specie, inquit, movebatur admissi criminis nec mala fama. *coniugium vocat, hoc praetexit nomine culpam,* hoc est matri-

---

4 *nympharum* — 5 *personavit* om. ed. 7 *profluxissent* ed. | *videbantur* om. ed. 8 *malum* ed. 12 *fulgere* LR edI *fulcire* r′ *fovere* edF. 13 *ad* LR *ab* r. 16 *intentionem* L. 17 *esse* LR ed. *sese* nos; cf. 176 et 5, 837. 18 *scilicet* LR *sc. aut* ed. 25 *ut turpem* LR edI *et t.* r edF. 26 *secutum* ed. 27 *respondet* ed. 30 *omatrimonii* LR *o* del. r *a m.* ed.

monii nomine turpissimam culpam credidit obtegendam. verbo iuris usus est ut diceret culpam; sic enim definitum est culpam esse mulieris, cum pudoris in causa peccaverit. qua autem spe ducebatur Dido matrimonii quod eo genere contraxerat, quae ipsum Aenean in convivio referentem audisset responso Creusae vaticinantis accepto et regnum Italiae iam sibi paratum esse et coniugem regiam, Apollinis quoque et deorum penatium, Heleni etiam unum idemque extitisse praedictum, quo non tantum Aeneae verum etiam liberis et posteris eius per uxoris Italicae consortium Italiae atque orbis totius deberi memoratum est regnum?

*Extemplo Libyae magnas it Fama per urbis:* huius, inquit, facti nulla interposita vel modici temporis mora per urbis Africae magnas et plurimas fama percrebuit:
191 *venisse Aenean Troiano a sanguine cretum, cui se pulchra viro dignetur iungere Dido, nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere regnorum inmemores turpique cupidine captos. haec passim dea foeda virum diffundit in ora:* haec Fama referebat: Troianum virum consensu Didonis exceptum iudicatum dignum cui se regina coniungeret viro, utrumque conviviis suis vacare ac luxuriae hoc est libidinis partibus (fervent enim veneriae voluptates, sicut Terentius (eun. 4, 5, 6) ait, ubi intervenerint Ceres et Liber) neque hoc brevi tempore aut diebus interpositis, sed hieme quam longa hoc est quantum longa est ac per hoc omni,

---

1 *tegendam* ed. 16 interpretationi versus 173 Don. lemma 191—195 adiungit eosque versus continuo interpretatur: quo ordine dum cavere vult ne poeta „minus attentis faciat errorem", ipse minus attentus fuit; narrationem enim patet non versu 191 continuari, sed verbis *haec tum — canebat* 189 sq., quae Don. infra cum descriptione Famae falso coniunxit. 21—22 *coniungere uare* (*a* expuncta) *ut eumque* L *coniungere valeret eumque* R *coniungeret eumque* ed. *coniungeret viro eumque* U item, sed *utrumque* nos. 23 *veneriae* R cum puncto sub *i* L *venereae* ed. 24 *terrentius* LR. 25 *tempore* LR *t. facere* ed. | *audiebus* L corr. man. II. 26 *omni* L cum punctis R.

usque adeo ut omnem curam disponendi regni tuendique reiecissent. hoc est quod ait in superiore libri parte (86) „non coeptae adsurgunt turres, non arma iuventus exercet portusve aut propugnacula bello tuta parant, pendent opera interrupta minaeque murorum ingentes aequataque machina caelo“. haec de Didone: Aeneae vero reprehensio fuit, quod in alienis commorans regnis commoditatem suam neglegebat, quam partem ex Iovis persona Vergilius non multo post plenissime prosecutus est (267) „heu regni“ et cetera. haec passim dea foeda virum diffundit in ora: non dea foeda, sed ora virum foeda; ubi enim quid secus admissum in hominum scientiam venerit, turpius quam admissum est carpitur. interea definitionem Famae repetamus, quam poeta interponendo fecit hyperbaton et totum textum in duas partis abscisum posuit et minus attentis facit errorem. *Fama,* inquit, *malum, quo non aliud velocius ullum, mobilitate viget virisque adquirit eundo:* et cito, 175
inquit, ambulat et fit fortior et virtutem non perdit, sed adquirit: contrariis iuvatur utpote monstrum. *parva metu primo, mox sese attollit in auras ingrediturque solo et caput inter nubila condit:* veteres omnes multis incorporalibus et nomina dederunt et formas et nonnulla pro numinibus habuerunt, Victoriam scilicet, Concordiam, Discordiam, Furorem, Somnum et cetera similia: ita et Famam corporalem esse voluerunt et deam, ut ipse Vergilius hoc loco

---

2 *rejicerent* ed. 5 *ingentesque aequata* L. 9 *posse* pro *post* L. 9—10 *heu regni fuit* L cum punctis R: in *fuit*, quod apud Verg. non extat, *et cetera* per conpendium scriptum latere puto, quod de suo add. ed. 11 *sed — foeda* om. ed. 14—15 *etum textum* LR *et contextum* r *et eum t.* ed. *et totum t.* nos. 15 *abscissum* ed. | *attentus* LR ed. *attentis* nos, cf. 3, 205. 16 *facit* LR ed. *fecit?* | *quod* pro *quo* LR. 18 *ambulat fit* LR *a. et fit* ed. *ambulando fit* r nescio an recte. | *et virum* L *et viru* R *et vires* r *vires enim* ed. *et virtutem* nos (sic virtus de Furia 7, 335). 19 *contrariis* LR *nam c.* ed. 20 *primum* LR, sed infra *primo* ut Verg. libri. | *esse* pro *sese* L. 22 *et* ante *nomina* om. ed. 24 *corporalem* LR *et c.* edF.

ait haec passim dea foeda virum diffundit in ora. huic addidit et corpus et corporis incredibilem mobilitatem et loquacitatem satis effusam nihilque occultantem, hoc amplius ut non tantum veritatis sit nuntia verum etiam veris falsa commisceat; illam monstri esse genus, natam ex Terra cum Gigantibus, volatu alarum vigere et pedum celeritate, aurium quoque sensu et oculis quam plurimis semper vigilantem, loquentem plurimis linguis, nullo tempore habentem requiem, noctu diuque volitantem atque currentem, explorantem de summis locis quid singuli agant quidve loquantur, plus prava et ficta quam vera nuntiantem. idcirco dixit *illam Terra parens ira inritata deorum extremam, ut perhibent, Coeo Enceladoque sororem progenuit, pedibus celerem et pernicibus alis, monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore plumae, tot vigiles oculi supter, mirabile dictu, tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit auris. nocte volat caeli medio terraeque per umbram stridens nec dulci declinat lumina somno, luce sedet custos aut summi culmine tecti turribus aut altis et magnas territat urbis, tam ficti pravique tenax quam nuntia veri. haec tum multiplici populos sermone replebat gaudens et pariter facta atque infecta canebat:* parva est, inquit, Fama, cum metus intervenit: tunc metus est, cum de personis potioribus incipit loqui; sed cum dicit primo parva est metu, constat eam postea non timere et sumere augmentum. denique sequitur mox sese attollit in auras ingrediturque solo et caput inter nubila condit. ingreditur solo, hoc est ambulat in solo, ut sit integra locutio. ut autem ostenderet monstrum esse ultra inaestimabilem formam, pedes, inquit, habet in terra et capite tangit caelum. quod ait ut perhibent, morem proprium tenuit: in fabulosis quippe et incredibilibus non se facit auctorem. hoc

---

1 *foeda* om. L. 5 *viris* LR *veris* corr. L ipse r. 11 *plus* LR *magis* ed. 16 *oculis* LR corr. r. 24 *sedem* LR *sed cum* r nos *sed eadem* ed. 25 *constat* LR *et c.* ed. | *ea* LR *eam* corr. ed. | *et sumere* LR *sed s.* ed. 29 *inaestimabilem* LR ed. *aestimabilem?* 30 *tanget* L.

dictum sit de Famae definitione, nunc redeamus ad reliqua, quae eadem Fama per infinitos passim loquendo pertulerat. *protinus ad regem cursus detorquet Hiarban* 196
*incenditque animum dictis atque aggerat iras:* si poetice et ita ut positum est intellegamus, instruxit eum Fama atque iras eius agitavit: quaeritur utrum quas fecerat an quas apud Hiarban invenerat? melius est intellegere quas invenerat, quia dixit exaggerat: facilius enim excitatur in iracundiam maiorem qui iam habet animum ex eadem causa commotum. Hiarbas quidem, qui fuit in Didonis petitione contemptus, eoque maxime quod alienigena meruisset quod ipse inpetrare non valuit, debuit acrius commoveri. si extra poeticum textum quaeramus intellectum simplicem, cum Hiarbas audisset rumoribus sparsis Aenean ex longinquis partibus venientem sibi proximo et, ut ipse arbitrabatur, potiori esse praelatum, vehementer motus est: in his enim vel maxime causis intoleranda repulsa est, quae tunc magis sentitur, cum inferiorem putamus nobis esse praelatum. interea ostendamus hyperbaton quod diximus factum: descriptione enim Famae tunc posita una descriptione divisit. hanc si subtrahas, erit una narratio: extemplo Libyae magnas it Fama per urbis, sequi debet protinus ad regem cursum detorquet Hiarban.

*Hic Hammone satus rapta Garamantide nympha templa*
*Iovi centum latis inmania regnis, centum aras posuit vigi-* 200
*lemque sacraverat ignem, excubias divum aeternas, pecudumque cruore pingue solum et variis florentia limina sertis:*

---

3 *Hiarbam* ed. 6 *iras* LR *iram* ed. 9 *iam* R cum puncto sub *a* L om. ed. 10 *qui* LR ed. *quia*? 11 *quod alienigena* R *alienigenam* omisso *quod* L ed. 13 *si* LR *sic* edI *sin* edF. 16 *mortuus* LR *motus* r ed. 19—20 *hiperbaton quam diximus factum* LR vel *quod* r in marg. *hyp. quod* ed. 20 *discribsisse* L *descripsisse* R *descriptionem* ed. *descriptione* nos.
20—21 *tunc posita una descriptione* LR *t. positam u. d.* ed.: *tunc positā una d.* ad versus supra a Donato una descriptione coniunctos respicit. 21 *narratione* LR, sed *narratio* corr. ipse R.
22 *exemplo* LR. | post *per urbis* nescio an *et cetera* exciderit. 27 *cruore* R *cruorem* L ed., sed *cruore* explicatur.

Hiarbas, ut Vergilius posuit, natus ex Iove Hammone (constat enim Ioves plurimos fuisse) habuit Garamantem uxorem, non legibus acceptam, sed raptu interveniente quaesitam: Africae quippe finibus proximi feruntur esse Garamantes. hic in sedibus suis ac per omnis regni sui partis centum templa formae amplissimae constituerat Iovi atque aras totidem vigilemque ignem, hoc est qui semper nutrimentis necessariis fotus extingui non posset perindeque excubias divum continuas exhiberet. illius autem tanta veneratio fuit, ut hostiarum cruore adsiduo pingue esset solum. variis florentia limina sertis: non tamen dixit cuiusmodi sertis; sed cum dixit florentia limina varietate sertorum, splendido usus locutionis genere ostendit sertas ex floribus fuisse diversis. *amens animi et rumore accensus amaro dicitur ante aras media inter numina divum multa Iovem manibus supplex orasse supinis:* media inter numina, quasi praesentibus testibus diis. *Iuppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis gens epulata toris Lenaeum libat honorem, aspicis haec? an te, genitor, cum fulmina torques, nequicquam horremus? caecique in nubibus ignes terrificant animos et inania murmura miscent?* Iuppiter, inquit, quem omnis haec regio veneratur, si vides mala quae geruntur in terris, cur tibi non displicent? cur haec fieri sinis? aut si non vides et non ex te mittuntur fulmina, quae homines terrent, cur coleris? cur non te universi contemnimus? haec fuerunt principia eius qui loquebatur amens animi et rumore accensus amaro. ecce ostendimus (197) habuisse amaritudinem animi, quam cumulaverat Fama: perinde duplici ratione commotus, talibus cum Iovis invidia principiis positis, ipsam iam pro-

---

1 *natum* LR *natus est* r *natus* ed. | *homine* L *hamine* R corr. r. 2 *garamantem* LR *-idem* ed. 4 *sedibus* LR *finibus* ed. 8 *potest* LR ed. *posset* nos. 9 *dium* L *divum* R *diis* ed. 13 *varietatem* ed. 14 *sertas* LR om. ed. | *amens* LR *isque a.* ed. 19 *lebeum* pro *Lenaeum* LR. 21 *ignis* L. | *murmora* LR. 28 *habuisse* LR ed. *h. eum?* 30 *cuius invidia principiis* LR *cum Iovis i. pr.* nos temere mut. ed.

sequitur causam exprobratione personarum, ut indignum adserat factum. *femina, quae nostris errans in finibus urbem exiguam pretio posuit, cui litus arandum cuique loci leges dedimus:* tulit se a nomine et dignitate personae et ait femina quasi abiecti sexus. nam et Terentius (hec. 2, 1, 17) ita ex iracundi senis persona ait: „tu, inquam, mulier, quae me omnino lapidem, non hominem putas“. addit secundum convicium: quae nostris errans in finibus, hoc est peregrina et vaga, urbem exiguam pretio posuit: non quo vere exigua fuisset, sed talem dicere debuit qui deformantis animo loquebatur. pretio posuit, quae adhuc sedem non habuisset, nisi ego ei exiguum spatium vendidissem, ut hoc genere ostenderet novam dominam deferre potioribus et originalibus incolis et prioribus dominis debuisse. cui litus arandum cuique loci leges dedimus: colona, inquit, nostra est sub nostris legibus degens. haec non sunt omnia pro veris accipienda, quae amens fundebat, quae iactabat inimicus, quae clamabat iratus. *conubia nostra reppulit ac dominum Aenean in regna recepit:* et personarum et facti conparationem faciens ait recusavit nostra conubia: nostra quod dixit, in pronomine meritum personae quasi melioris et potentioris expressit; deinde conubii commemorationem fecit, ut ostenderet in causa honesta postulatam repulsam remittere maluisse, susceptum autem Aenean dominum potius quam maritum. huius obtrectationem subiungit, ut satiet indignitatem facti cum eius deformatione quem se contempto dolebat admissum: *et nunc ille Paris:* per originalis hominis inlicitum factum 215 crimen inventum est, cuius Aeneas adficeretur invidia,

---

1 *approbratione* LR *exprobr.* nos *approbatione* r ed. 4 *legis* LR. 5 *et terrentius* LR *et* om. ed. 8 *addidit* ed. 9 *vagans* ed. 10 *non quod* ed. (ut solet). 11—12 *ad duo sedem* L alteram *d* exp. man. II *aduossedem* R *aliter s.* r *adhuc sedem* ed. 12 *nos ergo* LR ed. *nisi nos* r *nisi ego* nos. | *exiguam* L. | *vindedissem* LR *vendedissemus* r *vendidimus* ed. 13 *ut* deest in LR add. r ed., cf. 10, 62. 16 *et sub* LR ed. *est s.* nos. 21 *dixit* LR *ait* ed. 29 *aspiceretur* LR *abjiceretur* edF *adficeretur* nos.

cum non sit similis causa, quando ille alieni matrimonii rapuit feminam, Aeneas autem viduae videbatur esse coniunctus et ei quae nubendi et eligendi quem vellet liberum habuisset arbitrium. sed quid faciemus mori hominum, qui in ultione conviciorum etiam falsa conponunt? *cum semiviro comitatu:* ecce iam maledictorum iniuria non Aenean solum, sed in omnis Troianos extenditur. semiviros quippe appellavit universos, hoc est duos praeferentis sexus, ambos ex semissibus constantis, quibus nihil est deterius, utpote qui corpore praeferant virum, animo tamen et corruptione, cultu quoque feminas imitentur. dat quoque coniecturale argumentum, quo probet infamis et ipsum praecipue ad eiusmodi crimen detineat, in quo omnis cardo doloris et causa constabat: *Maeonia,* inquit, *mentum mitra crinemque madentem subnixus:* quem cum videas, ait, censeas esse mulierem, mitra illi quippe et usque ad mentum, crines oleo madentes ut feminis. *rapto potitur,* hoc est coniunctione quaesita per violentiam, et tamen, cum sit tantis ludibriis obnoxius, ego repulsam merui et cessit praeda raptori. *nos munera templis quippe tuis ferimus famamque fovemus inanem:* quando, inquit, talia vides et probas nec tuis cultoribus, sed alienigenis prodes, incassum tuis templis ferimus dona et numen putamus esse quod non est. ecce et ipsum quem ad hanc partem necessarium putabat laedit, quod facit amentiae malum et doloris inpatiens animus, cui nonnumquam datur venia, quoniam mentis interveniente corruptione peccatur.

Denique ipse Iuppiter commotus non est, sicut ipse poeta monstravit dicens *talibus orantem dictis arasque te-*
220 *nentem audiit omnipotens:* quamvis contumeliosis dictis
rogantem tamen, quia tenendo aras devoti officium testabatur, hunc Iuppiter audiit. *oculosque ad moenia torsit regia et oblitos famae melioris amantis.* ad bis accipitur,

3 *elegendi* LR. 4 *mori* LR *more* HU ed. 7 *Aenean* LR *in Aenean* rHU ed., cf. prooem. in. 14 *inquit* om. ed. 17 *oleo* om. ed. | *mandentes* LR. | *potitor* LR. 21 *alia* LR ed. *talia* O nos. 22 *nectis* LR *u* superscr. r *non tuis* ed.

ut sit torsit oculos ad moenia et ad eos qui amoribus vacarent reiectis partibus honestatis et commodi sui. nusquam sic vitia amoris expressa sunt ut in hoc libro; ubi enim amor intervenerit, nihil praeter libidinem cogitatur, non utile aliquid quaeritur, commoditas nulla, honestas nulla tractatur, subit neglegentia omnium rerum, negotia differuntur, sic in oblivionem veniunt omnia, quasi universorum commoditas actuum in solo amore consistat. *tum sic Mercurium adloquitur ac talia mandat. vade, age, nate, voca zephyros et labere pinnis:* vade quasi officium pedum necessarium significat et postea dixit age, nate, voca zephyros et labere pinnis. cum igitur vade et labere diversum sit, quomodo potest intellectus cum sua integritate discerni? vade, inquit, voca zephyros et, cum flare coeperint, pinnis labere; pinnae enim sine ventorum flatu tardiores sunt, accepto autem ventorum adiumento in celeritatem nimiam concitantur et tota maturitate ad destinata perveniunt. *Dardaniumque ducem, Tyria Carthagine qui nunc expectat fatique datas non respicit urbis, adloquere et celeris defer mea dicta per auras:* dixit vade, dixit hoc ipsum vade qua facilitate possit inpleri: voca, inquit, ventos et pinnis labere. Dardanium, inquit, ducem ac, ne incertum Mercurius haberet ad quem mandata illa essent perferenda, designavit Iuppiter etiam locum dicens Tyria Carthagine qui nunc expectat fatisque datas non respicit urbis, adloquere et celeris defer mea dicta per auras. ille est, inquit, ad quem mitteris, qui consistendum apud Carthaginem inutiliter putat nec in animo habet quae illi terrae fataliter attributae sint. quod de Carthaginis inimicitiis hic strictim dictum est in mandatis infra positis plenius dicit. et celeris defer mea dicta per

---

2 *vacarent* LR *vacantes* ed. *vacant* ed. post. | *retectis* LR corr. ed. | *commodi sui* LR *commodis* adnotata lacuna, quae nulla est, edF. 7 *officia languent* post *differuntur* interpol. ed. non hab. LRHOU. 11 *dixit age* LR *vade* interpos. ed. 20 *adloquere sceleris* (et infra) LR. 21 *felicitate* R. 23 *ac* om. ed. 27 *mitteris* LR *te mitto* ed. 30 *strictum* LR corr. ed.

auras: sic, ait, mando, ut ad ipsum mandata mea tota celeritate perveniant. consideremus cuiusmodi verbis usus sit Iuppiter. vade imperativum est, age hortativum cum imperativo, nate religiosum et pium; voca, labere, adloquere, defer adaeque imperativa sunt: quorum alia spectant personam patris, regis vero alia, ut ille duplici necessitate constrictus voluntatem patris inpleret et regis. *non illum nobis genetrix pulcherrima talem promisit Graiumque ideo bis vindicat armis, sed fore qui gravidam imperiis belloque frementem Italiam regeret, genus alto a sanguine Teucri proderet ac totum sub leges mitteret orbem:* quod ait talem, hoc significat: amatorem desidiosum, neglegentem, obliviosum. post hanc vituperationem sequitur plena laudatio. non idcirco, inquit, bis evasit infortunia patriae suae, ut Carthaginem foveat et apud ipsam otio et luxuriae vacet, sed ut feroces Italiae populos domet et pullulantia imperia virtutis suae maiestate conpescat repetatque orientem patriam et genus Teucri cum omni orbe feliciori fortunae conservet: ad hanc felicitatem natus est, ad hoc illum genetrix sua suscepit et aluit. haec cum dicuntur, quod solus possit illique tanta prosperitas debeatur, recte commotus est Iuppiter non iam propter Hiarbae querimoniam, sed propter eum qui cessando apud Carthaginem spem suam probatur deseruisse, ut inde illum etiam invitum iuberet excludi. addidit cumulum laudis eius, cum dicit ac totum sub leges mitteret orbem. constabat enim ante Romanum imperium, quod ab Aenea sumpsit initium, regna fuisse nullis legum nexibus vincta ac per hoc futurum ut perdomita Italia atque possessa Aeneas totum orbem

4 *ante* LR *nate* r *autem* ed. | *connectit* post *pium* interpol. ed. 5 *adaeque* LR *quae* ed. 5—6 *expectant personam* LR *spectant ad p.* ed. 10—11 *regere — prodere — mittere* LR. 11 *urbem* L. 18 *orientem* LR ed. nescio an corruptum sit. 18—19 *feliciore fortuna* LR ed. 21 *illi quae* LR *illique* nos locum temere mut. ed. 24 *ut autem deillum* L *de* exp. in R *ut inde illum* nos (*utmde* in archetypo fuisse puto) *ut — excludi* cum sequentibus coniunxit et sententia et structura invita ed. 26 *urbem* L. 28 *vincta* LR *iuncta* ed.

sub leges esset fortuna suffragante missurus. *si nulla accendit tantarum gloria rerum nec super ipse sua molitur laude laborem, Ascanione pater Romanas invidet arces? quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur nec prolem Ausoniam et Lavinia respicit arva? naviget, haec summa est, hic nostri nuntius esto.* si nulla, inquit, eum agit futuri temporis spes nec excitatur rebus laetis nec contemplatione laudis aliquem laborem molitur, hoc est si torpens otio non vult laborare pro gloria sua, et contra institutum naturae faciens invidet filio imperium tantum? quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur? quid fovet aemulam? quid extruit inimicam? nec prolem Ausoniam nec Lavinia respicit arva? cur non considerat nec ponit ante oculos Italiam et posteritatem quam illic habiturus est apud Lavinia litora? quaeritur, cum nondum Aeneas ad Italiam venisset, nondum Laviniam nosset, nondum Lavinium oppidum condidisset, cur hic posuerit nec prolem Ausoniam nec Lavinia respicit arva. ex persona Iovis bene processit, quoniam futura noverat et ventura bene habuit cognita. naviget: si illa, inquit, in oblivionem duxit et neglegit, sufficit et id solum, ut inimicae Carthaginis exclusus finibus naviget. haec summa est, hic nostri nuntius esto: mandatorum, inquit, haec summa est. hic nostri nuntius esto: haec est conclusio definita praecepti, ut relinquat Carthaginem navigando, et hoc solum ei volo nuntiari. conferenda sunt quae Hiarbas in invidiam contulit et quemadmodum haec acceperit Iuppiter, ne remaneat illud, ut in exclusione Aeneae Hiarbas vindicatus esse videatur. non ita est. Iuppiter quippe,

---

3 *ascaneone* LR. | *invide* LR. 5 *ausonia nec* L. 6 *dixerat* post *esto* interpol. ed. 9 *et* LR ed. *etiamne* expectes in apodosi. 12 *estruit inimicam* LR *struit cum inimica* ed. 13 *cur non* — 18 *arva* om. ed. 20 *illa* R *illam* L ed. 21 *duxit et non licet* L *duxit*/////*licet* cum ras. R *d. non l.* ed. *d. et neglegit* nos. | *sufficere hi solum ut* L *hi* exp. *hoc* superscr. R *sufficit et id solum ut* nos *hic immorari sed* ed. 29 *non* LR *nam n.* ed.

ut supra dictum est, magis inde commotus est, quod Aeneae in oblivionem quodammodo venisset Italia, et consulentis officio Mercurium misit, qui ad meliora et propria truderet segnem. proinde si omnia Iovis ipsius verba considerentur, nihil Hiarbae contemplatione invenietur mandasse Mercurio nec ad illius aliquam culpam pertinere poterit qui Carthaginis finibus excludi praeceptus est.

*Dixerat,* Iuppiter scilicet: conpleta autem iussionis
summa subiungit quos actus habuit Mercurius. *ille patris
magni parere parabat imperio et primum pedibus talaria*
240 *nectit aurea, quae sublimem alis sive aequora supra seu
terram rapido pariter cum flamine portant. tum virgam
capit: hac animas ille evocat orco pallentis, alias sub Tartara
tristia mittit, dat somnos adimitque et lumina morte*
245 *resignat. illa fretus agit ventos et turbida tranat nubila:*
post dicta patris Mercurius, ut iussa potuisset plena
executione conplere, necessaria usibus suis adhibebat,
quorum adminiculis adiutus et volare posset et cum plena
potestate ad destinata contendere. *iamque volans apicem
et latera ardua cernit Atlantis duri, caelum qui vertice
fulcit, Atlantis cinctum, adsidue cui nubibus atris piniferum*
250 *caput et vento pulsatur et imbri, nix umeros infusa tegit,
tum flumina mento praecipitant senis et glacie riget horrida
barba:* ex occasione describit Atlantis situm et, cum sit
mons, tamen, quia hominis habuit nomen, hunc adsignat sub definitione humani corporis. volans, inquit, Mercurius cernebat latera duri Atlantis. durum dixit ex soli saxis, et qui per duri naturam roboris caelum vertice suo sustinere potuisset et ferre. denique sequitur caelum qui vertice fulcit, ut ostenderetur quid sit duri. dixit ergo durum, dehinc dixit caelum qui vertice fulcit, ut altissimum quoque monstraret, usque adeo ut suo vertice sustineat caelum; et hoc ad intellectum potest accedere,

---

8 *iussionis* R *-nes* L *-ne in* ed. 13 *hic* R *hac* r. 15 *ventis* LR. 17 *executio* ed. 18 *conpleria* LR *cum plena* r *commoda* ed. 21 *Atlantis cinctum* coniunxi propter interpr. 27 *ex solis axis* LR temere mut. ed. 30 *fulgit* LR.

verticem ipsius esse superiorem potuisse, nisi hunc caeli magnitudo pressisset. Atlantis cinctum, adsidue cui nubibus atris piniferum caput et vento pulsatur et imbri: videbat Atlantis latera, videbat umeros, videbat et cinctum, videbat et caput eius piniferum, quod adsidue imbribus pulsaretur et ventis. piniferum caput aut crispum, quia tamquam de homine loquebatur, aut arbores pineas in cacumine habentem, quia revera montem describebat. nix umeros infusa tegit. cum non dicit aliquibus temporibus, ostendit hunc perpetuis nivibus abundare. tum flumina mento praecipitant senis et glacie riget horrida barba: nives ipsae aut congelatae rigebant aut dissolutae vertebantur in flumina. expresse dixit praecipitant; magnitudo enim aquarum et nivium et altitudinis aliter ostendi non poterat. et glacie riget horrida barba: et hic riget tale est quale est nix umeros infusa tegit, ut semper rigere videatur. senem vero recte appellavit, vel quod mons esset antiquus vel quod Mercuri avus esse diceretur vel quod semper canus esset ex nivibus. *hic primum paribus nitens Cyllenius alis constitit, hic toto praeceps se corpore ad undas misit:* non frustra paris alas dixit; alarum enim remigium constare non potest, nisi fuerint pares. Mercurius igitur ad partis Carthaginis tendens hic primum constitit, nec mirum; non debuit enim praeterire montem, qui avi sui nomine consecratus esset et qui ex occasione urgentis transitus necessarius fuerat et oportunus. *avi similis quae circum litora, circum piscosos scopulos humilis volat aequora iuxta:* sic Mercurius se ad undas misit, ut solent aves quibus esca piscis est et propter explendam famem volant iuxta undas et litora. *haut aliter terras inter caelumque volabat litus harenosum ac Libyae ventosque secabat materno veniens ab avo Cyllenia proles:* avium more inter terras caelumque suspensus litus Libyae

---

3 *astris* L. 11 *mentum* LR. 20 *hic toto* LR *hinc t.* r. 21 *dixit* LR *misit* ed. 31 *inter* om. LR. | *ac lybiae* LR *ac* om. ed.

harenosum atque ventos secabat Mercurius veniens ab avo materno hoc est Atlante. *ut primum alatis tetigit magalia plantis:* mox ut venit ad loca in quibus Aeneas fuerat, 260 *Aencan fundantem arces ac tecta novantem conspicit:* vidit Aenean fundantem arces ac tecta novantem, vidit, inquit, non oculis, sed animo, existimans ipsum esse novorum operum conditorem: ceterum noctis fuerat tempus, quo ille dormiebat: denique sequitur *atque illi stellatus iaspide fulva ensis erat Tyrioque ardebat murice laena demissa ex umeris, dives quae munera Dido fecerat et tenui telas discreverat auro:* descripsit regis dormientis ditissimum cultum: habuit, inquit, circa se gladium gemmarum copia pretiosa distinctum, laenam demissam ex umeris, quod fit saepe, cum alto somno homines attinentur. hanc, inquit, laenam Aeneae usibus dederat Dido, ut amorem suum et divitias suas ostenderet. tantum enim Tyriae purpurae atque auri habuerat illius confectio itaque fulgebat, ut 265 qui hanc vidisset putaret ardere. *continuo invadit:* invectivam fore dictionem poeta ipse pronuntiavit dicendo continuo, dicendo invadit; nam inpatientia commotionem mentis ostendit, ideo quae animo gerebat differre non potuit; invadit vero ad id pertinet, quia talem personam Mercurius Aeneae repraesentare debuit qualis illius fuerat qui mandavit. ex praesentibus autem obiurgationi ipsi initium dedit hoc modo: *tu nunc Carthaginis altae fundamenta locas pulchramque uxorius urbem extruis, heu regni rerumque oblite tuarum.* si melius consideretur mens dictionis istius, obiurgatio est, non invectio; commonefacit enim eum utilitatis suae. denique et dolet decipi spem ipsius et fili, quod non faceret, si accusatoris animum gereret.

---

1 *ventosque* ed. 4 *conspicit* om. LR. 9 *erat* om. LR. 19 *pronuntiavit* LR ed. *praenuntiavit*? 19—20 *dicen—do continuo* cum rasura et lineola L I man. *dicensdo c.* R: ergo hoc archet. habuisse videtur. 20 *dicendo* om. ed. 21 *ideoque acerrimo gerebat differre non potuit* L *i. acerrime g. d. n. p.* R *animo* corr. r *quae animo* nos temere mut. ed. 28 *commonefacit* R *communem facit* LHU ed.

inter initia, inquit, surgentis civitatis inimicae confoves coepta et quam nascentem opprimere debueras sublevare contendis. dolenda est fortuna tua, quae contrarium cupit contrariumque sectatur. arripuisti curam obfuturam commodis tuis et meliorum spem praesumpta desperatione tempsisti. inprudentis officium est aliena sic curare, ut neglegas tua: spem tuam iugulas huius intentione consilii, cum amoribus indebitis deditus uxori quam retinere non potes placere contendis. haec obiurgatio ut ab erroribus solitis dormientium secerneretur et maiorem auctoritatem sumeret, *ipse,* inquit, *deum tibi me claro demittit Olympo regnator, caelum et terras qui numine torquet, ipse haec ferre iubet celeris mandata per auras.* suffecerat indicasse a quo esset missus, sed, cum notum esset quantum Iuppiter posset, adiecit iniciendi maioris metus causa potestates eius et quod illa omnia celerius perferri iussisset, ostendens ex eo quod dicebatur maturius oportere conpleri. *quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?* utriusque culpae iustissima reprehensio: nam struere contraria, hoc est tractare vel disponere, et inimicae civitatis commoda sublevare extremae dementiae est. praeponere autem otium, cum necessaria peragenda superfluant, neglegentis est et incauti. vellem, inquit, nosse qua spe ducaris, cum aliena diligis, cum adversa disponis, cum otio torpens tam necessariorum commodorum sollicitudine reiecta aemulam tuis rebus praetulisti segnitiem. dum quaeritur qua spe id fieret, procul dubio nihil in Aeneae actibus reperiebatur quod aliqua valeret excusatione defendi. *si te nulla movet tantarum gloria rerum, Ascanium surgentem et spes heredis Iuli respice. cui regnum Italiae Romanaque tellus*

---

5 *meliorum* LR *meliorem* edF. 6 *contempsisti* ed. | *curarent* R *curare ut* r. 8 *retineri* LR corr. U ed. 13 *sufficerat* LR *suffecerat* r ed. 14 *et cum* LR *sed c.* ed. 16 *potestates* LR *potestatis* ed. | *illa* LR *ille* r. 19 *strue* R corr. r. 20 *tract re* L *tracre* R *tractare* r *trahere* ed.: cf. 276. 23 *velle inquid* L. 24 *detegis* LR *agis* ed. *diligis* nos. 29 v. 273 om. Don. cf. ed. Ribb.

*debetur:* certe, inquit, si adeo contemnis utilitatem tuam et tantarum rerum gloriam spernis, expergiscere aliquando et officio saltem paternae pietatis admonitus vel fili partis utilitatemque perpende. debitum est Italiae imperium filio tuo, non debet perire per te quod non nisi per te ad ipsum potest hereditario iure transire. *[tali Cyllenius ore locutus] mortalis visus medio sermone reliquit:* non expectavit responsum Mercurius, sed finem suis verbis inponens ante discessit. medius sermo dividitur, qui exoriri potest inter duos vel pluris, cum sibi invicem proponunt invicemque respondent. hoc fieri Mercurius non passus est; non enim ad hoc fuerat missus, ut peractis mandatis referret etiam ipse responsum. quod igitur esse medium potuit dimisit et abscessit, vel maxime quia, si aliquid ab Aenea vellet audire, vigilantis vox fuerat necessaria, quam mortali non licuit habere cum deo. quod si fieri ullo modo sineretur, adsisteret Aeneas partibus suis diceretque se uxorium non esse, utpote qui nullam haberet uxorem, hiemis causa interim apud Carthaginem remansisse quassatis navibus et nondum conpositis, adhuc navigandi copiam non habere, nulla ope sua iuvari Carthaginem, filio quoque Iunonem invidere, non se, vi maris ad Carthaginem, non voluntate conpulsum, cum iam prope teneretur Italia, nihil se struere, hoc est nihil moliri vel disponere, quod fili commodis obstaret aut suis (struere disponi atque tractari significare manifestum est, quia alio loco dictum est (8, 15) „quid struat his coeptis", id

---

1 *debentur* ed. 6 *tali* — 7 *locutus* deest in LR add. ed. et explicari videtur. 11 *inducemque* L *indicemque* R corr. r. | *moriturus* L *Mercurius* superscr. man. rec. *morturus* R *mercurius* r. 14 *potuit t* expuncta et *s* superscripta L *posuit* R *potuit* r. | *deposuit* ante *dimisit* interpol. H ed. | *quia si* L *quasi* R *quia si* r. 15 *vellit* L. | *vigilanti* ed. 17 *sineretur* LR *permitteretur* ed. | *adsistere* LR ed. *adsisteret* r. | *Aeneam* ed. 18 *diceretque* LR *que* om. ed. 22 *non se* LR *et se* ed. 26 *disponi* L *disponendi* R *disponere* r. | *tractari* LR *-re* r. 27 *quis distruat* LR *quid struat* r.

est quid moliatur tractando). haec utique dicerentur, si responsionem hominis deus praesens potuisset accipere.

*Tum vero Aeneas aspectu obmutuit amens arrectaeque horrore comae et vox faucibus haesit:* recedente Mercurio evigilavit Aeneas cumque secum consideraret visa et audita, elinguis effectus est, haesit faucibus vox eius, et comarum mollities pavore interveniente durata, dum iaceret, erecta est. videamus post haec qualis cogitationes habuit monita Mercuri pertractans: *ardet,* inquit, *abire fuga dulcisque relinquere terras attonitus tanto monitu imperioque deorum.* non inanis deliberatio apud eum fuit quem constabat deorum esse cultorem. cuius rei contemplatione permotus tractabat non minus etiam aliam partem. occurrebant enim Didonis humanitas et ipsa qualiscumque coniunctio et terrae iam dulces ex mora. cumque uno ex latere metus divinae iussionis insisteret, ex altero pudor, quid facere deberet in tali negotio cogitabat. constabat tamen Iovis ac Mercuri sententiam praeponendam, quae faciebat pro utilitate tractantis et potestatis auctoritate ceteris debuit anteferri. remanserat igitur consilii ratio, utrum sciente an inscia Didone discedi deberet aut posset. hoc est quod ait *heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem audeat adfatu? quae prima exordia sumat? atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc [in partisque rapit varias perque omnia versat].* in his tamen aestibus animi constituto, cum reverentia maior cum pudore contenderet, constitit diu exagitatum robore fortiore consilium et quod in partis tota celeritate rapiebatur cautiore definitione firmatum est: *haec alternanti potior sententia visa est.*

---

1 *qui moliatur* R corr. r. 2 *deos* LR corr. r. 7 *durata* om. ed. 8 *erecta* LR *durata* ed. | *habuit* LR *habuerit* ed. 14—15 *coniunctio terrae iam dulces* LR *dulcis* ed., sed *qualiscumque* ad Didonis coniunctionem spectat, quare *et terrae iam dulces* et *occurrebant* scripsi *-bat* LR ed. 17 *tali* LR *tanto* ed. 21 *virum* LR *utrum* r ed. 24 *in* — 25 *versat* deest in LR, sed explicatur. 26 *constitutus* LR ed. *-to* nos. | *maior* om. edF. 29 *firmatum* R *firma f.* L.

incipit iam dicere quale consilium Aeneas in deliberatione delegisset, utpote is qui in tali causa non tumultuarie nec passim, sed multa diversaque volvendo maturum exitum reperire debuisset. *Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum, classem aptent taciti, socios ad litora*
290 *cogant, arma parent:* vocatis principibus exercitus in dispositionum suarum secreta strictim breviterque commisit, pararent navigia, omnis socios ad litora usque conpellerent et pararent arma. licet causae istorum praeceptorum dictae evidentius non essent, signis tamen colligebantur. non enim in occulto esse iam poterat Aenean ideo tacita esse voluisse consilia sua, ne inparatos Dido iuberet invadi: paratis vero omnibus nullum esse metum resistendi, cum arma praesto essent, quibus violentia posset excludi. nonnulli hic arma remos et cetera accipiunt, quoniam alio loco (5, 15) ait „colligere arma iubet". hic vera arma posuit: nam quod ait classem aptent taciti, aptari utique navigia rebus omnibus iussit; arma autem certamini necessaria significavit esse paranda: noverat enim quid offensa Dido iubere potuisset et haec consilio praevenire cupiebat cautela praecurante. *et quae rebus sit causa novandis dissimulent:* cur, inquit, post speratam cessationem fiant ista dissimulent, hoc est quasi id se simpliciter facere confingant. *sese interea, quando optima Dido nesciat et tantos rumpi non speret amores, temptaturum aditus et quae mollissima fandi tempora:* divisit officium agendi inter se ac suos, illis paratus urgentissimae navigationis iniunxit atque ut praesto fierent arma tegerentque faciendi causam dissimulatione interposita, sibi reservavit fallendae reginae consilium. vos, inquit, quae mandavi conplete, ego curabo

2 *tumultu arte* LR *tumultum facere* ed. 3 *nec* LR *nec id* ed. 5 *serestum* LR *Cloanthum* ed. 6 *novatis* LR *vocatis* r′ ed. | *exercitus ui* LR *e. in* nos *inter socios* ed. 7 *secretae* LR *secreta* r edF. 8 *pararent* LR *ut p.* ed. 15 *cetera* LR *huiusmodi* add. ed. 21 *cautela* LR *-lam* ed. | *praecurante* LR *praecurrente* ed. 28 *fierent* LR *forent* edF. | *arma* LR *a. pararent* ed.

ut, cum regina de amore meo secura est et nihil sperat quod dilectum coniunctionis abrumpat, aditus temptem. suadere ei contrarium quem vis magna possederit nec ullam persuasionis rationem admittit, quem in aliquam necessitatem aliena potestas animaverit, hoc denique est quod supra dixit heu quid agat, quo nunc reginam ambire furentem audeat adfatu? quoniam amor nec habet rationem suam nec admittit alienam nec cogitat nisi id quo ducitur nec potest reicere quod non sua voluntate suscepit. et quae mollissima fandi tempora: occasio quippe temporum in causis vel maxime durioribus plurimum prodest. *qui rebus dexter modus:* observationem enim oportuni temporis dextera omnia prosperaque sectantur. *ocius omnes imperio laeti parent ac iussa facessunt:* solus Aeneas in- 295
vitus cogebatur ad navigandum, quia commorandi solus habuit causam. hoc est quod ostendit dicendo ocius, ne mutaret forsitan voluntatem, si mora interveniret. imperio parent, quoniam id fuerat iussum quod omnibus fuit optabile et oportuit fieri. laeti autem hoc faciebant, quia contra voluntatem apud Carthaginem tenebantur; et, si non pro loco intellegamus, ille est gratus cuiuslibet iussionis effector qui praeceptis laetus obsequitur. hoc denique et Terentius tetigit dicendo (heaut. 4, 6, 1) „nulla est tam facilis res, quin difficilis siet quam invitus facias". officium enim conplendi praecepti, si voluntate suscipiatur, et inpletur facile et cum laetitia perficitur; quod autem gerit invitus et onerosum redditur, quamvis natura leve sit, et non conveniente sententia fit triste nec pro iubentis voluntate tractatur. ac iussa facessunt: iussa effectibus plenissimis conplent, in tantum ut nihil videatur omissum.

---

1 *de* LR *quae de* ed. 2 *dilectum* LR *dilectionem* ed., sed cf. 6, 236 et 9, 85. 3 *suadere* LR *et suadeam* ed. | *quem vis magna* LR *quando eam vis amoris m.* edF. | *nec ullam* LR = et qui nullam cf. 254. 8, 30 et ind. lat. Don. sub pron. relat. *qui nullam* ed. 23 *terrentius* LR. 26 *perficiatur* L *perficitur* expuncta *a* R. 28 *ne* L *nec* R ed. 30 *dividantur* LR *dimittatur* r *videatur* nos *relinquatur* ed.

*At regina dolos (quis fallere possit amantem?) praesensit motusque excepit prima futuros omnia tuta timens:* expressit amantium morem, semper quippe suspecti sunt semperque solliciti. accedebat ad Didonis causam quia non amata fuerat, sed amabat noveratque Aenean peregrinum ea intentione cessasse, ut ad Italiam tenderet potius quam ut perpetuo apud Carthaginem remaneret. unde praeter amatorum morem ipsa cautior fuit. denique dolos prima persensit; nullus quippe potest amantis animum et vigilantiam fallere. amans enim perpetuo ducitur metu, etiam si tuta sint omnia. motusque excepit prima futuros: ideo dolos prima persensit, quia in causa sua ipsa diligentior et cautior fuit. additur poeticum quiddam non verum, sed ex occasione conpositum, ut quod illa astute ac vigilanter invenerat videretur Fama nuntiasse. *eadem,* inquit, *inpia Fama,* quae Hiarban dolore commoverat ut Iovi conflaret invidiam, ex qua Aeneas navigare conpulsus est, *furenti detulit:* qui furit integrum mentis non habet statum: huic amans conparatur, quoniam a consiliorum omnium integritate depellitur. furenti igitur Famam nuntiasse commemorat ea parari quae procul dubio noscerentur amori esse contraria, scilicet *armari classem,* quod ipsum solum ostendere poterat parari discessum; addidit *cursumque parari,* ut ostenderet nulla mora
300 interveniente futuram navigationem. *saevit inops animi:* inops animi est qui in adversis citius deficit nec stabili quo potest consilio subvenire. ecce Didoni duplicatum est malum, amanti quippe et insperato malo commotae accessit saevitia aliaque mentis agitatio. *totamque incensa per urbem bacchatur:* augmenta calamitatis sumpsit, ut contempta verecundia sexus et honestate regali per totam urbem discurreret more baccharum. dabat viris currenti inmanissimus furor, qui pudorem matronalis honestatis

---

2 *et coepit* pro *excepit* LR. 9 *praesensit* (et infra) ed. 16 *hiarba* L. | *dolere* LR *dolore* r ed. 20 *depelletur* LR corr. ed. 26 *stabili quo* LR *st. aliquo* r ed. 32 *baccharum* LR *bacchantium* r ed.

excluserat. ferebatur ergo per totam urbem et, quasi sacra Liberi patris agerentur, per amentiam bacchabatur in eum modum quo ferri solet *commotis excita sacris thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho orgia nocturnusque vocat clamore Cithaeron. tandem his Aenean compellat vocibus ultro:* praeventi sunt Aeneae tractatus; supra enim dixit „sese interea, quando optima Dido nesciat et tantos rumpi non speret amores, temptaturum aditus et quae mollissima fandi tempora“. ecce Dido licet paulo tardius, quia inpedierat furor, ultro ipsum adgreditur; neque enim aliud expectare debuit quam tot animi possederant mala et quae fieri noverat quod paraverant doli. tandem pertinet ad furorem, qui Didonis vocem distulerat, ultro ad inpatientiam doloris, vocum vero commemoratio exclamationem futuram significat progressuram in ingratum; nesciebat enim facti causas Mercurium peperisse.

*Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum posse nefas* 305
*tacitusque mea decedere terra?* non a levibus, sed ab ipsis scelerati facinoris coepit augmentis dilatans omnem invidiam arte mirifica; nam primum crimen fuit potuisse post tot et tanta merita benivolentiae cogitari perfidiam, deinde hoc ipsum pro levi ducere. non enim dissimulatur nisi quod potest etiam sperni: sunt ergo interim duo crimina, inveniri scelus et dissimulari potuisse. addit aliud tacitusque mea decedere terra, nec saltem, inquit, sic discedere, ut gratiam vel verbis referres meritis meis. nam quid erat abire tacitum nisi beneficiorum inmemorem confiteri? ut enim est durum quemquam non moveri miseratione laborantium, ita sceleratum est praestitorum inmemorem fieri. semina igitur quaedam plurimorum criminum inter initia spatii et summatim congesta in unum congregat, sequenti tamen in parte singula latius tractat docens quid sit sceleris non respondere benefactis.

---

2 *sacri* LR. 3 *motum quo ferri solet* LR *modum qualis* ed. 14 *ultro ad* LR *ultro ob* edF. 24 *inveniri* LR *esse inventum* ed. 27 *nisi* LR *nisi se?*

ad eandem generalitatem pertinet quod ait mea decedere terra. in eo enim quod dixit terra mea hoc potest sentiri: in qua posito tanta sunt praestita, quae specialiter dictura est, sed tunc cum obstinatio Aeneae patuerit. nunc enim dictio temperata est, ne iniuria non revocet, sed urgeat properantem. interea possumus aliter quoque sentire quid sit terra mea, quod illa intellegi potius voluit quam dici: mea ergo, quae te suscepit naufragum, servavit ignotum, inopem fovit. tacitus, hoc est qui praestitis vel verborum obsequio non ageret gratias perindeque esset ingratus, quod est admodum inter homines grave, non sentire beneficium. qui enim non rependit qualemcumque praestitis vicem is monstrat aut nihil se eorum meminisse aut omnia habuisse pro levibus. ecce suppressa sunt quae laedere potuerunt, ea vero quae audientis animum vexare non possunt dicuntur apertius: *nec te noster amor nec te data dextera quondam nec moritura tenet crudeli funere Dido?* dicta sunt tria mollibus verbis, sed quae ingrati crimen excitant. si illa, inquit, prae oculis non fuerunt quae cum tuis omnibus benivolentia mea largiente consecutus es, specialia tamen animo tuo inhaerere debuerant: amor scilicet noster; aut de suo solo dixit noster, ut plerumque fit, cum unus plurali numero se appellat, ut ait Palaemon, cum solus inter duos iudicaret (buc. 3, 108): „non nostrum est inter vos tantas conponere litis", et hoc magis probandum est, quia sola amaverat, aut noster dixit, ut amor mutuus videretur ex coniunctione intervenisse perindeque quod unius fuit duobus factum esse commune; nec te data dextera quondam, quod fit cum coniunctio ipsa perficitur: potest hic et vis hospitii intellegi, quoniam

3 *posito* LR *tibi* ed. 4 *tunc enim* LR *nunc e.* edF. 6 *quaeque* LR *quoque* ed. 12 *rependet* LR ed. 13 *his* LR *is* ed. 19 *prae oculis* LR *utilia* ed. | *et pro levibus habes* post *fuerunt* interpol. ed. (*homines* pro *habes* edI). 22 *aude* L *aut de* R *aut* om. ed. 24 *nostrum* LR *non* superscr. r. 25 *est* contra metrum LR om. ed. 28 *perindeque unius* LR *quod* in margine add. r inseruit ed. omisso *que*.

alio loco (3, 83) ait poeta „iungimus hospitio dextras et tecta subimus“; novissimum commovendae miserationis causa posuit interitum suum dicens nec moritura tenet crudeli funere Dido: nec cogitasti navigationem tuam crudelem secuturum interitum: praedixit in ultimo mortem suam etiam ipsum amare existimans et ex eo flecti in misericordiam posse. *quin etiam hiberno moliris sidere classem et mediis properas aquilonibus ire per altum,* 310
*crudelis?* sed cur, inquit, arbitrer te moveri posse contemplatione salutis meae, quando tuam quoque perniciosa obstinatione contemnis, ut eiectus naufragio in has terras quid tempestates, quid hiemes et quid sidera valeant quantamque perniciem ferant animo recordante non tractes, scilicet tantam crudelitatem professus, ut utriusque salutem diverso, sed tamen detestabili genere simul velis extingui? ecce amantis permotio: licet laesa dispositionibus inimicis tamen ostendit se et pro ipsius Aeneae incolumitate suspectam. *quid si non arva aliena domosque ignotas peteres?* evadas licet temporis pelagique violentiam, quid speras futurum, cum aliena rura temptaveris et cum ad novos homines veneris? quis incognitum sumet? hoc est dicere decepturum est te exemplum meum, dum existimas omnis esse benivolos ad quoscumque perveneris. haec dicendo occulte persuadet ne relinquat nota, ne deserat certa, ne susceptam Carthaginis amicitiam fugiat. quid si non arva aliena domosque ignotas peteres *et Troia antiqua maneret?* quid faceres, inquit, si staret Troia aut ad notos ire disponeres? secura dicebat, quia nec Troia stabat nec illum aliquis noverat. *Troia per undosum peteretur classibus aequor:* properans forsan reprehendi non posses, si cum periculo licet redire

---

6 *ipsum* LR *ipsi* edF. | *ex eo* LR *et ex eo* ed. 10 *meae* om. ed. 12 *hiemes* LR *hiems* edF. 20 *iura* LR *rura* r edF (explicatur *arva*). 26 *quid* — 27 *peteres* om. ed. 27 *faceres* LR ed. *facerem*? 30 *Troia* — *aequor* Don. non pro interrogatione accipere videtur. 31 *posse si* L, sed in *posses si* correctum videtur manu II. | *licet* LR *vel ad tua* ed.

velles ad tua. *mene fugis? per ego has lacrimas dextram-*
315 *que tuam te (quando aliud mihi iam miserae nihil ipsa reliqui), per conubia nostra, per inceptos hymenaeos, si bene quid de te merui fuit aut tibi quicquam dulce meum, miserere domus labentis et istam, oro, si quis adhuc precibus locus, exuc mentem:* cum non, inquit, superet Troia neque ad notos sis aliquando venturus, ostendis navigationem tuam non aliorum duci desiderio, sed odio meo. cum dicit mene fugis? hoc intellegendum est: cuius beneficia habes et nullas causas offensae. colligit autem multa et quicquid ad Aenean flectendum habuit simul effudit. quod ipsum nonnulla cum obscuritate prosecuta est, quia confusa ex plurimis motibus animi loquebatur. posuit itaque per et contexuit omnia et sic dixit oro. haec duo non sunt semel accipienda, ut quae dicta sunt intellegantur evidentius: ut sit oro te per has lacrimas et ego oro, quae fiducia praestitorum debeo inpetrare quod volo, et flens rogo, quod est verum doloris indicium. nec putes has inaniter fundi: testes istae sunt poenarum pectoris mei et quicquid interna discruciat celare non possunt, tantum fidei oculi gerunt, ut latentis angores fletibus probent et abstrusas interius causas manifestis probationibus prodant. per dexteram tuam te oro dictum vel viro forti conveniens vel amori: ait enim supra „nec te data dextera quondam“. per conubia nostra, hoc est per matrimonii fidem te oro, quod est mihi tibique commune. per inceptos hymenaeos te oro, quod significat per nuptias nostras communi consensu firmatas. adserit Dido nuptias non solum illas quibus adsunt plurimi dici posse verum

---

1 *velles ad tua* R *vellit ad tua* L *velis* sine *ad tua* ed. 2 *misere* R corr. r. 3 *hymaneos* LR. 4 *aut* superscripta *h* L *haut* R *aut* r. 6 *superest* LR ed. *superet* nos propter *sis*. 12 *nonnulla* LR *summa* ed. 15 *simile* LR *simul* r ed. *semel* nos. 16 *has* om. edF. | *aut ego* LR ed. *et ego* nos. 19 *has* LR ed. *lacrimas* excidisse videtur. | *ista* ed. 21 *angor est* LR corr. ed. 23 *dextramque* ed. 29 *vel sunt* LR *intersunt* r *adsunt* ed.

etiam quae duorum tantum conventione nullo teste perficiuntur. noverat enim quo genere in Aeneae velut consortium venerit et hanc partem munire nitebatur metuens ne sibi obiceretur quod infra Aeneas adserit dicens (338) „nec coniugis umquam praetendi taedas". incepta vero dispositiones sunt, ut plurimis locis et apud plurimos lectum est, et definitiones animorum significant, ut ipse Vergilius (1, 37) „mene incepto desistere victam?" et Sallustius (hist. I 74 M.) „nam talia incepta, ni in consultorem vertissent, reipublicae pestem factura". multos hoc loco trahit pars illa, quod inter Aenean et Didonem nova coniunctio agebatur, et sic inceptos hymenaeos intellegunt quasi recenti tempore contractos. quod contra est; nam si ita esset, coeptos diceret, non inceptos. certe et animus Didonis inspiciendus est, quae vult illud quod passim et vulgo factum est matrimonium dici et Aenean quaerit consensus praeiudicio coniugii legibus detinere. oro te, si bene quid de te merui fuit aut tibi quicquam dulce meum: et beneficiorum suorum et adfectus coniunctionis ipsius intellegitur tetigisse rationem. oro te, miserere domus labentis: commoveat te miseratio, ne mecum consumatur memoria nominis mei, scilicet ne labantem spem meam adiumento tui abscessus inpellas et sternas. et istam, oro, siquis adhuc precibus locus, exue mentem: et sic, inquit, plurimis rogo, ut, ubi adhuc pars aliqua pectoris tui vacat atque est spatium quod meas preces excipiat, indefessis viribus rogare non cessem. dixit se morituram: ut autem credatur id posse et debere perficere, dicit causas, ut Aeneas causarum ipsarum causa

---

1 *ē* pro *etiam* L. 2 *vel* LR om. ed. *velut* nos cf. 167 et 338. 3 *veniret* LR *venerit* edF. 4 *sub* LR *sibi* r ed. 5 *nunc* pro *nec* LR. | *praecedit* pro *praetendi* LR. | *taedas* om. LR omnia corr. edF. 9 *salustius* LR alibi *ll.* 9—10 *ni inconsulto revertissent* LR ed. corr. r cf. 1, 37. 17 *coniugii* LR *et c.* ed. 22 *me* LR *mecum* nos om. ed. 23 *labentem* ed. 24 *spernas* LR ed. *sternas* nos. 25 *pluribus* ed. | *ubi* LR ed. *ut ubi* nos. 28 *moritura* L. | *autem* om. ed.

esse videatur et advertens in se omnem invidiam congeri
320 rogantis precibus acquiesceret. *te propter Libycae gentes Nomadumque tyranni odere, infensi Tyrii:* propter unum, inquit, te et meos omnis et gentis vicinas offendi, domi forisque odium me non frustra circumdedit. cum dicit Libycas gentes et Nomadas tyrannos tangitque hominum genus asperum, satis ostendit ex offensa gravi posse illos crudelius et inmanius commoveri. supprimit autem quantitatem gentium et tyrannorum, ut infiniti numeri formidinem monstret. proinde inter tot ac talis qualis vita sperari potuit aut quis exitus moriendi, cum post imperium aut captivitas speraretur aut finis infelicissimus vitae? *te propter eundem extinctus pudor et, qua sola sidera adibam, fama prior:* bene posuit extinctus pudor: cum enim quaereret incendia amoris absumere, non ipsa, sed spem proprii pudoris extinxit. de famae autem perditae statu non inmerito querebatur, quia deiecto eo ex quo fuerat exorta ipsa quoque eodem casu conciderat, cuius causa omnium castarum praeconia superans usque ad ipsa astra pervenerat. cum multorum inimicitias et castitatis perditam commemorat famam, ostendit per Aenean factum ne quis dehinc eam dignam crederet matrimonio suo. *cui me moribundam deseris, hospes?* licet omnia superiora cum ingenti adfectu prosecuta sit, hic tamen auxit miserationem. quod ait ergo cui, ex superioribus potest apparere: omnis enim se dixerat offendisse et apud omnis concidisse famam suam: proinde futurum ut illam aut hostis ad poenam tracturus esset aut abiecti pudoris feminam nullus quaesiturus. hospitis autem nomine eum credidit appellandum, quod negare non poterat. denique ait *hoc solum nomen quoniam de coniuge restat:* si mariti, inquit, vocabulo conventus preces meas audire non curas,
325 has vel hospitis religione commotus admitte. *quid moror?*

---

1 *corrigeri* LR *corrigi* ed. *congeri* r′. 6 *nomadas* LR *Numadum* ed. 10 *totae* LR *tot ac* r *t. et* ed. 17 *quaerebatur* LR corr. r ed. 30 *potuit* ed.

*an mea Pygmalion dum moenia frater destruat?* infelix, inquit, fortuna mea quid ulterius sperat, si maiorum moras adquirat, cui supplicium et a fratre metuitur et laborum meorum, quos in tanta urbe condenda consumpsi, plenus expectatur interitus? *aut captam ducat Gaetulus Hiarbas?* aut me Gaetulus Hiarbas ducat abductam et cui salva honestate negavi nuptias meas ducat invitam, ducat perdita libertate captivam? Gaetuli et Hiarbae appellatio convicii causa posita est. *saltem si qua mihi de te suscepta fuisset ante fugam suboles, si quis mihi parvulus aula luderet Aeneas, qui te tamen ore referret, non equidem omnino capta ac deserta viderer:* saltem si contigisset, inquit, ut ante fugam tuam, non dixit ante navigationem tuam aut ante abscessum tuum, quae solent esse honesta, sed fugam, quae fuerat turpis, ut nasceretur mihi ex te suboles aliqua tui vultus similitudinem portans et signata nomine tuo in aula mea luderet, esset solacium solitudinis meae nec viderer a te in totum destituta vel duris angoribus capta.

*Dixerat:* dixit Dido pro causa sua adlegans iusta, humana, miseranda, quae Aeneae mentem flectere potuissent et deberent. constabat enim etiam ipsum magno pudore confundi, utpote qui ingrati, qui fallacis, qui fugitivi personam contra institutum suum Iove cogente suscepisset. sed ille adsistebat reverenter caelestibus iussis ideoque poeta dixit *ille Iovis monitis inmota tenebat lumina:* scilicet non respiciens quae rogaret nec lacrimas eius attendens solum Iovem videbat animo, solum stare ante oculos suos, a cuius praeceptis moveri non poterat. hunc

---

2 *quid* L *quod* in *quid* corr. R. | *maiorum* LR *maiores* ed. 5 *expectare* LR *-atur* ed. | *Gaetulus* om. LR add. r ed. 6 *ducat Gaetulus Hiarbas adductam* LR *ducat* ed. *Gaet. H.* omisi ut manifestam dittographiam *abductam* cf. 2, 632 emendavi, nam *ducat* pro in matrimonium ducat accipere videtur. | *cui* LR *is cui* ed. 7 *meas* LR *meas me* ed. 10 *subules* L. 11 *tamen* LR *tantum* ed. 12 *ac* LR *aut* ed. 14 *abscensum* L. 18 *ad te* LR. 24 *constitutum* ed. | *suscipisset* L.

si diceret poeta inmobilem fuisse nec precibus nec lacrimis flexum, plurimum inhumanitatis ei attribuisset quem ubique pium esse commemorat: posuit *obnixus curam sub corde premebat,* ut inde eum excusaret: movebatur quidem, inquit, et dolorem animi tegere laborabat postponens humana caelestibus. hanc dissimulandi doloris necessitatem et in primo libro (209) posuit dicens „spem vultu simulat, premit altum corde dolorem“. recte autem dixit Iovis monitis et non magis iussis Iovis; iussa enim sunt ubi aliquid iubetur insperatum et novum, Aeneas autem commonitione potius quam iussu instructus est, ne foveret Carthaginem Romanis partibus futuram saeculis labentibus inimicam, ne armaret alienam et Italiae imperium sperneret fatis sibi et suis posteris deputatum. *tandem pauca refert:* quia Dido multa dixerat et post moras prolixas tacuerat. hoc enim conveniebat ei quam repentinum turbaverat malum et ei quae plurimis utilia suis partibus extorquere nitebatur, ut vel morae fierent properanti vel multa facilius obtinerent; ipse tamen breviter respondit, ne in causa turpis perfidiae inmoraretur vel ne superfluo multiloquio tereret tempus qui iam cogebatur abscedere. videamus nunc multorum criminum reum: proinde illinc coepit unde illa ingrati conflavit invidiam: quo exemplo docemur, ut, quotiens multa e diverso proponuntur, fortiora primitus excludamus, ne ludentes in levibus aspera metuere videamur, quae pro magnis obiecta sunt et ad victoriam conquisita. *ego te quae plurima fando enume-*
335 *rare vales numquam, regina, negabo promeritam:* quod sciebat factum et negare non poterat etiam ipse adserit verum. ait enim quae enumeras te mihi meisque omnibus praestitisse non negabo; in omnibus enim commodi-

---

2 *et* LR *ei* r ed. 3 *posuit* LR *sed p.* ed. | *obnixus* LR *et o.* ed. 9 *magis* om. ed. 10 *iubentur* LR corr. rU ed. | *innovum* LR corr. U ed. 12 *ne romanis* LR *ne* del. r ed. 16 *ei quam* L *ei quem* R. 17 *plurimis* LR *plurima* ed. 20 *sine* LR *ne* r ed. *ne in* nos. 21 *abscidere* LR. 22 *reus* LR ed. *reum* nos.

tatem meam constat te promeruisse. sic locutus est, quasi potiori inferior obsecuta videatur. *nec me meminisse pigebit Elissae, dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus:* et quamdiu vixero, quamdiu memor mei fuero, hoc est sanus et consilio ac sensu integro, non pigebit nec erubescam, inquit, recolens nominis tui beneficiorumque memoriam. ista ergo habeant separatam rationem suam. *pro re pauca loquar:* dicam, inquit, paucis pro rei veritate atque iustitia; veritas enim multiloquio non adseritur, cum sit ipsa per se perspicua, neque ego, ut tu, commorabor in plurimis. incipit iam obiecta purgare vel refutando excludere. *neque ego hanc abscondere furto speravi, ne finge, fugam nec coniugis umquam praetendi taedas aut haec in foedera veni:* non, ait, fugam, sed navigationem paravi ad debita et destinata contendens nec ut tu matrimonii me legibus vinxi. hoc factum, licet imaginaria velut nuptiarum sollemnitate, praecessisse fatetur, sed oratoria virtute dissolvit definiens quid sit matrimonium: iunctus sum, inquit, tibi, sed illud non potest coniugium vocari; non enim semper mulieris ac viri conventio matrimonium facit. aliud vocatur quod gessimus. quale enim matrimonium est ubi nullus testis interfuit, nulla ex more sollemnitas, nulla pactio, faces nullae, nulla ipsius foederis consecratio? *me si fata meis paterentur ducere* 340
*vitam auspiciis et sponte mea conponere curas, urbem Troianam primum dulcisque meorum reliquias colerem, Priami tecta alta manerent et recidiva manu posuissem Pergama victis:* hoc quod facio, inquit, quod navigare dispono, non est voluntatis meae nec mihi liberum est

---

3 *helisse* LR (in L crucis signum appositum et *finit* subscriptum est, quod quid sibi velit nescio). 5 *accensu* LR *ac sensu* r ed. | *non me pigebit* ed. 13 *nec finge* LR corr. r. | *neque coniugis* ed. 15—16 *ut tu* LR *putas* add. edF. 16 *vinxi* LR *iunxi* ed. 17 *sollemnitate* LR ed. *-tas* ed. post. | *praecessisset* LR ed. *-sse* nos. 20 *coniunctio* ed. 23 *nulla pactio* om. edF. 26 *colerem* LR *c. et* ed.

vivere ubi velim; quod si esset, praestabat remanere me in cineribus patriae, ibi colerem meorum memoriam, non errarem per diversa terrarum nec venissem naufragus ad patriam tuam nec longinqua tantis laboribus quaererem. 345 *sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo, Italiam Lyciae iussere capessere sortes:* nullum delectat relicto otio duris laboribus subiugari iterumque ad miserias volvi, sed deorum iussis invitus inpellor, quae contemni non possunt; sunt enim et multa et veneranda. *hic amor, haec patria est:* quantum ad humanam pertinet voluntatem, quod esse potest in potestate mea, amo hanc civitatem tanto adfectu, ut arbitrer ipsam esse patriam meam. addit aliud, quod adserat non suo arbitrio homines vivere, nec alienum magis, sed ipsius Didonis adsumit exemplum: *si te,* inquit, *Carthaginis arces Phoenissam Libycaeque aspectus detinet urbis:* si te Phoenissam, hoc est non hoc loco, sed in regionibus longe positis natam, arces Carthaginis et Libycae urbis delectat aspectus, *quae tandem Ausonia* 350 *Teucros considere terra invidia est?* cur Teucris invidetur Italia? *et nos fas extera quaerere regna:* licet et nobis quemadmodum tibi in alienis terris imperium quaerere. ad illam partem respondit qua dixit Dido inter cetera, „quid si non arva aliena domosque ignotas peteres?“ quia et ipsi Didoni provenerat ut in alienis regionibus imperaret. nullus autem melius et robustius vincitur quam qui proprio superatur exemplo. *me patris Anchisae, quotiens umentibus umbris nox operit terras, quotiens astra ignea surgunt, admonet in somnis et turbida terret imago:* similem, inquit, obiurganti video patrem meum, ut Italiam petam, et quoniam de mortuo loquebatur, ut credibile

---

1 *vellim* LR *vellem* r *velim* ed. | *esset* om. ed. | *remanere mi* L *remanerem//* R *remanere in* r ed. *r. me in* nos. 2 *incolerem* LR *ibi colerem* nos *colerem* ed. 4 *ne longeinqua* LR corr. ed. 5 *tyrineus* R *gryneus* r = L. 8 *sed eorum* LR ed. 10 *humana* L. 13 *addidit* ed. 15 *poenissam* (et infra) LR. 23 *quid* om. R add. r = L. 24 *evenerat* ed. 29 *meum* LR *m. instantem* ed.

fieret quod dicebat, addidit tempus: quotiens, ait, astra ignea surgunt et nox operit terras et somnus me habet, adest ille cum gravibus monitis officium sequens pietatis et patris. *me puer Ascanius capitisque iniuria cari, quem regno Hesperiae fraudo et fatalibus arvis:* mihi atque animo meo occurrit spes fili mei, cui deberi imperium Italiae scio, ut ne abdam illas sortes et veneranda responsa. *nunc etiam interpres divum Iove missus ab ipso (testor utrumque caput) celeris mandata per auras detulit:* ecce in praesenti etiam interpres divum, hoc est Mercurius, horrenda dicta pertulit, id est quae sine horrore mentis referri non possint.. et venit de caelo ac non sua sponte neque proprio delapsus arbitrio, sed destinatus a Iove. verum ne hoc errore mentis vanum et inritum Didoni videretur, addidit *ipse deum manifesto in lumine vidi intrantem muros vocemque his auribus hausi.* confirmatio ipsius plena est, cum dicit manifesto in lumine vidi et audivi. horum omnium ut robustiorem faceret fidem, posuit in medio iusiurandum dicens: testor utrumque caput, hoc est Iovis, qui misit, et Mercurii, qui pertulit. *desine meque tuis incendere teque querellis:* cognovisti iustas abscessus mei causas, desine me ac te querellis tuis incendere. *Italiam non sponte sequor:* haererent mihi crimina querellis tuis expressa, si erga te non auctoritate multarum metuendarumque iussionum, sed mea voluntate peccarem.

*Talia dicentem iamdudum aversa tuetur huc illuc volvens oculos totumque pererrat luminibus tacitis,* quod est maximum irascentis signum, ut, cum totum nolit visum, totum tamen errantibus oculis cernat. iamdudum, inquit, aversa

---

5 *mihi atque* LR ed. *m. id est?* 7 *ut ne addam* LR „vel *ut ne damnem*" in marg. adnot. r′ et extat quidem damnare hoc sensu adhibitum a Donato 10, 599, sed *abdam* facilius est *ut addam* ed. 10 *horrenda* Don. ex 378 anticipavit cf. 8, 173. 11 *id est* LR *hoc est* ed. 20 *pertulit* LR *retulit* ed. 21 *quaerellis* LR (et infra) corr. r. 23 *haerent* ed. 28 *irarcentis* LR. 29 *cernant* R. | *causa* LR exp. et *non* superscr. r *aversa* ed. nos.

intuebatur loquentem, hoc est ex quo coepit loqui quod Didoni non placeret, non cum conplevisset. *et sic accensa profatur:* qua consideratione tamquam incendio accensa
365 sic tumidam prorumpit in vocem: *nec tibi diva parens generis nec Dardanus auctor, perfide, sed duris genuit te cautibus horrens Caucasus Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.* ubi vidit Dido nihil valuisse preces suas et omnis partis miserationis exclusas, vertit se ad convicia factura satis animo suo, si hominem laederet iam intentione pertinacis obstinationis alienum. dicis te, inquit, filium Veneris, falsum est; haberes enim aliquid matris et esses in adfectus consideratione tractabilis. ecce animorum quanta mutatio: cum amaret, dixit (12) „credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum", hic, quia magna vi agitabatur, priore sententia sua dissoluta negat esse filium Veneris et a caelestium sanguine adserit esse discretum. Dardanum quoque confingis auctorem generis tui: nihil habes humanitatis eius et morum, quo confirmes vera esse quae conposita falsitate mentiris. at ego veros parentes tuos et nutrices enumerem rebus ipsis hoc ipsum et tuis moribus probatura. genuerunt te Caucasi rupes et cautes. hinc durus, hinc asper, hinc ab humana ratione dissimilis, utpote qui sis natus ex saxis. tigrides quoque habuisti nutrices, quarum feris altus uberibus hominum mansuetudinem nescis. tractat poeta hoc loco pueris per alimoniam lactis etiam nutricum mores infundi, quod ipsum et Ciceroni placuisse manifestum est, qui in educatione futuri oratoris (de or. 3 § 44—45) iubet praecipuas adhiberi mulieres non ignarus (cf. Tusc. 3 § 2) per obsequia uberum naturam ex alia in aliam posse transire. *num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?*
370 *num lacrimas victus dedit aut miseratus amantem est?*

---

1 *intuebat* L. | *quod — 2 placerent* LR *quae — placerent* HU ed. 2 *cumplevisset* LR (L cum ? super *cum*) *cum compl.* ed. 15 *priori* LR ed. | *necadēe* LR *negat esse* r *nec adesse* HU *nec esse* ed. 17 *confinges* L. 23 *e saxis* ed. | *tigridis* LR *tygres* ed. 24 *habuisti — altus* temere mut. ed.

disputat quae in homine, quae in viro bono officia esse debeant, quae Aeneas non habere diceretur: cum me, inquit, cerneret flentem, duravit inmobilis: cum rogarem, non flexit oculos suos (supra enim dixit (331) „ille Iovis monitis inmota tenebat lumina“) et cum futurum protestarer interitum meum, nullum per lacrimas signum miserationis ostendit nec casum infelicis amantis ingemuit. haec tria sunt quibus taciti homines ostendant quid geratur interius, si miseratione moveantur; aut enim gemunt aut lacrimas fundunt aut oculos flectunt. *quae quibus anteferam?* tanta, inquit, mala iuxta me, tam acerba, tam dura commissa sunt itaque sunt paria, ut ordinatione conparationis aequentur et alia aliis praeferri non possint. *iam iam nec maxima Iuno nec Saturnius haec oculis pater aspicit aequis:* et tamen haec, cum inter omnis fiunt, iniustis deorum luminibus placent. apparet cur primam Iunonem posuit, quia vel regina deorum vindicare debuit iniusta vel quod apud Carthaginem praecipue coleretur vel quod iam ex aliis esset inimica Troianis. *nusquam tuta fides:* quando in hac causa fides tuta inveniri non potuit, nusquam est. egregia duorum auctorum dicta, interrogantis unum, alterum iudicantis. Terentius quippe ait (heaut. 2, 3, 15) „pro Iuppiter, ubinam est fides?“ putavit enim quaerendam existimans posse congruam reperiri. Vergilius autem iudicavit quaerendam non esse, quod reperiri tuta non posset perindeque superflueret fluxa. incipit enumerare beneficia sua, quorum contemplatione oportuit integram fidem intemeratamque servari. *eiectum, litore, egentem excepi et regni demens in parte locavi, amissam classem, socios a morte reduxi:* eiectum, inquit, 375

8 *ostentant* ed. 12 *patria* R *paria* r = L. 14 *iam* R *iam iam* r = L. 15 *communiter omnes* LR *omnes* om. ed. *cum inter omnis* nos. | *fiunt* LR *feriunt* r *fiunt et* ed. 16 *primum* ed. 18 *vel quod* — 19 *vel quod* LR *v. quae* edF. 21 *est* LR *est tuta fides* ed. 22 *terrentius* LR corr. r. 26 *possit* LR ed. *posset* nos propter *superflueret.* 29 *litore* interpunctione separavi propter interpr. 30 *amore* R *a morte* r.

hoc est naufragum, litore ac per hoc sine tecti subsidio, egentem, sine ope victus, excepi. excepit Aenean Dido inducendo eum cum suis in domum, alendo quoque et cum eo potentiam regni partiendo, amissam vero classem a pleno interitu et socios a morte reducendo. dixit specialia quae ipsi Aeneae contulit et constituit in ultimo duo quorum conservatio illi in contrarium versa est: servatas enim navis adseruit et socios reductos a morte. haec enim si incolumia non haberet Aeneas, non posset aliquando discedere. amissam classem, socios a morte reduxi: non navis, sed homines reduxit a morte; neque enim fieri potuit ut naves morerentur aut ipsae quoque liberarentur a morte. a morte igitur ad solos homines pertinet, reduxi vero et ad homines et ad navis. quod ipsum ordinatione facta cognoscitur, ut sit amissam classem reduxi et socios a morte reduxi, ut reduxi non semel, sed bis accipiatur. *heu furiis incensa [feror]:* ad insaniam, inquit, me res pravae perducunt. *nunc augur Apollo, nunc Lyciae sortes, nunc et Iove missus ab ipso interpres divum fert horrida iussa per auras:* quod dixit nunc, hoc putamus intellegendum: quando exclusis infortuniis superioribus otium cum opibus consecutus est, in eius mentem veniunt Apollinis responsa et Lyciae sortes et cum mandatis Iovis Mercurius metuendis adventat. si ista vera sunt, cur non extiterunt ante beneficia mea? *scilicet is*
380 *superis labor est, ea cura quietos sollicitat:* nimirum deorum, inquit, curam tangit quid homines agant et ipsorum quietas mentis humani commovent actus. *neque te teneo neque dicta refello:* et nunc seu verae sunt adsertiones

1 *navifragum* ed. 3 *ducendo* ed. | post *quoque* unus versus vacat in L nihil desideratur. 4 *pariendo* LR corr. ed. 7 *consecratio* LR ed. *conservatio* r. 9 *incolumi* LR *-mia* rU *-mis* H *-mes* ed. *has — incolumes* ed. post. 12 *morirentur* LR. 16 *reduxi ut reduxi* LR corrupit ed. 17 *furtis* pro *furiis* LR corr. r. | *feror* deest in LR ed.: addidi propter *perducunt.* 20 *horrenda* pro *horrida* LR. 21 *inportuniis* LR *infortuniis* r *importunis* ed. 24 *metuendus* LR ed. *-dis* nos. 25 *his* pro *is* LR. 29 *si verae* LR ed. *seu v.* nos.

tuae seu falsae, nec teneo te nec ea quae dicis obiectu cuiuspiam disputationis expugno. *i, sequere Italiam ventis, pete regna per undas: spero equidem mediis, si quid pia numina possunt, supplicia hausurum scopulis:* iratae animo locuta est, sed tali genere dictionis, quod duos intellectus admittat. unum est quo eum terret, ne naviget. nam quod dixit i, sequere Italiam ventis, pete regna per undas, non ex animo dicebat; nam obiecit undas et ventos quibus terreret properantem. quodsi animo hortantis haec diceret, ita debuit loqui: i, sequere, pete regna, non adiungeret quod timeri debuisset quodque inpediente formidine revocaret instantem. hic est intellectus unius disputationis, videamus qui sit alius; bene, inquit, contigit, quod desideratum imperium Italiae ventis et fluctibus petiturus es, habebo occasionem qua possim tuis suppliciis vindicari; spero enim te pro meritis tuis inter scopulos hausurum innumeras poenas, id est visurum, ut alio loco (661) „hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus“, hoc est videat. *et nomine Dido saepe vocaturum:* tunc, ait, recordaberis mei et nomen meum frustra frequentius repetes, quando tibi concluso discriminum coetu exemplo prioris benivolentiae subvenire non potero. *sequar atris ignibus absens:* imaginaberis me absentem: quasi te facibus persequar praesens. hoc loco absentem alii mortuam volunt et dant exempla inpropria, ut non uno, sed plurimis locis probentur errare. horum primum est (9, 215) „absenti ferat inferias decoretque sepulchro“; nam et illic absentem mortuum intellegunt. quorum errores sequentia probant, nam sequitur *et, cum* 385
*frigida mors anima seduxerit artus, omnibus umbra locis adero:* cum vivo, inquit, timebis me absentem et, quasi te infesta persequar, semper et ubique terreberis . . . . . . .

Deest interpretatio usque ad v. 621.

---

3 *etquidem* LR corr. r. 13 *quid sit* LR *quis s.* r ed. *qui s.* nos. 15 *habeo* R. 16 *vindicari* LR *laetari* ed. 18 *nunc* LR, sed 661 *hunc.* 22 *exempli* LR *exemplo* U ed. 31 *vivo* LR *mortua fuero* ed. 32 post *terreberis* in L folii 120 pagi-

*Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum exercete odiis cinerique haec mittite nostro munera:* facta sunt haec Punicis incursationibus et bellis sub Hannibale Afrorum rege et Scipione ac Regulo ceterisque Romanis ducibus. cinerique haec mittite nostro munera: quasi aliquid esset sensura post mortem vel ex his quae supra dixit vel quae infra conplexa est, haec, inquit, praestate pro muneribus cineri meo. *nullus amor populis nec foedera sunto:* nec amor sit inter populos nec foederibus dissidentes necessitas iungat. *exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor, qui face Dardanios ferroque sequare colonos, nunc, olim, quocumque dabunt se tempore vires, litora litoribus contraria, fluctibus undas inprecor, arma armis pugnent ipsique nepotesque:* veniet, inquit, tempus quo nascatur quisquam ex ossibus meis, qui ferro et flamma Troianum genus persequatur ob ultionem meam. olim hic futurum tempus significare manifestum est; sequitur enim quocumque dabunt se tempore vires: nam et dabunt futuri est temporis. rem locuta est inpossibilem, utpote quae non esset suae mentis suique consilii. quando enim nasci homo ex ossibus mortui hominis potest? tamen qui inania sentire voluerunt dicunt hoc in Hannibale extitisse, quod est absurdum. nam Dido Tyria fuit, Hannibal Poenus a genere Didonis longe remotissimus. magis est melius sic intellegere, ut perturbatae persona nesciret se inpossibilia postulare, quod ipsum sequentia docent, quibus dixit tanta sit inter meos Troianosque discordia, ut nec ipsa sibi conveniant litora nec utriusque litoris undae misceantur.

---

nae Ba 25 versus Bb omnes vacui sunt; in imo margine manu recentiore adnotatum „hic deficit expositio ducentorum et quadraginta (revera 236) carminum“: sequitur fol. 121 Aa *tum vos o Tyrii.* in R nullum lacunae indicium nisi lineola in margine manu rec. ducta. continuo haec fere secuta esse videntur: „cum vero mortua fuero, umbra mea omnibus locis aderit“.

4 *aforum* LR corr. r. 11 *dardanio* L. 12 *nec* pro *nunc* R. 14 *nepotes* (et infra) ed. | *veniet* LR ed. *veniat*? 15 *nascetur* ed. 24 *magis* om. ed. 25 *perturbatae* R *-ta* L *postulata* H ed. 26 *quibus* LR *quia* ed. 27 *sunt* R *sit* r = L. | *nunc* pro *nec* R.

arma autem armis pugnent ipsique nepotesque fieri potuit inter multa quae emersura non fuerant, hoc ergo dixit possibile; solent enim mente capti etiam quod rectum est aliquando sentire.

*Haec ait et partis animum versabat in omnis invisam quaerens quam primum abrumpere lucem,* hoc est quam celeriter. festinabat, inquit, mori, utpote cui iucunda omnibus ipsi onerosa fuerat lux. inpediebat nutricis praesentia, sed hanc inde cum mandatis inanibus alienat: *tum breviter Barcen nutricem adfata Sychaei (namque suam patria antiqua cinis ater habebat):* breviter, inquit, locuta est; hoc enim conveniebat volenti maturius mori. *Annam, cara mihi nutrix, huc siste sororem:* huc siste, hoc est huc instanter adduc. cara mihi: addidit benigni animi signum dicendo cara, ut per blandimenta inpetraret quod illa propter onus provectioris aetatis poterat recusare, quae persona aptissima negotio fuit, ut cum mora pergeret, cum mora remearet. denique ut hoc sibi Dido procuraret, non dixit mitte mihi sororem meam, sed huc, inquit, siste, scilicet ut cum ipsa veniret, ut euntis et redeuntis aniculae tardior et difficilis gressus perficiendo exitio largissimum spatium daret. *dic corpus properet fluviali spargere lympha:* alia mora, quia, dum hoc Anna expediebat, aliquid accedebat ad tempus. *et pecudes secum et monstrata piacula ducat:* ecce aliud quod adferret tarditatem, providere necessarias pecudes et adducere, quarum segnior gressus est, et adferre expiationibus necessaria. *sic veniat, tuque ipsa pia tege tempora vitta:* pia et nutrix esse potest et vitta, ut sit pia nutrix aut pia vitta: quicquid tamen secuti fuerimus, rectum est. sic veniat intellegendum est ita veniat, scilicet

---

2 *quäë* L om. R *quae* ed. 6 *que caeleriter* R corr. r = L. 7 *cui* LR *quae* ed. 9 *commandatis* LR corr. r ed. 12 *conveniebant* R corr. r. 14 *adducas* ed. 15 *inpetrare* R corr. r. 20 *venerit* LR *veniret* r *veniat* ed. 24 *expetiebat* LR *efficiebat* r *expetebat* ed. 25 *adferet* LR corr. r ed. 29 *sit* om. ed. 31 *ita veniet* R. | *scilicet ut* LR ed. *ut* delevi.

cum his quae mandavit et quomodo mandavit. incipit dicere mandatorum causas, ne qua suspicio cogitationis extremae nutricis animum commoveret. *sacra Iovi Stygio, quae rite incepta paravi, perficere est animus:* omnia, inquit, haec idcirco praesto esse desidero, ut Diti patri destinata sacra persolvam. deinde subiungit quae ratio sit eiusmodi sacra solvendi: *finemque inponere curis:* volo, inquit, interposito sacrorum ritu his finem inponere quae cruciant animum meum. magna caligo verborum: fatetur quid disponat nec tamen intellegi potuit. putabat enim nutrix hoc genere proventurum remedium, ut incolumi Didone universi removerentur angores, nescia quod illa malis suis mortis remedio fuisset terminum quaesitura.
640 *Dardaniique rogum capitis permittere flammae,* ut in occasione velut sacrificiorum aboleret etiam illius memoriam quem habuit inimicum. paravi, quod semel posuit, non semel accipiendum est, ut sit sacra paravi finemque inponere curis paravi Dardaniique rogum capitis permittere flammae paravi, ut videatur sacra illa et propter solutionem suam parasse et propter delendam eius memoriam qui eam tam perniciose tempsisset. *sic ait: illa gradum studio celerabat anili:* ambulabat, inquit, anus post mandata Didonis non celeriter, ut debuit missa, sed segnius, ut aetas permisit. proinde quando remeare talis possit cui ad Annam pervenire difficillimum fuit? *at trepida et coeptis inmanibus effera Dido sanguineam volvens aciem maculisque trementis interfusa genas et pallida morte futura*
645 *interiora domus inrumpit limina et altos conscendit furibunda rogos ensemque recludit Dardanium, non hos quaesitum munus in usus:* describitur quae non adhuc dubitaret mori, sed quae iam se vellet occidere: trepida, inquit, fuit coeptis inmanibus, hoc est turbata, hoc ei praestabat mentis infanda destinatio. effera, id est exasperata in

---

1 *cum his* LR *c. h. veniat* ed. 3 *sacra iove stigio* L *sacrario vestigio* R corr. r. 12 *Didoni* ed. 21 *pernitiosae* LR corr. ed. | *contempsisset* ed. 24 *possit* LR ed. *posset* r. 25 *attrepitat* LR. 29 *dardanum* LR corr. r.

perniciem suam crudelium consideratione coeptorum, volvens oculos suffusos sanguine, maculis vero sordidis genas habens variatas et ante futuram mortem iam pallida. interiora autem limina inrumpit (non dicit ingressa est, sed inrupit, ut ostenderet furentem), quoniam supra dixit (494) „tu secreta pyram tecto interiore sub auras erige“. ergo merito ait interiora domus inrumpit limina et constructam altius pyram furibunda conscendit. exclusit vagina gladium, quem oblivio properantis reliquerat non ad eos usus quos furor amantis inveniebat. bene autem addidit poeta furibunda conscendit altitudinem rogi, ut ostenderet nullum de nece sua posse cogitare nisi quem primo amentia furoris oppresserit. *hic postquam Iliacas vestes notumque cubile conspexit, paulum lacrimis et mente morata [incubuitque toro dixitque novissima verba]:* quando ad ipsam ventum est pyram et vidit vestes Iliacas et cubile, unde malum omne contraxerat, ictum paululum distulit quo fuerat peritura: incubuit super torum lacrimans, ut novissima ante sanguinem funderet verba, quibus omnia consolaretur quae secum peritura cernebat. *dulces exuviae:* hic suspendenda pronuntiatio est nec iungendum *dum fata deusque sinebant,* ne expressum mire moriturae vexemus adfectum, ut putetur illas vestes amare desisse, quas in tantum diligebat, ut earum favillas suis voluerit misceri cineribus. amat igitur has ostendens quod illas non odii, sed amoris causa secum decresset incendi. hanc ergo esse meliorem pronuntiationem et hunc praeponendum intellectum tunc apparebit, cum sensus fuerit ordinatus, ut excludamus eos qui iungendum putant dulces exuviae dum fata deusque sinebant, ut videantur illo usque dulces quo fuerat peritura. quodsi amor earum mortis tempore

---

6—7 *erige* LR ed. *e. ergo* nos. 8 *exclusit* LR *eripuit e* ed. | *vavina* LR. 9 *properantis Aeneae* edF. 14 *paululum* L. *incubuitque* — 15 *verba* deest in LR, sed explicatur. 22 *sinebat* LR item in interpr. priore loco, at altero *sinebant* L. | *mirae* LR corr. ed. 24 *voluerit* LR *vellet* ed. 26 *degresset* L *-sa* R *decrevisset* r ed.

recessisset, non diceret accipite hanc animam, quo adfectu ostendit cum his se interire voluisse quas amabat. sensus ergo integer sic est, quo expresso ipse se intellectus sine cuiusquam opera demonstrabit: dulces exuviae, *vixi* quamdiu deus et fata sinebant *et quem dederat cursum fortuna peregi, accipite hanc animam meque his exolvite curis.* quoniam, inquit, estis dulces, vos debetis excipere sanguinem meum et anima mea vobis debet infundi. *et nunc magna mei sub terras ibit imago:* fui magna et adhuc magna sum, decet deteriorem praevenire fortunam, ut felix ad inferos pergam quae feliciter vixi. incipit dicere atque enumerare felicitatis suae bona, quae ulterius nolebat vivendo vexari; noverat enim quae metueret post Aeneae
655 navigationem et quae possent infortunia sequi. *urbem praeclaram statui:* non dixit perfeci, sed statui; statuere est enim instituere aliquod novum et quod fuerit numquam. quod sequitur praeclaram, hoc est magnam et hoc idem est quod ait *mea moenia vidi.* nonnulli inmemorem hic dicunt extitisse Vergilium, ut induceret Didonem quasi de perfecta locutam esse civitate, quam ipse dixit in opere fuisse, cum eam Aeneae in primo libro subiecisset aspectibus. hi non attendunt vim verbi: nam, ut dictum est, statui institui significat, non perfeci. quodsi ita est, ut de perfecta dixerit statui, etiam sic pro qualitate personae accipiendum est, ut consolationis suae causa perfectam dixerit quae fuerat inperfecta. eo animo dixit et vixi: hoc est enim vixisse, aliquam factorum memoriam reliquisse post mortem. *ulta virum:* similis calumnia est: putant enim Sychaei mortem defensam non esse, quia Pygmalion occisus non est, cum non sit unum genus ultionis.

---

5 *et quae dederat* LR. 6 Don. versus 652 et 653 inverso ordine legisse videtur. 12 *volebat* LR corr. r ed. 13 *videndo* edF[I]. 17 *sequitur quod* LR *quod sequitur* nos *sequitur dicere quod* ed. | *et magnam* LR *m. et* nos *et* om. ed. 23—24 *de perfecta* LR *de imperfecta* r′. 25 *causam* LR ed. *causa* nos. | *perfecta* ed. 26 *dixit et* LR *et* om. ed. 29 *potant enim* LR *putant e.* r *propter* ed.

nam defendisse est occisi mortem praedam, propter quam mactatus est, abstulisse: quo in facto Pygmalion homo profundae avaritiae et reus remansit et pauper. *poenas inimico a fratre recepi:* ipsa fuit poena deterior ut viveret nec haberet quod per scelus se crediderat quaesivisse. definit quid sit statui et quid sit ulcisci, quid poenas recepisse. an putamus eum non adflictum esse tormentis animi, quod illum ipsum, ne mercedem sceleris caperet, femina praevenisset? iam venit ad causam quae eam decepit et hanc more humani ingenii non actibus suis inputat, sed fortunae: *felix, heu nimium felix, si litora tantum numquam Dardaniae tetigissent nostra carinae.* duraret, inquit, etiam nunc prosperitas nostra, si fati mei sors Troianorum non incurrisset adventum et si litora tantum numquam Dardaniae tetigissent nostra carinae. *dixit et os inpressa toro moriemur inultae, sed moriamur,* 660
*ait, sic, sic iuvat ire sub umbras:* post transactam, inquit, feliciter vitam, post statutam urbem, post poenas reportatas ex fratre solus dolor est quod me in praesenti defendere non potui. plurali numero dixit moriemur inultae, vel quia cum vestibus vel quia etiam cum soli aliquid faciunt aut dicunt, pluralem solent sibi numerum vindicare. fixa ergo facie in torum, cuius adhuc adfectu etiam moritura tenebatur, dixit etiamsi inultae morimur, tamen, quoniam hoc expedit, moriamur; sic, sic iuvat ire sub umbras: melius est, inquit, inultam mori quam ultionem quaerere quae provenire non possit et deterioribus casibus

---

1 *est* post *mortem* transpos. ed. 7 *an* LR *aut* ed. 10 *hanc* LR *hoc* edF. 13 *fati* LR *facti* ed. 16 *hos* pro *os* L. 19 *solo* LR *solus* r ed. 21 *vel quia cum vestibus etiam* LR *vel* om. ed., sed alterum potius *vel quia* excidisse patet (alterum *vel* iam r inseruit). 22 *pluralem* LR *pl. solent* r′ *solent* post *vindicare* add. ed. 23 *facie* LR *f. erat* ed. | *in torum* L *in toro* R. 24 *tenebant* R corr. r = L. | *si* om. ed. 26 *inultam* (*a* superscr. I man.) L *in ultima* R corr. r = L *me inultam* ed. 27 *possit* LR *p. et* r ed. nos: in margine aliam medelam proposuit r′ ad *quaerere* adscribens „vel *quaerendo*“, quae si magis placeat via, *quaerentem* malim.

reservari. *hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus:* pars, inquit, ultionis est, si recedens hostis meus rogi mei flammas aspiciat. *et nostrae secum ferat omina mortis,* hoc est tristibus ominibus naviget. *dixerat, atque illam media inter talia ferro conlapsam aspiciunt comites*
665 *ensemque cruore spumantem sparsasque manus:* non descripsit ictum quo Dido confossa est, sed quae fecisset demonstravit, ut ostenderet celeritatem facti; nam nullus vidit percutientem, sed cadentem et ferrum spumare inundatione sanguinis. tanta autem vis fuit, ut exanimes manus defectione celerrima spargerentur.

*It clamor ad alta atria, concussam bacchatur fama per urbem, lamentis gemituque et femineo ululatu tecta fremunt, resonat magnis plangoribus aether:* descriptio acerbi et repentini funeris potentis personae, quae primo intra parietes cum clamoribus plangebatur; ex illis exorta fama per urbem cucurrerat, ululatus simul et gemitus lacrimaeque per tecta, donec ipsa sidera variis clamorum generibus ferirentur. ferirentur hoc significat quod alio loco (3, 423) „et sidera verberat unda", vult enim tantum valuisse illas voces sicut illic undas, ut ulterius ire potuissent, nisi siderum obiectus obstaret. terra autem et civitas omnis planctu, ululatibus et omnium gemitibus personabat et sonus omnis perveniebat ad caelum *non*
670 *aliter quam si inmissis ruat hostibus omnis Carthago aut antiqua Tyrus flammaeque furentes culmina perque hominum volvantur perque deorum:* sic omnis Carthago luctu reginae concussa est, ut qui tantos ululatus et clamores audisset putaret hostis occupasse Carthaginem aut Tyrum deletam aut deorum culmina esse subversa. *audiit:* hic distinguendum est, dehinc addendum *exanimis trepidoque*

---

3 *nostras* L. 4 *hominibus* LR corr. r. 7 *confessa* L. 12 *et* pro *it* LR. 16 *plangebantur* LR edI corr. r edF. 19 *ferirentur* bis LR alterum om. ed., ceterum Don. falso suam interpretationem pro lemmate repetit ut 5, 78. 19—20 *alio loco* LR *dixit* add. ed. 24 *personabat* LR ed. *personabant*? 30 *delectam* LR *deletam* r ed. | *esse* om. ed.

*exterrita cursu, unguibus ora soror foedans et pectora pugnis per medios ruit ac morientem nomine clamat.* audiit et cum audisset sororis interitum, soror exanimis facta advolavit turbata ferali nuntio et morientem vocare coepit nomine suo. idcirco separandum diximus audiit, quia multi audiit exanimis pronuntiant, quod contra est: nam audiit et accepto nuntio exanimis facta advolavit, hoc rectum est, ceterum audiit exanimis non est verum; non enim, antequam audiret, exanimis fuit, cum non fuisset causa. cum igitur audisset et ex eo quod audiit exanimis fuisset effecta, ut in doloribus fieri solet, unguibus ora sua, utpote unanimis soror, foedabat et pectora pugnis. bis accipiendum est foedans, ut sit foedans ora unguibus et pugnis foedans pectora. per medios ruit: non dixit venit, sed ruit; hoc enim faciebat doloris inmanitas. et morientem nomine clamat: nec in totum mortua fuit nec in totum retinebat vitam: sic eam, quoniam ex maiore mortis pondere premebatur, nomine vocitabat. quaeritur cur dixerit nomine clamat et cur secutum sit non Didonis vocabulum, sed *hoc illud, germana, fuit?* aut quid necesse fuerit eam 675
clamari cum nomine. cum nomine igitur vocari oportuit eam quae maxima leti parte oppressa vanescentibus iam morte oculis nesciret quae loqueretur; quia tamen accipere aliquid auribus potuit, addi vocabulum debuit, cuius integra ratio est, quod non Didonem, sed germanam dixit. bina enim nomina homines habent, unum naturae ac sanguinis, quo se debent appellare coniunctae personae, ut est nomen patris, matris, avi, aviae, sororis et fratris, patrui, amitae, fili, filiae, nepotis, neptis, avunculi, materterae et cetera, quae conplecti longissimum est, aliud

5 *duximus* ed. 9 *audiret* om. R add. r. 12 *tempora* R *pectora* corr. r. 16 *clamat nec* LR edI *quia* interpos. edF. 19 *non Didonis* LR *non* post *cur* transpos. ed. 20 *hoc* LR ed. *sed h.* nos, quia et loco quem *non* obtinet in codd. et sententiae ordinatione *sed* postulatur. 21 *cum nomine* bis LR alterum om. ed. 22 *vanescientibus* L. 23 *mente* LR ed. *morte* nos. 25 *integratio* LR ed. *integra ratio* nos. 27 *quod* LR *quo* ed. 28 *sororis et* LR *et* om. ed.

nomen quod idcirco alicui adponitur, ut eo ab extrariis vocitetur. cum igitur aliquam personam necessitudine coniunctam vocamus aut cum ea loquimur, nomine naturali eam appellare debemus ipso docente Vergilio, quia ait (10, 18) „o pater, o hominum rerumque aeterna potestas", (9, 94) „o genetrix? quo fata vocas? aut quid petis istis?" item (1, 664) „nate, meae vires, mea magna potentia"; (5, 724) „nate, mihi vita quondam, dum vita manebat, care magis". item (12, 632) „o soror, ut dudum agnovi, cum prima per artem foedera turbasti". exempla ista sufficiant doctis, aliarum personarum legendo reperient. interea redeamus ad Annae consilium: debuit enim morientem germanae nomine appellare, ut sentiret sororem suam esse praesentem. ergo apparet recte positum et morientem nomine clamat et recte consecutum hoc illud, germana, fuit? *me fraude petebas, hoc rogus iste mihi, hoc ignes araeque parabant?* haec dictio, quae dolentis et repentini casus scelere commotae est, continua esse non potuit. denique sese non sequitur: ait enim hoc illud, germana, fuit et non dixit quid fuerit: parebat enim quid illud esset quod in querellam veniebat; inde transit ad aliud: me fraude petebas? decipit hominem qui fraude aliquem petit; denique deceptionis ipsius partis et causas infra ostendit. hoc rogus iste mihi, hoc ignes araeque parabant? huc, inquit, tendebat rogus, ignis et ararum praeparatio? inde se ad aliud transtulit dicens *quid primum deserta querar?* deserta sine sororis solacio, hoc est singularis et sola: partes sunt istae deceptionis, quarum prima fuit in qua sororis solacium perit. incipit alia: *[comitemne sororem sprevisti moriens?] eadem me ad fata vocasses.* remotis, ait, dolis quid disponeres sorori esses

---

5 *rerumque* LR ut 10, 18 V cf. praef. 6 locum noni corrupit ed. 9 *osor ut* LR (locus deest in XII) *o soror et* Verg. libri. 16 *rogos* LR corr. r. | *iste* LR *ille* edF. 18 *commota* LR ed. *-tae* nos. 20 *parebat* LR *patebat* ed. 21 *deinde* ed. 30 *comitemne — moriens* deest in LR, sed explicari videtur, add. ed. 31 *remotis* LR *si r.* ed.

sine fraude confessa, venirem tecum ad extrema fatorum ultimaque consortia. *idem ambas ferro dolor atque eadem hora tulisset:* et quas unus vinxerat germanitatis adfectus unum genus mortis, eadem simul momenta consumerent perindeque fieret ut altera alterius durum non videret exitium. addit alia, ut magis exacerbet quae superius dixit: *his etiam struxi manibus.* quod est deterius, dum 680 tibi, inquit, praeparo nescia quae exitium tuum conplere potuissent, manus meas parricidii crimine polluisti. *patriosque vocavi voce deos:* et ne deesset aliquid sceleri, diis testibus patriis ista conposui et, cum arbitrarer profutura saluti tuae quae instanter inplebam, eosdem ipsos gerendis rebus fautores adhibui. *sic te ut posita crudelis abessem?* et hoc amplius infelix, quod in his te casibus posita abfui ego crudelis et saeva. *extinxti te meque, soror, populumque patresque Sidonios urbemque tuam:* in summam collegit quae mala exorta sint illa mortua, extinxisti, inquit, te, soror, et me, extinxisti populum, hoc est plebem, patresque Sidonios urbemque tuam tuo interitu perdidisti. more humano Vergilius plangentis descripsit adfectum dicendo eadem me ad fata vocasses, idem ambas ferro dolor atque eadem hora tulisset: dixit illa quod factura non fuerat, ceterum, si futurum diceret, mox sese iugularet habens occasionem gladii quo perierat soror. *date, vulnera lymphis abluam:* hoc fuit quod morienti potuit exhiberi, lavare vulnera post verborum finem. *et, extremus siquis super halitus errat, ore legam:* observare enim volo 685 exeuntem spiritum: ideo hoc dixit, quia hunc carissimi colligere se posse arbitrantur, licet teneri non possit. ore legam dubium est utrum ore suo an ore morientis:

---

1 *venissem* ed. 3 *unus* bis LR alterum delevi cum r ed. | *iunxerat* ed. 5 *alter* LR *altera* corr. ed. 6 *aditalia* L. 8 *ubi* LR *tibi* corr. r ed. 14 *his te* LR *hisce* ed. 15 *extincti* L in *extinxti* corr. R. 18 *populum* LR *et p.* ed. 21 *dolor* om. LR add. r ed. 23 *ceterumque* R *que* del. r. 26 *et* in lemmate om. LR. 27 *alitus erat* L *a. orat* R.

quolibet genere fiat, fit in cassum, quia quod incorporale est nec excipi potest nec teneri. *sic fata gradus evaserat altos semianimemque sinu germanam amplexa fovebat cum gemitu atque atros siccabat veste cruores:* continebat semianimem soror protestans gemitibus dolores suos, siccabat autem cruorem veste, quae cruorem sorbuerat, ut sit a contrario argumentum: nam cum omnia umectentur unda madidaque reddantur, solum vulnus siccatur et sanguis, si lavetur. hoc genus dictionis et in libro decimo (833) posuit sic: „interea genitor Tiberini ad fluminis undam vulnera siccabat lymphis corpusque lavabat“. *illa gravis oculos conata attollere rursus deficit, infixum stridet sub pectore vulnus:* voluit oculos aperire et non potuit: opprimebatur enim letalis violentia vulneris. ideo sub pectore, ut significaretur quam partem corporis illa
690 percussisset. *ter sese attollens cubitoque adnixa levavit, ter revoluta toro est oculisque errantibus alto quaesivit caelo lucem ingemuitque reperta:* signa quae moriens dedit ostendebant eam facti paenitudinem gerere, quod iam emendari non poterat; denique frequenter se erigere voluit et quotiens hoc nitendo adgressa est, totiens superata succubuit errantibusque per diversa oculis frustra quaesiit caelo lucem et, cum hanc repperisset, ingemuit quod amissam recuperare non posset.

*Tum Iuno omnipotens longum miserata dolorem difficilisque obitus:* miserata Iuno longum dolorem et diffi-
695 cilem mortem cupiens relaxare *Irim demisit Olympo, quae luctantem animam nexosque resolveret artus:* omnia quibus vita constat sibi invicem nexa sunt, sed cum resoluta fuerint atque a sese recesserint, adferunt mortem. in hac

---

2 *sic effata* LR. 3 *germana* ed. 7 *a contraria* L *a* om. R corr. r ed. 10 *interea genitor* om. ed. 13 *aperire et* LR *et a.* ed., quia *volvit* legit. 14 *letali* ed. 16 *cubituque* LR. 17 *quaesiit* LR corr. r. 19 *paenitudinem gemere* LR *plenitudinem gemere* ed., sed *gemere* ipsum inter signa est, quare *gerere* correxi cum r′. 27 *dimisit* LR corr. r. 28 *nexusque* LR.

parte Iunonis est nota iuvantis morientem, ut celerius spiritum efflaret, quae si quid posset, vitam praestare debuerat aut viventi subvenire, cum decerneret mori. dicitur ratio quae ei difficilis obitus faceret: *nam quia nec fato merita nec morte peribat:* nec fato, inquit, nec morte merita, hoc est non secundum institutum naturae quod fatis attributum est hominibus, scilicet ut nulla vi adhibita moriantur; tunc enim difficilis mors est, cum non consensu naturae spiritus redditur, sed extorquetur violenter et truditur. *sed misera ante diem:* hoc est ante tempus quo natura potuit adferre consensum. *subitoque accensa furore:* dixit qua causa natura praeventa sit: furor, inquit, hanc conpulit repentinus, ut adpeteret mortem, quam nondum natura permiserat. subito furore dixit non tantum repentino verum etiam non pertractato; furentes enim consilium non habent et mox quicquid occurrerit faciunt. *nondum illi flavum Proserpina vertice crinem abstulerat Stygioque caput damnaverat Orco:* nec Proserpina venerat, quae sectum crinem Orco sollemniter traderet: nondum enim, ut dictum est, naturae venerat tempus. *ergo Iris croceis per caelum roscida* 700 *pinnis mille trahens varios adverso sole colores devolat et supra caput adstitit:* ex occasione dixit poeta Iris arcum idcirco coloribus distinctum, quod adverso sole radietur. *hunc ego Diti sacrum iussa fero:* bene dixit iussa, quia quod factura fuerat alieni fuit officii perindeque ab usurpationis crimine potuit excusari quae potioris habuit faciundi auctoritatem. *teque isto corpore solvo:* hoc, inquit, facio, ne diu crucieris. *sic ait et dextra crinem secat:* sectum crinem quid secutum sit nectit: *omnis et una*, inquit, *dilapsus calor atque in ventos vita recessit.* exectionem 705

---

7 *fatis* LR *a fatis* ed. 19 *extum* L *exutum* R ed. *sectum* r. 21 *ad caelum* LR *per c.* ed. et Verg. libri; hoc recepi, sed dubito an Don. *a caelo* legerit. | *poscida* LR in *roscida* corr. L II man. 24 *adversus sole* LR *a. solem* ed. *adverso sole* nos, an *adversus soli*? 30 *omnis* R *omnes* L. 31 *exectionem* LR ed. *sectionem* ut supra *exutum* pro *sectum*?

crinis finis vitae consecutus est, inpleta est poena periurii: supra (24) enim dixit „sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras, pallentis umbras Erebi noctemque profundam, ante, pudor, quam te violo aut tua iura resolvo“.

---

5 *violem* — *resolvam* ed. ut 24. — subscriptio plena *Tiberi* — *incipit liber V feliciter* in L *explicit* titulo cum *incipit* coniuncto R.

---

# AENEIDOS LIBER V.

Supra (4, 582) dixit Troianos navigasse, sed interposita descriptione actuum Didonis et mortis navigationis ipsorum divisa narratio est. ad hanc igitur poeta regreditur, quia quod interposuerat constat inpletum. ergo subiungit *interea medium Aeneas iam classe tenebat certus iter:* interea, hoc est cum illa perageret fata sua, Aeneas aliquantum provectus est; nam iam tenebat medium iter, hoc est in alto iam fuerat constitutus. sic et in tertio libro (664) ait „graditurque per aequor iam medium necdum fluctus latera ardua tinxit". certum autem securum debemus accipere, quod iam longe esset et nullum adverteret sequi. *fluctusque atros aquilone secabat:* qui intellectum loci istius scaevis interpretationibus dissipant dimisso eo quod intellegi debet argumentatione superflua perquirunt quod poeta non sensit. dicunt enim aquilone vento a Carthaginis litore ad Italiam navigari non posse perindeque Aenean non aquilonis suffragio navigationem movisse, sed vento alio qui posset in Italiam ducere, fluctibus tamen ab aquilonis parte venientibus, qui proxime praeteritus diceretur extitisse. hoc posset videri aliquatenus verum, si Aeneas illo tempore ad Italiam navigaret. licet enim in prima admonitione iussus sit Italiam quaerere, in secunda tamen fugere cogebatur et se instantis periculi contemplatione finibus liberare Carthaginis, proinde

---

2 *actuum* R idem, ut videtur, sed non satis perspicue L (cf. 1, 733 et 4, 80 *actus Didonis*). | *mortis* LR *m. eius* ed. 5 *subiungat* R *-it* r'. 6 *cum* LR *dum* ed. 10 *cinxit* ed. 12 *fluctibusque* R corr. r. 13 *scevis* LR *duris* ed. 19 *fluctibus* LR edI *fluctus* edF.

vento aquilone revera exclusus est, sed non ita, ut ipso tempore ad Italiam tenderet; tunc enim quocumque vento in quamlibet caeli partem fuerat fugiendum. denique hoc ei, ut iam diximus, in secunda monitione mandatum est, non ut iret ad Italiam, sed ut inminente discrimine oportune flantibus ventis fugeret. oportunus autem fuerat non ad Italiam, sed ad fugam, et cum unicuique per maria propter ingruentis mali necessitatem fugiendum est, non quo voluerit, sed quo potuerit navigat. intellegamus ergo fluctus aquilone atros qui flaret in praesenti et suffragium fugienti sufficeret, non qui flasset aliquando. si enim ex Carthaginis litore ad Italiam non ducebat aquilo, perducebat tamen quocumque fugientem. similis locus est, cum Aeneas fugeret harpyias (3, 268) „tendunt vela noti, fugimus spumantibus undis qua cursum ventusque gubernatorque vocabat". nam et illic dimisimus, inquit, quo tendebamus et ivimus quo potuimus, hoc est evidentis periculi metu navigabamus in eam partem maris in quam nos non consilium ducebat, sed gubernator et ventus. item, cum inminere Cyclopes cernerentur, ait (3, 682) „praecipites metus acer agit quocumque rudentis excutere et ventis intendere vela secundis". non secundis quasi ad Italiam ducentibus, sed secundis ad pericula fugienda. potest et sic, ut usurpatum sit et aquilonis nomine alterius dici debuisset, sicuti et supra (4, 562) posuit „nec zephyros audis spirare secundos", hoc est ventos; non enim multi sunt zephyri. et alio loco (1, 391) ait „et in tutum versis aquilonibus actam"; nam et illic usurpatio facta est nominis et numeri, ut uno vocabulo omnes significarentur, quia remotis ventis quos Aeolus inmiserat

---

1 *exclusum* LR ed. *exclusus est* nos (excludi pro amoveri ut 4, 237). 2 *vento* LR *et* ed. 9 *navigavit* ed. 17 *ibimus* LR corr. ed. 24 *sic* LR *sic intellegi* ed. | *et aquilonis* R *et* om. L. | *alterius* LR ed. (sc. nomen) *alter ventus* r fortasse recte cf. infra. 25 *dici debuisset* LR *d. cum d.* ed. 25—26 *nociferos* R *-rus* L *nec zefyros* r. 26 *secundus* LR. | *ventus* L. 28 *ventcsis* pro *versis* LR. 30 *qui* pro *quia* R. | *colus* R *eulus* L.

aliorum flatu Troiani liberati videantur. utraque igitur expositio habet rationem suam: ut iam ipse aquilo verus fuerit, qui posset quolibet ducere, aut sub aquilonis nomine alterum diceret, qui suffragium fugientibus ferret. item dixit (4, 310) „et mediis properas aquilonibus ire“ et (ge. 2, 339) „hibernis parcebant flatibus euri“ et (ge. 3, 356) „semper spirantes frigora cauri“, item (ge. 2, 333) „nec metuit surgentis pampinus austros“. *moenia respiciens, quae iam infelicis Elissae conlucent flammis:* quod dixit moenia respiciens, aut adfectus loci fecerat, quem invitus reliquerat, aut metus ne forte aliquis inde secuturus fuisset. sed dum hac causa Carthaginem respicit, quam intentis animis intuebatur quamque incolumem reliquerat, repente vidit ardentem. quae iam infelicis Elissae conlucent flammis: hoc ex persona poetae bene auditur, qui sciebat unde ignis esset exortus. redit ad Aeneae Troianorumque personam: *quae tantum accenderit ignem causa latet:* causa conflati incendii ex aperto nosci non poterat. *duri magno sed amore dolores polluto notumque furens quid femina possit triste per augurium Teucrorum pectora ducunt:* intellegi dabatur coniectura currente malum fuisse quicquid ignis ostenderet: notum enim fuit exemplis docentibus quid in huiusmodi causis possit doloris acerbitas, quid malefacti oriri, cum amor laeditur, quid femina cogitare, cum praeter levitatem sexus amoris etiam furore percellitur. haec Troiani cogitantes ignis augurio colligebant aliquid mali in illa civitate iuxta salutem Didonis esse commissum. ordinatur sensus sic: quae tantum accenderit ignem causa latet, sed duri

4 *dicere* LR ed. *diceret* nos. 5 *prosperas* LR corr. r om. ed. 6 *spargebant* pro *parcebant* LR *spirabant* ed. 7 *sperans* pro *spirantes* LR. | *hauri* LR corr. r. 8 *non metuit* LR *nec meminit* ed. | *pampanus* L. 9 *helissae* LR. 12 *haec causa* LR corr r. 13 *intento animo* ed. 19 *doloris* L. 24 *mali facturi* L *mala facturi* R *mali futurum* ed. *malefacti oriri* nos cf. 1, 548. 25 *cogitare* L edI *cogitaret* R edF. | *propter* LR ed. *praeter* nos. 29 *accederet* LR corr. r (in lemmate recte).

dolores magno amore polluto notumque furens quid femina possit per ignis triste augurium Teucrorum pectora ducunt. feminarum dolores vel maxime in causa amoris vult Vergilius ostendere satis esse graviores: quanto enim in ultione reportanda per infirmitatem sexus minus possunt, tanto in sese supplicio vertunt quod exigere de alio nequierunt. hoc discutiebant Troiani necessitatem Didonis personamque tractantes et licet verum invenire non possent, sciebant tamen, ut diximus, triste esse quod nuntiabat incendium. *ut pelagus tenuere rates nec iam amplius ulla apparet tellus, caelum undique et undique pontus:* magna descriptio, magna navigantis accessio. primo quippe coeperunt remis, dehinc velis ventus est adlatus et illo usque in terras Teucrorum duravit aspectus, donec Carthaginis solum appareret incendium; ecce iam tantum provecti sunt, ut subtracto terrarum et illius ignis aspectu
10 solum caelum videretur et pelagus. *olli caeruleus supra caput adstitit imber noctem hiememque ferens et inhorruit unda tenebris:* post haec, inquit, exorta sunt nubila, nimbi etiam hoc est pluviae. describuntur accedentia ex ipsis: secuta sunt enim nox, tenebrae, frigus atque horror undarum, quarum formidolosus aspectus accedente multiformi terrore cumulatus est. *ipse gubernator puppi Palinurus ab alta: heu! quianam tanti cinxerunt aethera nimbi? quidve, pater Neptune, paras?* tanta fuit elementorum confusio, ut Palinurus ipse, qui gubernandi arte pollebat, regendi cursus peritiam perdidisset. denique turbatus ingemuit et dixit: dolenda fortuna nostra; nihil enim boni omnia ista significant: nescio quid, Neptune, minaris adversi. ecce Palinurus praevidit malum et gemuit. *sic deinde locutus,*

---

4 *quantum* ed. 11 *apparet* LR *occurrit* Verg. libri fere omnes. | *caelum undique* LR *maria u.* plerique Verg. libri. | *undique caelum* LR et Verg. libri *u. pontus* scripsi cum r ed., quia in interpr. *pelagus* respondet. 12 *magna* LR *magnus* ed. | *accessus* LR ed. *accessio* nos. 13 *ventum est adlatum* LR. 20 *hoc est* LR *hic* ed. | *describunt* R corr. r. | *accedentia* L *eccedentia* R *et acc.* ed. 22 *multiforme* LR.

hoc est breviter locutus, deinde *colligere arma iubet validisquē incumbere remis.* in illo enim omnium metu consilia potius fuerant adhibenda quam verba. iubet vela colligi, hoc est breviari; arma enim dixit vela, quod ipsum sequentia docent. ait enim validisque incumbere remis, ut niterentur remis contra vim tempestatis et pelagi. quod dixit colligere arma exponit quid factum sit dicendo *obliquatque sinus in ventum.* hoc fit, cum nimius ventus est: nam colliguntur velorum sinus et ad modum necessarium breviantur; ubi autem oportuni sunt flatus, resoluti panduntur ipso docente Vergilio: alio enim loco (3, 520) ait „et velorum pandimus alas". obliquare velis vero sinus in ventum est nec omnis flatus excipere nec omnis effundere, ut pars esset congesta per sinus, pars ventis pro commodo traderetur, quam ipse gubernator librans auras exciperet aut vitaret. cum haec dixisset et facta essent, *magnanime,* inquit, *Aenea, non si mihi Iuppiter auctor spondeat, hoc sperem Italiam contingere caelo:* licet omnia turbata sint nec maria evidenter cernantur aut sidera, quibus caeli plagae pura consideratione noscuntur, tamen in his partibus esse Italiam sperare non possum, nec si mihi hoc ipsum auctor Iuppiter spondeat, hoc est si mihi praesens Iuppiter dicat in his partibus esse Italiam, fidem ei habere non possum. *mutati transversa fremunt et vespere ab atro consurgunt venti:* non ipsi sunt venti qui fuerunt, successerunt vero contrarii, qui nos in transversum ducunt. *atque in nubem cogitur aer. nec nos obniti contra nec tendere tantum sufficimus: superat quoniam fortuna, sequamur:* maiorem, inquit, vim renitendo superare non possumus, quoniam adversa convaluerunt et pro aere puro nubes solae cernuntur: sequamur fortunam,

---

5 *incumbere* LR edI *incumbite* edFI. 8 *ventum* LR *ac talia fatur* add. ed. | *nimfus* L *nifus* R *nimius* r ed. 12 *et* om. ed. | *pandemus* LR corr. r. | *venis vero* R *venis* del. r non habent L ed. *velis* nos (sic *autem* tertio loco 6, 668). 13 *ventus* in *ventum* corr. L *ventus* R *ventum* r. 29 *retinendo* ed.

quam non valemus evincere. et consilium dedit et dixit admirandam sententiam, ut in rebus agendis, si maior vis interveniat, hanc consentiendo potius quam reluctando vincamus: hoc est quod etiam Terentius (Andr. 2, 1, 5) monet: „quando“, inquit, „non potest fieri quod vis, id velis quod possit“. quid ergo in praesenti causa fieri conveniat? *quaque vocat vertamus iter:* pergamus, inquit, qua possumus, quia quo volumus non licet. ecce effectum consilii, quem casus ostendit, persuadenter monstrat, ut appareret inpedimentum fortunae non satis esse contrarium: ait enim *nec litora longe fida reor fraterna Erycis portusque Sicanos, si modo rite memor servata remetior astra.* ideo ait si memor sum, quoniam ipsa parte transierant, cum ad Carthaginis litora naufragio truderentur. Erycis commemorationem fecit, qui ante Acesten Siciliam tenuit. hunc volunt veterum fabulae Aeneae fuisse germanum, ut commemoratione fraternae memoriae aequo animo Aeneas ferret illius navigationis eventum. *tum pius Aeneas equidem sic poscere ventos iamdudum et frustra cerno te tendere contra. flecte viam velis. an sit mihi gratior ulla quove magis fessas optem demittere navis, quam quae Dardanium tellus mihi servat Acesten et patris Anchisae gremio conplectitur ossa?* ipse quoque, inquit, vidi quae loqueris: quapropter in viam quae datur vela converte et flatibus plena voluntate consenti: nec ipse inprobo quod inter ipsa contraria fortuna prospexit, ut ad ipsam terram inprudentem ferret quae Acesten mihi servat incolumem et suo gremio mei patris ossa conplectitur. nulla mihi est carior quam ubi amorem viventis habeo et reverendam memoriam patris. duos admiranda inventione praetulit, Acesten liberalitatis et originis causa et tumulum patris. cum hanc, inquit, terram tetigero, erit mihi admodum gratulandum sic me

1 *qua non* LR corr. r. 6 *quid* LR *quod* ed. | *conveniat* LR *dicit* add. ed. *conveniebat?* 7 *quaque* LR *quoque* ed. | *qua possumus* LR *quo p.* ed. 8 *quo volemus* L *quolemus* R corr. ed. 13 *ipsa parte* LR *ea* ed. 18 *pius* LR *pater* U ed. 21 *dimittere* ed. 32 *admodum* LR *mirum a.* ed.

vitio malae navigationis errasse, ut Acesten iterum videam et terram mei patris reliquias continentem. *haec ubi dicta. petunt portus:* haec Aeneas dixit, non tamen Erycis fecit mentionem. hoc quippe nomen omisit, quoniam quod Palinurus dixit replicare non debuit. addidit tamen Palinuri dictis augmentum nominando Acesten et paternam memoriam. *et vela secundi intendunt zephyri, fertur cita gurgite classis:* mutato navigationis cursu prosperum factum est quod in alia tendentibus contrarium fuit; quippe ferebantur naves cursibus plenis. *et tandem laeti notae advertuntur harenae:* Troianis laetitia fuit, quod ad litus intendentes ad loca tamen nota pervenissent.

*At procul ex celso miratus vertice montis adventum sociasque rates [occurrit Acestes]:* civitas in qua Acestes commorabatur fuit in excelso, qua causa longe adhuc positas navis agnovit esse Troianas et earum est miratus adventum. legitur et accurrit, quod est amplius quam occurrit. occurrit: occursus iste inpatientiam hominis vere gratulantis ostendit: non enim ferre potuit donec ad ipsum litus accederent. *horridus in iaculis et pelle Libystidis ursae, Troia Criniso conceptum flumine mater quem genuit:* ipso enim cultu uti debuit qui esset tali parente progenitus; flumina enim sine vestis ambitione pinguntur. quod ait Troia mater, non patriam dixit, sed Troianam mulierem. proinde cum hoc dicimus, in tris syllabas ecferendum est, ut sit tro item i item a. *veterum non inmemor ille parentum gratatur reduces:* considerans unam sibi et illis esse originem veterum gratulatus est eos iterum venisse. huius laetitiae quod fuit signum? *gaza.*

---

7 *fertur* om. LR. 12 *sunt tendentes* L ras. unius litterae ante *tendentes* R *intendentes* nos. 14 *occurrit Acestes* deest in LR, sed explicatur. 18 *occurrit* LR *o. Acestes* ed. 21 *et troia* LR. | *anceptum a* expuncta et *co* superscripto L I man. *acoanceptum* R. 26 *haecferendum* L *hecf-* R *h* del. r. | *tro item i item* LR *a* add. r *dactylus Troia et adiectivum* temere substituit ed. (O = LR lacunam reliquerunt HU). 29 *gazza* LR.

inquit, eos *agresti excipit [ac fessos opibus solatur amicis]:* ab ipso litore duxit eos agrestis iis exhibiturus divitias hoc est epulas rusticanas. si ad ipsum Vergilium redeamus, intellegere poterimus quae sint istae vel quales: nam ipsas praeferens in bucolicis (1, 80) pastor „sunt“, inquit, „nobis mitia poma, castaneae molles et pressi copia lactis“. his adnectere possumus ova atque herbas agrestis. ecce quanta humanitas hominis quantaque honorificentia: occurrit venientibus, suorum fuit memor, incolumis ac salvos gratulatus est, admodum laetus duxit eos ad domum, quod alterum eorum hoc est secundum excepisset adventum, excepit fessos et opibus rusticis pavit plus habens adfinitatis et amicitiae meritum quam ciborum; non enim illa in eo placebant quae inparatus exhibebat, sed puritas mentis et superioris temporis largitas et laetitia praesentis.

*Postera cum primo stellas oriente fugarat clara dies, socios in coetum litore ab omni advocat Aeneas tumulique ex aggere fatur:* sequenti die in ipso lucis exordio, hoc est ante actus alios, iussit Aeneas omni litore socios omnis acciri ac redactos in coetum id est congregatos ipse in summo consistens, unde facilius audiri posset, his ad-
45 locutus est verbis: *Dardanidae magni, genus alto a sanguine divum.* licet suos adloqueretur, eorum tamen laudem, in qua et ipse partem habuit, noluit praeterire: quae laus eo tendit, ut adserat deos, ex quibus essent geniti, favisse potius quam nocuisse, ut inpedito cursu qui tenebatur ad Siciliae rursum litora ducerentur. quod verum esse adserit evidenti argumento, ut exacti anni munus et incipientis alterius paternis redderetur inferiis: vere, inquit, magni

---

1 *eos* LR *laetus* ed. | *ac — amicis* deest in LR, sed explicatur. 2 *his* LR *iis* nos. | *divitiis* R corr. r. 7 *adnectere* LR edI *addere* edF. 17 *postea* L *ostea* R r = L *postera* r′. 19 *exagere* LR. | *locis* LR *lucis* r *loci* U ed. 20 *factus* LR (cum puncto sub *c* R) *actus* ed. 22 *audire* LR corr. r ed. 23 *ac sanguine* LR. 26 *adserata* LR *a* exp. L ipse r. 30 *imperiis* LR ed. *inferiis* r′.

sumus Dardanidae et iure pertinemus ad deorum curam, utpote originem ab ipsis ducentes et genus. *annuus exactis conpletur mensibus orbis, ex quo reliquias divinique ossa parentis condidimus terra maestasque sacravimus aras. iamque dies, nisi fallor, adest, quem semper acerbum, sem-* 50
*per honoratum (sic dii voluistis) habebo:* annus, inquit, concluditur, ex quo divinum patrem meum, hoc est consecratione dignum terra condidimus. non dixit, ex quo mortuus est pater meus, sed ex quo terra est conditus. hoc enim intellegi potius voluit quam dici; non enim vivus obrui potuit. et quoniam iam dies adest et quanto tristis tanto suis observationibus honorandus, religiosi fili personam induxit dicentis quem semper acerbum, semper honoratum (sic dii voluistis) habebo. optabat enim, nisi dii obstitissent, officia pietatis vivo potius exhibere quam mortuo et ideo ad deos fecit apostropham cum quadam invidia, quae veniret ex dolore. sciebat enim communem omnium condicionem a superioribus institutam apertius accusari non posse. proinde sic dii voluistis non ad causam patris tantummodo verum etiam ad omnium hominum rettulit sortem, quasi si diceret feram invitus quod expugnare non potui. semper acerbum, semper honoratum ideo, quia dolor omnis accessu temporis consenescit et sollemnitas omnis diuturnitate tenuatur, quod apud Aenean non fuerat, apud quem luctus patris semper recens offendebatur et novus. interea edicturus ludos illi parti primo occurrit qua potuit reprehendi, ut, cum de morte patris maestus esse debuerit, velit potius laeta sectari. idcirco dixit quem semper acerbum, semper honoratum: quoniam feriebat animum eius dolor ex causa et exigebat defuncti meritum honorificentiam suam. non ergo dixit futuram

---

1 *pertinemus* LR temere mut. ed. 3 *conplector* LR *conpletur* r. 4 *terra* LR *terrae* ed. | *maetasque* L *metasque* R *meritasque* r′. 16 *deus* LR *ad deos* r nos om. ed. 18 *a superiores institutam* LR corr. r *ac superiora instituta* HU ed. 19 *si* LR *sic* r ed. 21 *si* om. ed. 23 *conseniscet* L *consenescet* R. 30 *dolore ex* L.

ludorum laetitiam, sed futurum honoratum diem. dicit ergo quid in animo gereret, ut ostendat in exhibitione ludorum non lasciviam fore, sed necessitatis causam. *hunc ego Gaetulis agerem si Syrtibus exul Argolicove mari deprensus et urbe Mycenae, annua vota tamen sollemnisque ordine pompas exequerer struеremque suis altaria donis:* duo posuit dura, si me, inquit, tenerent Syrtes aut Graeci captivum; senserat enim solitudinem Syrtium et Graecorum urbis viderat et transierat et litora, sicut in primo libro et tertio lectum est. hunc, inquit, tamen tristissimum diem ego, qui sim filius, si inter hostis essem et solitudines Syrtium, honorarem tamen neque istud clam, sed publice facerem ducens funereas pompas et onerans altaria suis donis, id est sollemnibus et veterum moribus institutis. *nunc ultro ad cineres ipsius et ossa parentis (haut equidem sine mente reor, sine numine divum) adsumus et portus delati intramus amicos:* sine mente, inquit, et sine numine, ad deorum potestatem. an, inquit, putatis citra deorum voluntatem ac potestatem factum ut ad tumulum patris mei die sollemni ac necessario atque ad amica litora veniremus? provenit hoc voluntate divina, debet solvi manibus eius in quo sunt etiam dii ipsi fautores. *ergo agite et laetum cuncti celebremus honorem:* honorem dixit, non turpia quae ludis exhiberi consueverunt, laetum autem non exhibentibus, sed illi cui exhibetur honorificentia. laetari enim feruntur mortui, quando haec sibi sollemnitas redditur. *poscamus ventos atque haec me sacra quotannis urbe velit posita templis sibi ferre dicatis:* cum celebraverimus haec, poscamus ventos, dent prosperam navigationem: cum autem pervenero et civitatem debitam

---

5 *depraehensus* LR. 6 *instrueremque* LR. 9 *urbes* LR *urbem* U ed. 18 *ad deorum potestatem* LR *retulit* add. ed. *ac d. p.* r (*potestate* voluit?). 22 *debit* LR *debita* ed. *debet* r′ recte: *in quo — fautores* subiectum est. 23 *celebramus* L *caelebramus* R corr. r. 28 *quodannis* LR corr. r. 29 *caebraveremus* L *caebraverimus* R. | *ventos* LR *v. qui* ed.

constituero, faciam ei templum. templum dixit ut deo, non memoriam ut homini mortuo, et sacra dixit, non inferias. et quoniam spectaculorum gratiam debet etiam refectio corporum sequi, promittit universis annonam: *bina boum vobis Troia generatus Acestes dat numero capita in navis.* promisit de alieno tantum praesumens de Acestis benivolentia quantum fiduciae dabat superioris temporis largitas et praecipui animus civis. *adhibete penatis et patrios epulis et quos colit hospes Acestes:* vos mementote, ut, cum binos boves per navis singulas sumpseritis et paraveritis epulas, adhibeatis cum nostris penatibus deos quos hospes ipse veneratur. *praeterea, si nona diem mortalibus almum aurora extulerit radiisque retexerit orbem:* praestruxit omnia, edixit diem ludorum, sic tamen, si aeris etiam temperies proveniret, et non proximum satis nec satis longum, ut medium tempus nec haberet diutinae expectationis taedium et tamen maiorem celebritatem posset adquirere. nono, inquit, die ludos habebo, si consentientibus elementis alma luce provenire potuerit. almum diem tranquillum debemus accipere, quia navale certamen fuerat habiturus, cui tranquillitas pelagi fuerat necessaria. insinuat dehinc futura certaminum genera, ut unusquisque maiore studio ante tempus accensus veniret ad diem. percurrit haec in quibus enitesceret virtus potius quam ludorum turpium corruptione sordesceret. non edicuntur mimi, qui solis inhonestis et adulteris placent; per illos enim discitur quemadmodum inlicita fiant aut facta noscantur. non edicuntur saltationes fluxae, in quibus saltator ille est melior qui perditorum iudicio membrorum virilium robur in solutionem femineam verterit; non

---

1 *ei* LR *etiam* edF. | *uideo* LR *ut deo* r ed. 8 *animus uiuis* LR *a. civis* nos cf. 757 *animi virtus* ed. 11 *adhibeatis* om. *adhibere* ante *deos* interpol. ed. 14 *edixit* LR *et edixit* ed. 16 *nec* LR *non* ed. | *diutinae* LR *divinae* ed. 18 *habebo* LR *exhibebo* ed. 21 *cui* LR *pro quo* ed. 28 *saluationes* LR corr. r ed. 29 *indicio* ed. 30 *solitionem* LR *solutionem* corr. L II man. *saltationem* ed. | *femineam* om. ed.

praedicitur funis futura temeritas, cuius angustum iter ac pendulum in periculum magis quam salutis tutum securitatemque devexum est. omittit haec vir fortis et egregius, nihil eum iuvat illorum, quae scimus illis exhiberi quibus possunt placere cum fiunt. idcirco autem primo aeris tranquillitatem pronuntiavit esse necessariam, quod in mari habiturus navale certamen, ut dictum est, placiditatis debuit habere suffragium. incipit iam proferre certaminum genera, sed cum condicione temporis propter aeris incertum. *prima,* inquit, *citae Teucris ponam certamina classis.* secundo *quique pedum cursu valet.* tertio *et qui viribus audax.* quarto *aut iaculo incedit melior levibusque sagittis.* quinto *seu crudo fidit pugnam committere caestu.* enumeratis spectaculorum generibus ait
70 *cuncti adsint meritaeque expectent praemia palmae:* adsint omnes qui haec subire voluerint sperantes digna pro suis virtutibus praemia et probaturi verum iudicium palmae. expectent potest significare sperent, potest et videant. *ore favete omnes et cingite tempora ramis*: in sacris ore favete silentium commodate significat, hic ore favete exclamationibus laetis favorem commodate.

*Sic fatus velat materna tempora myrto:* myrto materna, non coronis infamibus. *hoc Helymus facit, hoc aevi maturus Acestes, hoc puer Ascanius:* usque adeo honestissimum fuerat factum, ut dignitati singulorum et omnibus aetatibus conveniret. fecit denique Aeneas, fecit Helymus, Acestes quoque maturus senio et gravis non habuit indignum quod religione potius quam luxurie constabat effectum, non dubitavit Ascanius imitari maiores nec putavit

1 *edicitur* ed. 2 *magis* LR ed. *vitae* add. r′ nescio an recte. | *tota* LR *tutum* nos om. ed. 3 *securitateque* R corr. r = L *securitatem* ed. 4 *scimus* LR *scitis* ed. 5 *fiant* ed. 10 *aerem* ed. 11 *secundo — tertio* etc. LR *secunda* etc. ed. 12 *incidit* LR corr. r. 13 *levibusve* ed. 20 *favete* LR *f. est* edI *favere est* edF. 21 *commodare* edF. 23 *helenus* LR (et infra). 24 *acaetes* LR corr. r. 28 *luxuriae* LR corr. r *luxuria* ed.

sese erraturum, si sequeretur factum patris et studium honestorum. *ille e concilio multis cum milibus ibat ad* 75
*tumulum, magna medius comitante caterva:* e concilio ibat ad tumulum patris cum ingenti numero deductorum. *hic,* hoc est ubi sepulchrum patrium fuit, *duo rite mero libans carchesia Baccho [fundit humi]:* carchesia nomen est poculorum. duo, inquit, carchesia mero Baccho plena, hoc est vino incorrupto, terrae infundens. *duo lacte novo, duo sanguine sacro:* terrae infundens et ad vinum pertinet et ad lactem et ad sanguinem: omnia enim simul fusa sunt. haec mortuorum sacrificiis exhibentur. *purpureosque iacit flores:* et hic color florum sepultis congruit. iacit et fundit largum animum exhibentis ostendunt et specierum maximam copiam. *ac talia fatur: salve, sancte* 80
*parens, iterum:* iterum ideo, quia haec fuit secunda post illam qua, cum sepeliretur, salutatus est. quod autem ait sancte et non dixit care, ut in secundo libro meminimus positum (707) „ergo age, care pater, cervici inponere nostrae“, hoc intellegendum est; illic enim cum vivo loquebatur et cum eo a quo nollet separari, hic cum eo loquitur quem religione nimia noluit mortuum dicere, sed receptum volebat inter deos. nam et in libro tertio, cum finem vitae eius apud Didonem referret, ait (710) „hic me, pater optime, fessum deseris“: duxi te, inquit, et deseruisti me, non dixit mortuus es. et in quarto libro hoc tenuit, cum diceret (5, 722) „visa dehinc caelo facies delapsa parentis Anchisae“. sancte ergo cum diis conveniat, patrem suum numinibus iunxit. hoc fecit fili religioso

---

6 *carthesia* (et infra) LR corr. r. | *fundit humi* deest in LR, sed explicatur. 9 *terrae infundens* lapsus est Donati interpretationem pro lemmate repetentis ut 4, 668. 10 *lacte* LR *lac* r ed. *lactem* nos. 12 *facit* pro *iacit* LR corr. r. 13 *fecit et fudit* LR *iacit et fundit* nos *fudit et iacit* ed. 15 post *secunda* desideratur *salutatio.* 19 *hoc* LR *h. sic* ed. 21 *loquitur religione* LR *quem* interpos. r ed. 24 *duxisti te* LR corr. ed. 25 *quarto* LR ed., at quinti locus est, aberravit Don. ad 4, 351. 28 *fili* LR *filius* ed.

adfectu et hominum more, qui praecipuos viros migrare potius dicunt quam interire moriendo. iterum *salvete recepti nequicquam cineres animaeque umbraeque paternae:* animae et umbrae non est nominativus pluralis, sed genetivus singularis; salutavit enim cineres animae et umbrae patris sui. non ergo sequamur eos qui putant Anchisen pluris umbras et multas animas habuisse. nequicquam rursum recepti cineres, quia inimicorum manibus dicuntur effossi et iterum suorum opera conditi, quod beneficium cum non senserit mortuus, non frustra positum est nequicquam. huius facti poeta meminit in quarto libro (427): nam ex persona Didonis dixit „nec patris Anchisae cineres manisve revelli“. ex persona fili bene positum est nequicquam; ille enim vivo potius obsequi quam mortuo maluit. *non licuit finis Italos fataliaque arva nec tecum Ausonium, quicumque est, quaerere Thybrim:* hoc et tempore mortis eius ostenditur doluisse; in tertio enim libro, cum de eius casu loqueretur, hoc dixit (711) „heu tantis nequicquam erepte periclis“. nequicquam cur illic dictum sit hic patefecit. optavit enim patre incolumi ad Italiam pervenire, quod quia non provenit, et hic ingemiscit. *dixerat haec,* mox ut locutus est talia, *adytis cum lubri-*
85 *cus anguis ab imis septem ingens gyros, septena volumina traxit amplexus placide tumulum lapsusque per aras, caeruleae cui terga notae maculosus et auro squamam incendebat fulgor, ceu nubibus arcus mille trahit varios adverso sole colores:* adytis inquit, non sepulchro processisse anguem, ut confirmet Anchisen diis esse coniunctum. adyta enim deorum secreta sunt, quae nondum sacrati ingredientes templa nosse non possunt. magnitudinem eius et decorem

---

9 *effossi* LR *erepti* ed. | *rursum* LR *r. filii* ed. *suorum* nos q̄ in marg. r′. 15 *maluit* LR *voluit* ed. 16 *hoc et* LR *et* om. ed. 20 *optinuit* LR *optavit* r nos *non obtinuit* ed. 22 *talia* LR *haec sequuta sunt* add. ed. 23 *sanguis* LR corr. r. 25 *nota* LR corr. r. | *aurus quamam* LR corr. r. 27 *processisse* LR *praec.* ed. 28 *confirmet* LR *-aret* ed. 29 *secreta sunt creta sunt* LR dittographiam del. r ed.

qua causa descripserit possumus aestimare. debuit enim
magnum aliquod et pulchrum inde procedere ubi personae
potioris reliquiae tenebantur. *obstipuit visu Aeneas:* quis 90
enim non miraretur novum visum et magnum? *ille agmine*
*longo:* agmen dicitur quo naturaliter inpellitur serpens,
ut loco moveatur: anguis ergo serpebat agmine. *tandem*
*inter pateras et levia pocula serpens libavitque dapes rur-*
*susque innoxius imo successit tumulo et depasta altaria*
*liquit:* miracula alia, non timuit anguis ipse, cum serperet,
praesentium hominum coetum, sumpsit ad victum quod
voluit et eo unde processerat remeavit innoxius. color
eius et splendor idcirco speciei caelesti conparatus est, ut
ostenderetur non ex illis esse quorum detestanda natura
est et saluti hominum infesta. denique, ut dictum est,
processit in conspectum populi praesentis, amplexibus pla-
cidis tumulum circumdedit, ex aris usurpavit quae voluit
et nullo hominum laeso remeavit. *hoc magis inceptos ge-*
*nitori instaurat honores incertus geniumne loci famulumne* 95
*parentis esse putet:* cum miraretur Aeneas nec scire evi-
dentius posset quis esset ille, cur in lucem et in huma-
num conventum tam facile processisset quodque esset
intrepidus, quod tractu suo ambisset tumulum totiens,
quod degustasset ea quae apposita fuerant et depasta
reliquisset ac redisset innoxius, in ipso incerto ratus est
aliquid esse divinum. hoc magis id est idcirco repetit
honores patrios, quos disposuerat facto iam fine conclu-
dere, hoc est a medio actu ad initium rediit incertus
geniumne loci famulumne parentis esse putet. hoc quon-
iam non potuit verius aestimari coniectura suspicantis,
non vacuum iudicatum est; aut enim genius loci puta-
batur aut famulus patris, non anguis, sed in anguem
conversus. *caedit quinas de more bidentis totque sues, to-*
*tidem nigrantis terga iuvencos vinaque fundebat pateris*

7 *cursusque* LR. 15 *et* ante *amplexibus* interpol. ed. 16 *qua* LR *quae* ed. 17—18 *incertos genitor instaurat* LR. 22 *tratu* LR *tractu* r ed. 24 *raptus* LR ed. *ratus* r. 25 *id est* LR *hoc est* ed. 32 *cedit quinas* LR cf. ed. Ribb.

*animamque vocabat Anchisae magni manisque Acheronte remissos:* haec faciebat, quod putaret relaxatis egressibus animam patris esse praesentem, et hoc suspicione colligebat Aeneas, ut acta repeteret et vocaret animam patris. ecce unam animam vocat Anchisis, unde manifestius probat quam supra (81) tractavimus genetivum esse singularem, non nominativum pluralem, ubi dixit „animaeque
100 umbraeque paternae". *nec non et socii, quae cuique est copia, laeti dona ferunt onerantque aras mactantque iuvencos:* obsequebantur et socii, ut poterant singuli: hoc enim Anchisae meritum exigebat et honorificentia fili praesentis. perfectis sollemnibus *ordine aena locant alii fusique per herbam subiciunt veribus prunas et viscera torrent:* militaris ista ciborum accuratio est aut ad sacrorum pertinens ritum: nam in octavo libro ait (180) „viscera tosta ferunt taurorum".

105 *Expectata dies aderat nonamque serena auroram Phaethontis equi iam luce vehebant:* expectata dixit, quasi tardius venisset: tantum enim desideranter optata est. quippe quicquid gratum speratur aut commodum, etiamsi mature proveniat, tardum est. interea tantum favoris etiam de ipsis elementis dispositiones Aeneae meruerant, ut optabilis omnibus dies ille tranquilla luce fulsisset. *famaque finitimos et clari nomen Acestae excierat:* fama edictorum spectaculorum et Acestis nomen, quod in honore apud universos fuerat, excitaverat proximos ut venirent; fuit enim in illis regionibus insperata ludorum gratia, quae exoriens repente non tantum commanentis verum etiam finitimos provocarat ad visendum. *laeto conplerant litora coetu visuri Aeneadas, pars et certare parati:* brevis distinctio,

---

1 *magnisque* LR corr. r. 5 *unam animam* LR *u.* edI *a.* edF. | *anchises* LR *-is* nos (cf. 1, 34) *-ae* ed. 6 *quam* LR *quod* ed. fortasse recte. 7 *non* LR edI *et non* edF. | *plurale mori* L *pluralem mori* R *pluralem cum* r ed. vel *ubi* in marg. r′. 13 *verubus* ed. 17 *serenam* LR. 19 *desideranter* om. ed. 23 *fulgisset* LR corr. r. 25 *acestis* LR *-ae* ed. cf. v. 99. 29 *finitimus* L. | *provocaret* R.

sed intellectu latissima. primum quippe quod dixit visuri Aeneadas expressit plenissimam laudem Troianorum: neque enim sola ludorum voluptas ducebat universos, cum unusquisque ad hoc concurreret, ut etiam nosset Aeneadas. erant tamen, inquit, inter ipsos qui etiam studio quoque certandi ducerentur capturi ex visu Troianorum gratiam et commodum de certamine. tanti autem confluxerant, ut latitudinem litorum conplevissent. *munera principio ante oculos circoque locantur in medio:* cum contionem haberet 110
Aeneas et ludos ediceret, promisit se digna praemia daturum esse certaturis, quae res nonnullos adduxerat, ut vellent subire certamina. sed quia promissio nonnumquam minorem retinet fidem, munera ipsa ante coepta certaminum medio circo proposuit et obiecit oculis omnium, ut volentes magis vellent certare et qualitate praemiorum etiam inviti cogerentur. circoque locantur in medio, non quo revera circus fuisset extructus, sed in spatio quod ad vicem circi fuerat designatum. in medio ideo, ut a circumfusis populi partibus videri potuissent. *sacri tripodes viridesque coronae et palmae:* quare haec? *pretium,* inquit, *victoribus,* honores scilicet et quod victoris gloriam testaretur. coronae et palmae positae fuerant super tripodes. *armaque et ostro perfusae vestes, argenti aurique talenta:* ecce et illa proposuit quae maiore pretio certantum divitias augere potuissent. tanta autem largientis copia fuit, ut proposita in quantum modo, numero vel pondere finirentur dici non posset. proinde, quia speciatim dici non valuerunt, conpendii causa vestes generaliter dixit, arma et auri atque argenti talenta similiter percucurrit.

---

10 *sed digna* LR *se d.* r *se* transpos. ed. 14 *certaminum* LR cf. *fundamentorum coepta* 7, 125 *certamina in* HOU ed. 16—17 *non quod* edF. 19 *ad circumfusis* LR *a c.* HOU ed. *a circumfusi* r. 21 *honores* LR ed. *honorem?* | *et* om. ed. *victores* LR corr. r ed. 26 *ut proposita* LR ed. *ut* del. r. *in quantum modo* L *in quantam m.* R *ut quanta m.* r *speciatim quae* ed. 27 *tenirentur* LR *tenerentur* r ed. *finirentur* nos. | *posset* LR *possent* ed. 28 *voluerunt* ed. 29 *percurrit* ed.

*et tuba commissos medio canit aggere ludos:* ecce aggerem
posuit qui dixerat circum, ut ostenderet non structilem
115 fuisse. *prima pares ineunt gravibus certamina remis quat-
tuor ex omni delectae classe carinae:* ex omni, inquit,
classe delectae sunt naves quattuor pares ludorum primum
initurae certamen, pares ideo, quia, si inpares ordina-
rentur, nulla esset aequitas et spectaculorum gratia clau-
dicaret. dicuntur rectorum nomina, dicuntur et navium:
*velocem Mnestheus agit acri remige Pristim (mox Italus
Mnestheus, genus a quo nomine Memmi) ingentemque Gyas
ingenti mole Chimaeram, urbis opus, triplici pubes quam
120 Dardana versu inpellunt, terno consurgunt ordine remi,
Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen, Centauro
invehitur magna Scyllaque Cloanthus caerulea, genus unde
tibi, Romane Cluenti.* dixit navium nomina et earum
magnitudines expressit, nominavit duces et eorum nobili-
tatem conplexus est.

125 *Est procul in pelago saxum spumantia contra litora,
quod tumidis summersum tunditur olim fluctibus, hiberni
condunt ubi sidera cori; tranquillo silet inmotaque attollitur
unda campus et apricis statio gratissima mergis:* ad ima-
ginem circensium conposuit navale certamen. navis habuit
pro quadrigis, pro aurigis vero eos quorum nomina supe-
rius conprehendit, spatium pelagi pro circi spatio, saxum,
quod secundum naturam suam descriptum est, ad vicem
metae. illud igitur saxum eminet, inquit, cum tranquil-
lum est mare, et marinis avibus stationem praebet, cum
autem commoventur in tumorem fluctus, tunditur et undis
spumantibus operitur. erat autem positum non longe atque
ita, ut de litore videri potuisset. *hic viridem Aeneas fron-
130 denti ex ilice metam constituit signum nautis pater:* hic,
hoc est in hoc saxo, quoniam tranquillitas fuit et ex
undis apparebat, pater Aeneas metam ex ilice frondenti

4 *dilectae*, sed infra *delectae* L. 6 *initeturae* LR corr. r. 8 *nomine* R. 10 *memini* R. 13 *sertia* LR corr. r. 19 *submersum* ed. 20 *chori* LR. 22 *circensium* LR *ludorum c.* ed. 28 *commovetur* edF. | *fluctu* ed.

constituit. *unde reverti scirent et longos ubi circumflectere*
*cursus;* illi scilicet qui regebant navis et ductores earum
fuerant, ut nossent ab illo signo sibi esse redeundum.
*tum loca sorte legunt,* ut fieri consuevit in circo; non est
enim idem labor in singulis locis et inde sors adhibetur,
ne sit in ordinatione contentio aut humanum iudicium
gratia cuiuspiam transducatur. *ipsique in puppibus auro*
*ductores longe effulgent ostroque decori:* ipsi ductores, hoc
est qui ad vicem aurigarum fuerant ordinati, longe ful-
gebant auro insignes et purpura pretiosa, ut qualitate
vestitus evidentius praeter ceteros apparerent. *cetera po-*
*pulea velatur fronde iuventus nudatosque umeros oleo per-* 135
*fusa nitescit:* cetera iuventus, id est nautarum, coronata
fuerat populeis frondibus oleoque perfusa. cum dicit cetera
iuventus, ostendit etiam ductores iuvenes fuisse. *considunt*
*transtris,* locis scilicet remigum. *intentaque bracchia remis:*
tenentes remos brachiorum parata virtute *intenti expectant*
*signum exultantiaque haurit corda pavor pulsans [laudum-*
*que arrecta cupido]:* et signum expectabant, quo accepto
certamen adgrederentur, et suspensis animis fuerant cogi-
tantes de victoria et laude, quorum eventus fuerat in in-
certo. *inde,* hoc est deinde, *ubi clara dedit sonitum tuba,*
*finibus omnes, haut mora, prosiluere suis, ferit aethera* 140
*clamor nauticus, adductis spumant freta versa lacertis:* in
ardore vincendi non more solito remigabant, plurimum
illis addiderat desiderium gloriae, pariter incumbebant
remis et claris vocibus personabant, usque adeo ut caelum
ipsum ingenti clamore percuterent. quod ait ferit aethera,
hoc vult intellegi, ultra ire clamores potuisse, nisi occur-
reret caelum. *[infindunt pariter sulcos] totumque dehiscit*
*convulsum remis rostrisque tridentibus aequor:* translatio-

2 *illis* L R corr. ed. 5 *vocis* R corr. r. 7 *gratiae* L R corr. r. 8 *austroque* L R corr. r. 10 *aut* L R *ut* r ed. 16 *trastris* L. 18 *laudumque* — 19 *cupido* deest in L R, sed explicatur. 21 *in-certo* L R *in i.* nos *incertus* ed. 28 *aethera* L R *ae. clamor* ed. 30 *infindunt*—*sulcos* deest in L R, sed explicatur. 31 *stridentibus* contra metrum L R ed. correxi, quia interpretatione non firmatur.

nibus collecta descriptio: lignum quippe cum infinditur, dehiscit et artatum cuneorum vi rimis praecedentibus aperitur et ager, cum aratro adpetitur, signatur sulcis et vomeris vias glaebis inversis ostendit. ita igitur aperiebatur mare transitu navium et remorum ictibus crebris. *non tam praecipites biiugo certamine campum corripuere ruuntque effusi carcere currus nec sic inmissis aurigae undantia lora concussere iugis pronique in verbera pendent:* quia ad circensium vicem exhibebatur navale certamen, conparationem de circensibus facit: non, inquit, tanta mobilitate currus equive aguntur in circo, quanta certantibus nautis navigia pervolabant. quod ait iugis, equos debemus accipere in iugo constitutos, non iuga quibus equi ipsi nectuntur. *tum plausu fremituque virum studiisque faventum consonat omne nemus vocemque inclusa volutant litora, pulsati colles clamore resultant:* finita conparatione rediit ad rem: populus, inquit, favoris ratione divisus cum pro suo streperet, voce ac plausibus personabat, in tantum ut nemus omne dissono clamore fuisset inpletum. augebat autem eundem qualitas loci natura conclusi, quae acceptas faventium voces reddendo duplicabat. *effugit ante alios primisque elabitur undis turbam inter fremitumque Gyas.* non inter turbam et fremitum effugit, sed dum populus fremit et certantes turbantur, primum locum tenuit Gyas. *quem deinde Cloanthus consequitur melior remis:* si melior remis, cur non praecessit? dicit causam propter quam non est factum: *sed pondere pinus tarda tenet:* iuvabatur, inquit, remorum meliore substantia, sed lignorum genere quibus fabricata fuerat et pondere tardabatur. *post hos,* hoc est post Gyan et Cloanthum, *aequo discrimine,* id est uno et pari interstitio, *Pristis Centaurusque,* Pristis, in qua Mnestheus fuerat, et Centaurus, cui Sergestus praeerat, *locum tendunt superare*

2 *remis* LR ed. *rimis* r. 4 *ita* om. ed. 7 *effuso* LR ed. | *cursus* R. 12 *pervadabant* ed. 14 *ipsi* om. ed. 18 *pro suo* LR *prorsus* ed. 22 *turbamque* R. 31 *pariter istitio* LR corr. ed. | *pristris*, in interpr. *pristis* LR.

*priorem:* priorem locum tenere nitebantur, sed inter se. ergo priorem locum inter duos posteriores debemus accipere, quoniam inpossibile videbatur ut tertius vel quartus excluderet primum, quem secundus transire non poterat. interea casu factum est ut Cloanthus, qui secundus fuerat, fieret primus hoc modo: nam Gyas, qui prima loca tenuerat, Menoetis inperitia deceptus est. cum enim idem Gyas eidem Menoeti dixisset *quo tantum mihi dexter abis? huc dirige cursum, litus ama,* hoc est finem saxi, *et laeva stringat sine palmula cautes, altum alii teneant,* ille vero 164
metuens saxa latentia navem in altum torsisset, Cloanthus, qui Gyae proximus fuit, arrepta spatii occasione fecit quod Menoetes timuit: nam inter saxum et navem Gyae tenens laeva iter rasit, hoc est temere iuxta saxa transitu subito praeteriit eum qui primi loci gloriabatur eventu, *et metis tenet aequora tuta relictis:* ideo aequora tuta, 171
quia in metis saxi periculum fuit, quod evaserat. *tum vero exarsit iuveni dolor ossibus ingens nec lacrimis caruere genae.* cum fortunae suffragio adeptum locum vitio inperiti hominis perdidisset, tum vero exarsit, tum magis exarsit, in tantum ut dolor illum perduxisset ad lacrimas. *segnemque Menoeten oblitus decorisque sui sociumque salutis in mare praecipitem puppi deturbat ab alta:* non, inquit, 175
habuit ante oculos suos honestum aut utile, cum omne consilium dolor ipse turbasset, sed oblitus honestatis suae et salutis sociorum rectorem, qui dedecoris culpam primus neglegendo contraxerat, praecipitem dedit in mare. *ipse gubernaclo rector subit, ipse magister:* in officium deiecti ipse succedens idem rector et magister effectus est. *hortaturque viros clavumque ad litora torquet:* torsit navem

---

3 *videbantur* LR corr. r. 9 *laevas* ed. 10 *teneant* finis lemmatis in LR *dixit — praeterit* v. 171 add. ed., sed nihil excidisse structurae tenor docet *cum — dixisset — ille vero — torsisset*, quam *cum* post *latentia* interposito mut. ed.: lemma cum interpr. Don. contexuit. 12 *fecisset* LR *fecit* corr. ed. 14 *transitus* LR *transiens* ed. 20 *cum magis* LR *tum m.* r ed. 28 *gubernacloque* R *que* del. r.

ad litus saxi, ne tertius fieret aut quartus, si illi transissent qui fuerant postremi. *at gravis ut fundo vix tandem redditus imo est:* praecipitatus Menoetes et vix et tandem emersit ex undis, ideo tandem, quia vix; fuit enim in ipso reditu eius et difficultas et mora. dicit causas difficultatis ipsius et morae: *iam senior madidaque fluens in veste Menoetes:* cadenti in praeceps ne mature posset emergere inpedimento fuerunt senectus et vestes. *summa petit scopuli siccaque in rupe resedit:* qui fuerat madidis vestibus non remeavit ad navem, sed in saxo sicco consedit. *illum et labentem Teucri et risere natantem et salsos rident revomentem pectore fluctus:* maerorem gloriae perditae ille sociis suis excusserat, cum caderet, cum emergeret, cum revomeret fluctus. *hic laeta extremis spes est accensa duobus, Sergesto Mnesthique, Gyan superare morantem:* duobus postremis spes accessit ex casu Gyae, quoniam eius mora poterat prodesse sequentibus, ut superiores efficerentur. *Sergestus capit ante locum scopuloque propinquat, nec tota tamen ille prior praeeunte carina, parte prior, partem rostro premit aemula Pristis:* propinquabat, inquit, scopulo Sergestus, sic tamen, ut non tota navis esset libera. pars quippe eius videbatur praeterisse, pars vero opprimi posterioris rostro. aemulam Pristim dixit, quae transire contenderet. *at media socios incedens nave per ipsos hortatur Mnestheus:* Mnestheus quod videret modico labore conpleri posse victoriam aut modica segnitia interire, incedens per mediam navem id est inter omnis remiges discurrens hortabatur universos ad gloriam perficiendam. *nunc nunc insurgite remis, Hectorei socii, Troiae quos sorte suprema delegi comites; nunc illas promite viris, nunc animos, quibus in Gaetulis Syrtibus usi Ionioque mari Maleaeque sequacibus undis:* admonebat eos praeteritae virtutis eorum fortia facta commemorans ac repetens

4 *emesit* L *emisit* R corr. r. 6 *et* om. ed. 8 *inmergere* LR corr. r ed. 14 *evomeret* ed. 15 *Mnestheoque* ed. 20 *pistris* LR (infra *pristim*). 23 *premi* ed. 26 *segnitia* LR *tarditate* ed. 30 *sorte suppre* L *forte supprae* R.

saepe. quod quater ait nunc et id ipsum saepe commendavit, hoc significat, quod omnis gloria interitura esset, si illud tempus, si occasio praesens laberetur e manibus. nunc, inquit, nunc insurgite, adest tempus quo fortia virtutis vestrae et gesta superioris temporis conprobetis. nunc illis animis, nunc viribus opus est quibus usi estis cum Hectoris essetis sociati virtuti quibusque multa mala et ingentia superastis, quos ego post ultimam patriae sortem comites delegi. potest et sic intellegi Hectorei socii, ut talis eos videatur dixisse, qualis Hector fuisset, quasi singuli singulos Hectores facere potuissent. denique addidit et delegi, ut ostenderet ex plurimis bonis electos esse meliores. recte eos admonet praeteritae virtutis, ut exemplis suis erigantur potius quam factis provocentur alienis. ordinatur sensus sic: nunc nunc insurgite remis, socii, ut Hectorei laudis loco positum videatur, non quod aliquando socii fuerant Hectori. usque eo laus est quaesita de exemplo virtutis Hectoreae, ut addiderit quos mihi delectos adiunxi post patriae nostrae ultimum fatum et quorum probavi virtutem plurimis locis, imitamini vos, ut quod in manus dedit fortuna conpleamus. *quamquam o!* 195 *sed superent quibus hoc, Neptune, dedisti, extremos pudeat rediisse:* licet tenuerint loca melioris cursus quibus, Neptune, suffragium ferre voluisti, victoriae genus est non redisse postremum. *hoc vincite, cives, et prohibete nefas:* si primum locum tenere nequistis, secundum saltem per-

---

6 *abimis* L. 7 *virtutibus quae* LR *v. qui* HOU ed. *virtuti quibusque* nos. 8 *ultimant* R corr. r. 16 *hectore* L. | *videat* L ‾ supra *at* man. rec. *videant* HU ed. *videat* R evidentius in *videatur* corr. r. | *quomodo* LRHOU ed. *quod* r ed. post. nos. 17 *laus* LRO *locus* HU ed. *locutus* ed. post. 17—18 *quosita de* LR *quos ita ab* ed. *quaesita de* nos. 18 *hectoriae* L *laudaret* add. ed. 19 *dilectos* L *dilectus* R *delectos* ed. 20 *plurimis longis*, sed in *locis* corr. L I man. *pl. longos* R cf. 2, 736: ergo in archet. *longis* fuit ita in *locis* correctum, ut superpositam *c o* legerit R *plurimis in locis* H ed. 24 *neptunae* R *-nus* r ed. | *voluissit* L *voluissent* R *voluisset* r ed. *voluisti* nos. 26 *nequitis* ed.

dere non debetis. superanda sunt extrema ludibria et vitandum pudoris detrimentum. ante novissimum saltem venire debemus, qui non valuimus praevenire victorem. qui socios suos cum magna laude dicebat Hectoreos magna arte excusavit a culpa non retenti primi loci, quoniam hunc Neptunum adseruit invidisse, qui in regnis suis cui voluit favit. ecce et victori praeripuit gloriam, quia non sua virtute, sed alieno adiutus auxilio loca prima possederat. *olli certamine summo procumbunt, vastis tremit ictibus aerea puppis:* quantum valuerint hortamenta describuntur. illi enim non in cassum auditis quae dicta sunt dederunt labori operam, in tantum ut navis ipsa nisibus fortissimis contremisceret. aeream navem dixit aere adornatam et communitam. *subtrahiturque solum:* sic intenti plenis studiis remis incumbebant, ut nihil praeter se et navem viderent, ceterum prolixitas saxi cernebatur ex litore et e saxo apparebat soliditas †fretum.
200 *tunc creber anhelitus artus aridaque ora quatit, sudor fluit undique rivis:* remigum laborem accidentibus contrariis expressit. os, inquit, habebant siccum, ex eorum vero corporibus fluebant sudores rivis, quasi ex interiore corporis parte umor omnis, qui per ora omnium soleret mitti, per sudoris fluxum videretur effundi. ad virtutis ingenitum robur ecce quantum in rebus hortamenta proficiunt. *attulit ipse viris optatum casus honorem:* faciebant quidem quod vincendi cupiditas exigebat, sed illis ad effectum plus contulit casus. *namque furens animi:* dicendo ac praemittendo furens animi aliquid iste inconsiderate reperietur fecisse. *dum proram ad saxa suburget interior*

10 *aera pupis* LR. 11 *describuntur* LR ed. *describitur*? | *aditis* LR *auditis* r ed. 13 *contremesceret* L. 17 *solliditas fretum* LR *fretum* om. ed. *soliditas fretum* = omnis ambitus fretorum? sed totum obscure dictum, unde q̄ (= quaere) in marg. adnotasse videtur r crucem nos. 21 *sudores* om. R add. r. 22 *omnium soleret* L cum ras. in *o* R, sed r hoc scripsisse videtur R vacuum reliquisse: *omnium* minime placet, fortasse *hominum solet.* 27 *contulit casus* LRO *contingit c.* H *contigit c.* U *contigit* sine *casus* ed.

*spatioque subit Sergestus iniquo, infelix saxis in procurrentibus haesit:* dum inter saxum et navem Sergestus transire contendit, non vidit saxa procurrentia et his inhaesit. procurrentia saxa sunt quae latenter a radicibus eminentis saxi in mare tenduntur. haec ille utpote furens videre non potuit et, ut dictum est, haesit. *concussae* 205
*cautes*: tantus navis impetus incautis remigibus fuit, ut percussae cautes intremuissent. *et acuto in murice remi obnixi crepuere:* cum obnixi remis luctantibus tenderent, inpulsa navi meritoque non cedentibus saxis crepuerunt remi. *inlisaque prora pependit:* prora, hoc est prima pars navis, saxum conscendit cetera parte suspensa. *consurgunt nautae et magno clamore morantur:* dum clamant, fecerunt moras navi liberandae. *ferratasque trudes et acuta cuspide contos expediunt fractosque legunt in gurgite remos:* non idem omnia faciebant: namque alii expediebant contos liberationi navis necessarios et trudes hoc est quibus inhaerens saxo excludi navigium et retrorsum revocari potuisset, alii legebant remorum fragmenta. verbo nautico ut plurimis locis usus est: nam legere dicunt colligere vel aliqua loca navigando transire, ut (3, 532) „vela legunt socii", item (3, 292) „litoraque Epiri legimus". *at laetus* 210
*Mnestheus successuque acrior ipso:* laetus fuit Mnestheus quod optata tenuisset et inde magis, quia senserat sibi favisse fortunam. successus autem ipse non veniebat nisi ex malis alienis. *agmine remorum celeri ventisque vocatis prona petit maria et pelago decurrit aperto:* prona maria, inquit, quasi non ipsa essent per quae et transierant aut possit fieri ut sint maria devexa. non hoc sensit, sed facilitatem reditus voluit demonstrare. pronum enim dicimus quicquid difficultatem non habet et arduum quicquid difficile superatur. *qualis spelunca subito commota columba, cui domus et dulces latebroso in pumice nidi, fertur in* 215

8 *intremuissent* LR *intervenissent* U ed. 14 *trudes* LR *sudes* U ed. (item infra). 18 *includi* LR ed. *excludi* nos (sic *in* pro *ex* 179 et *excludi* pro *amoveri* 2). 28 *qua et* LR *quae* sine *et* ed. 30 *redditus* LR. 32 *difficulter* ed.

*arva volans plausumque exterrita pinnis dat tecto ingentem, mox aere lapsa quieto radit iter liquidum celeris neque commovet alas: sic Mnestheus, sic ipsa fuga secat ultima Pristis aequora, sic illam fert impetus ipse volantem:* celeritati feliciter currentis navis recte volatum columbae conparavit; tunc enim acrius volat, cum ad naturalem mobilitatem aliquis ei pavor accedit. hac conpleta con-
220 paratione redit ad rem: *et primum in scopulo luctantem deserit alto Sergestum:* tanta est subtilitas recedentis descriptione et post parabolam redeuntis, ut, si subtrahas parabolam, iunctum invenias carminis textum. denique ante dixit „at laetus Mnestheus successuque acrior ipso agmine remorum celeri ventisque vocatis prona petit maria et pelago procurrit aperto“ et iam post parabolam iunxit quae describebat: et primum in scopulo luctantem deserit alto Sergestum *brevibusque vadis frustraque vocantem auxilia.* deseruit constitutum in saxo, deseruit constitutum in vadis, deseruit frustra vocantem auxilia, quia volebat vincere qui poterat subvenire: idcirco frustra ad auxilium ferendum vocabatur; plus enim sibi auxiliari debuit quam alteri. *et fractis discentem currere remis:* huc quoque pertinet deserit; nam deseruit Sergestum luctantem cum saxo, quod navem tenaciter retinebat, et meditantem ex necessitate rem novam, ut navis eius sine remorum adminiculis curreret. *inde Gyan ipsamque ingenti mole Chimaeram consequitur: cedit, quoniam spoliata magistro est:* et factum explicavit et facti causam. cessit, inquit, Gyas, quia Chimaera navis eius magistrum non habebat. transiit igitur unum saxis infixum, alterum vero, quia magistrum

---

5 *celeritate* LR *-tem* ed. | *volatum* LR *-tui* ed. 7 *accidit* LR *accedit* ed. | *haec* LR *hac* r ed. 9 *e descriptione* ed. 11 *tunctum* LR *iunctum* r *tunc* ed. 14 *procurrit* LR *decurrit* supra: potest Donati error esse. 15 *scopulis* LR (supra *scopulo*). 16 *altos egestum* LR (supra recte). 19 *qui poterat* LR *quia poterat* HOU *quia non p.* ed. 22 *cum* LR *in* ed. 26 *cessit* in lemmate *cedit* in interpr. ed. 28 *transiit* LR *praeteriit* ed.

non habuit, supererat solus Cloanthus. hunc petebat sperans quod etiam ipsum transire posset. denique ait *solus iamque ipso superest in fine Cloanthus, quem petit et summis adnixus viribus urget.* in desperatione sequentis victoria fuit, quoniam consumpta pelagi spatia fuerant et transire volentibus prolixitas fuerat necessaria, in qua remigum virtus proficere potuisset. non defuit tamen instantia, ut opponeretur per industriam quod artatum iter angustiis pernegabat: *tum vero ingeminat clamor cunctique sequentem instigant studiis resonatque fragoribus aether.* conanti transire magis favebat spectantium turba, quia posse videbatur. tantus autem fragor fuit, ut ipso aethere percusso resonaret vox populi. ergo hoc studio spectantes ducebantur. videamus quemadmodum certantium gesta describat. *hi proprium decus et partum indignantur honorem ni teneant vitamque volunt pro laude pacisci:* qui locum primum tenebant hunc ne amitterent laborabant itaque ducebantur gloria, ut hanc saluti suae praesumerent praeponendam. *hos successus alit, possunt, quia posse videntur:* alterius navis viros, qui primum locum praeripere nitebantur, erigebant res secundae et fortunae suffragium, eo magis quod videbantur ausus suos posse conplere. quanto enim ludibriosum est partam gloriam e manibus perdere, tanto est gloriosum adquirere desperatam. *et fors aequatis cepissent praemia rostris,* pares scilicet ad palmam forsitan venissent, *ni palmas ponto tendens utrasque Cloanthus fudissetque preces divosque in vota vocasset,* nisi victoriam, quae utrique posset esse communis, praevenisset Cloanthus precibus suis et supplicibus manibus deos adhibuisset in vota. haec praedicendo ostendit poeta ipsum futurum esse victorem. *dii, quibus imperium est pelagi, quorum aequora curro, vobis laetus ego,* hoc est si laetus de pro-

---

8 *opponeretur* LR ed. *obtineretur?* 14 *videamus* LR *v. nunc* ed. | *gesta* LR *facta* ed. 17 *aque* LR *atque* rO *eaque* HU ed. *itaque* nos. 23 *ludibriosum* LR *laboriosum* U ed. 24 *coepissent* LR. 29 *praecibus fuisset* LR *precis fudisset* r *precibus suis et* HOU ed. 31 *est* om. ed.

ventu victoriae fuero, *hoc candentem in litore taurum,*
hoc est candidi coloris taurum et addendo candentem
ornavit munus suum, minueret autem, si diceret bovem et
taceret de colore, *constituam ante aras voti reus extaque*
*salsos proiciam in fluctus et vina liquentia fundam.* illic
vobis candido tauro sacrificium faciam ubi gloriosus ex-
titero, utpote manifeste pollicitationis reus et debitor,
vina etiam fundam et animalis exta fluctibus tradam.
240 *dixit, eumque imis sub fluctibus audiit omnis Nereidum*
*Phorcique chorus Panopeaque virgo et pater ipse manu*
*magna Portunus euntem inpulit:* in causa sua deos in-
vocavit et audiri commeruit. denique in tantum omnes
dii maris et ipse Portunus favit, ut navem suis inpelle-
rent manibus, quo celerius pervenirent. *illa noto citius*
*volucrique sagitta ad terram fugit et portu se condidit alto:*
tantum roganti deorum maris auxilium profuit, ut navis
cursus velocior ventis et sagittae volatibus provenisset:
denique prima tenuit litus et ad palmam prima perducta
est. *tum satus Anchisa cunctis ex more vocatis:* cunctos
vocavit, sed praesentis, ceterum non erant omnes; tene-
245 batur enim Sergestus, qui inhaeserat saxis. *victorem magna*
*praeconis voce Cloanthum declarat viridique advelat tem-*
*pora lauro:* hoc non fuit praemium, sed insigne victoriae.
*muneraque in navis ternos optare iuvencos vinaque,* et haec
extra praemium fuerant quae edendo vel bibendo consumi
potuerant, *et argenti magnum dat ferre talentum,* hoc fuit
quod augere rem familiarem potuit et praemium videri,
alia tamen communia navibus fuerant. *ipsis praecipuos*
*ductoribus addit honores:* praecipua dicuntur quae praeter
communionem singulis proprio nomine deputantur, ut fit
saepe in testamentis, cum aliqua per praeceptionem singu-
250 lorum heredum censuerit esse testator. *victori chlamydem*

---

5 *proiciam* LR *porriciam* ed. 7 *manifeste* LR *-stae* r edF. | *reos* LR corr. r ed. 12 *audire* LR corr. r ed. 14 *pervenirent* LR *praev.* ed. 24 *optare* LR *aptare* ed. 25 *extra* LR edI *extrema* edF. 31 *per praeceptionem* LR corrupit ed. 32 *testatur* L.

*auratam, quam plurima circum purpura Maeandro duplici Meliboea cucurrit intextusque puer frondosa regius Ida velocis iaculo cervos cursuque fatigat acer, anhelanti similis, quem praepes ab Ida sublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis: longaevi palmas nequicquam ad sidera tendunt custodes saevitque canum latratus in auras:* laus chlamydis dicta est propter honorem dantis meritumque victoris, laudatae species quibus illa confecta est, aurum scilicet copiosum et purpura pretiosa, ars quoque et artificum manus, qui veritatem sic fuerant imitati, ut mutae et inanimales formae vivere ac moveri viderentur. in praemiorum autem liberalitate multis generibus largitor ipse laudatur, qui habere talia potuerit vel donare. in ipsa donatione consideratur Aeneae pietas iuxta paternam memoriam, quoniam ob eius honorificentiam tanti meriti munera donabantur. in hac igitur chlamyde raptus ad caelum per aquilam Ganymedes videbatur, apparebant canes persequentes latratibus dominum, quem iam in aeris altitudinem raptum liberare non poterant, custodes quoque sic tendentes manus ad sidera, quasi retinere possent quem fortissimae alitis tenaces amplexus innoxia subtilitate portabant. *at qui deinde locum tenuit virtute secundum levibus huic hamis consertam auroque trilicem loricam.* unum genus laudis, hamis, inquit, levibus hoc est minutis et omni subtilitate perfectis fuerat nexa, texta trilici opere et, quae est secunda laudatio, admixto auro splendens. ecce et fortis fuit et pulchra, sequitur aliud quod illa omnia cumularet: *quam Demoleo detraxerat ipse victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto.* hanc, cum Demo-

---

5 *tendunt* LR *tollunt* ed. 8 *laudata* LR *laudat* HU ed. *laudatae* nos. 11 *inanimales* L *animales* R corr. r *inanimatae* ed. 13 *haberet alia poterit vel donare* L *habere talia* R *potuerit* r temere mut. ed. 14 *pietas* deest in LR add. ed. (r in marg. *largitas* vel neque adscripsit aliam coniecturam). 16—17 *ad caelo* L *ad caelum* R *ad caelos* HU ed. 25 *trilici* L *triplici* R. 26 *quae* LR ed. *et quae* nos, quia secunda laus posita est in auro, ut etiam ex interpr. ad 262 apparet. 28 *quam* LR *qualem* ed. 29 *simonta* L.

leum superasset apud Ilium, victoris iure sustulerat, quod non faceret, nisi illum speciei qualitas et meritum provocasset. *donat habere viro decus et tutamen in armis:* donat, inquit, viro, ut congrueret persona cum specie. digno istam viro contulit, ut in armis hoc est in bello et pulcher esse posset et tutus, tutus per trilicem facturam et hamorum nexus, pulcher, quia auro fulgebat. *vix illam famuli Phegeus Sagarisque ferebant multiplicem conixi umeris, indutus at olim Demoleos cursu palantis Troas agebat:* adhuc in augmentis est laudis, satis Demoleum praeferens, qui hanc primus habuit, Aenean quoque, qui occidisset talem et tanti ponderis speciem occiso detrahere aut solus portare valuisset, cum ipse quoque esset armatus. nec minus etiam illum cui donabatur huic nexuit laudi, quoniam credebatur molem tantam posse perferre. haec igitur cum traderetur, vix illam tulerunt duo servi, nec solis manibus verum etiam umeris. tantum autem Demoleus potuit lacertis atque virtute, ut hanc indutus habuisset pro levi et cursu fugientis ageret Teucros. non ad Troianorum crimen pertinebat quia uno insequente fugiebant, sed Aeneae praedicatio cumulata est, qui eum stravit quem timuerant omnes. *tertia dona facit geminos ex aere lebetas cymbiaque argento perfecta atque aspera signis:* qui tertio loco convenerat, congruum munus accepit, quamquam et hoc fuerit pretiosum; ornabatur quippe argenti materia et subtilitate artis. *iamque adeo donati omnes opibusque superbi puniceis ibant evincti tempora taenis:* vult ostendere quantis moris inplicatus Sergestus veniret: iam, inquit, omnes qui venerant muneribus ditati discesserant et incedebant vincta habentes tempora taenis

---

1 *hanc* post *Ilium* repetit R del. r. 4 *donat inquit viro* om. R in marg. add. r′. 5 *digno istam* L ed. *digna isto* R fortasse *dignam istam*? 6 *per* LR *propter* ed. 9 *veneris* pro *umeris* L. | *et olim* LR. | *demoleo* L *-leus* R. 10 *demolem* L *-leum* R. 21 *aeneae* LR *ae. laudis* ed. 23 *lebatas* L. 26 *materiae* L. 28 *taeniis* ed. 30 *vincta habentes* R *h. v.* L ed.

puniceis, hoc est vittis russeis. quod dixit omnes, ad tris refertur qui praesentes aderant, non ad quattuor, quia nondum venerat Sergestus. *cum saevo scopulo multa* 270
*vix arte revulsus amissis remis atque ordine debilis uno inrisam sine honore ratem Sergestus agebat:* multa congessit quae tarditatem illius ludibriosumque reditum demonstrarent. sic, inquit, saevo inhaeserat saxo, ut plurima arte vix navis liberari valeret. veniebat autem inrisus perdita totius certaminis gratia; agebat enim navem remorum suorum amissione deformem. quod dixit Sergestus agebat, cum remos non haberet, intellegi voluit poeta quod Sergesti manibus duceretur, ut sic saltem pervenire potuisset. *qualis saepe viae deprensus in aggere serpens,*
*aerea quem oblicum rota transiit aut gravis ictu seminecem* 275
*liquit saxo lacerumque viator, nequicquam longos fugiens dat corpore tortus:* tortus accusativum pluralem posuit, ut non serpens videatur tortus, sed, cum se torqueret ex vulneris causa, tortus corporis lacerati fecisset hoc est inflexiones, ut sit hos tortus. *parte ferox ardensque oculis et sibila colla arduus attollens, pars vulnere clauda retentat*
*nixantem nodis seque in sua membra plicantem. tali re-* 280
*migio navis se tarda movebat:* sic, inquit, movebatur navis exarmata remorum subsidiis, quomodo solet uno in loco remanere serpens volubilis rotae transitu debilis redditus aut viatoris ictu percussus, cum exagitatus vulneris causa in cassum saevit et in sese volvitur nec usquam progreditur. *vela facit tamen et velis subit ostia plenis:* ne tamen ceteris voluptatibus maiores faceret moras, velis pervenit flatibus oportune iuvantibus, faciens contra nauticam disciplinam necessitatis causa; nullus enim nauta

---

1 *punicis* LR (supra recte). | *russeis* L *roseis* R r = L *rubeis* ed. 3 *saevo* LR *s. e* ed. 10 *secestus* L. 13 *deprehensus* ed. 17 *ut non* LR *ne* ed. 20 *colla* L *corda* R r = L. | *cauda* L *tarda* R. 21 *nexantem* R. | *tali* LR *talis* ed. 23 *quomodo* LR *uti* ed. 25 *cum — causa* om. R add. in marg. r′. 29 *pervenit* LR *praevenit* ed. 30 *necessitatis causa* L *necessitate cogente* R r = L.

plenis velis venit ad terram, sed cum adhuc in alto est, deponit vela et navigium ad litus remigando perducit. quodquia iste non habuit remos, velis plenis subit ostia, quod fuit periculosum. *Sergestum Aeneas promisso munere donat:* cum non esset meritus praemium sumere, dicitur accipiendi causa, ne Aeneae iudicium claudicaret: *servatam,* inquit, *ob navem laetus sociosque reductos:* non ergo idcirco, quia meruit sumere qui novissimus et ludibriosus venerat, sed quia post gravem casum integris navigio et sociis remeavit. laetus igitur Aeneas ex eo promissum munus ac propositum dedit. *olli serva datur operum haut ignara Minervae,* hoc est non nesciens lani-
285 ficium, sed perita, *Cressa genus, Pholoe, geminique sub ubere nati:* omnia praemia cum suis laudibus posuit: videamus ancillae istius quibus rebus sit conpleta laudatio, scilicet quae mulieris personae conveniant: et lanificium, inquit, noverat et fuit plus quam fecunda; nam duos ferebat ad ubera, quos uno partu genuerat; fuit autem Cressa, quasi tali regione veniens quae praecipuas feminas mitteret.

*Hoc pius Aeneas misso certamine:* misso, non dimisso dixit quasi relicto, sed confectis liberalitatibus expedito. *tendit gramineum in campum:* transitum facit ad aliud certaminis genus descripto superiore cum admiratione magna. hoc enim cum esset leve, addidit ei gratiam inserendo varios eventus ipsius certaminis et casus aliquantos describendo, ceterum, si simplicem descriptionem inmitteret nec ullus existeret casus aut ulla contentio, nulla existeret gratia. transit ergo ab hoc spectaculorum genere ad gramineum campum hoc est vacuum ab omni fructu, ne esset domino detrimentum, si illum populus obtereret pedibus suis. *quem collibus undique curvis cingebant silvae,*

---

3 *quodquia* LR *quia ergo* ed. | *habuerit* edF[1] *-uerat* ed. post. 7 *laetus* om. R add. in marg. r. 8 *idcirco* L *inquit* R. 10 *remearit* edF. 12 *lanificii* ed. 19 *religione* HU ed. corr. ed. post. 26 *ipsi* L. | *aliquantus* L *-tos* R *aliquot* ed. 31 *obtegeret* LR ed. *obtereret* nos.

*mediaque in valle theatri circus erat:* non illic theatrum aedificatione conpositum fuit aut circus, sed natura illum locum in morem theatri conposuerat, theatrum enim dici potest unde spectari quid possit. montes igitur circumdederant planitiem campi atque ita theatri imaginem dabant, plana autem circi vicem poterant exhibere. gramineum in campum etiam sic possumus sentire: aptum cursibus et cursuris oportunum ac per hoc non calculosum, sed mollem, in quo nudis plantis curri potuisset omnibus submotis inpedimentis. campi igitur planities fuit, quae spatium conpetens certaturis daret. cingebatur illa inflexis montibus, ut quae in plano exhiberentur ex summis partibus videri potuissent. *quo se multis cum milibus heros consessu medium tulit extructoque resedit:* ad hunc campum 290 deductus Aeneas comitibus multis et multis hominum milibus venit et ubi extructum habuit sessum in sublime sese attollens resedit. non dixit sedit, sed resedit, quod significat iterum sedit. sed cum antea in illo loco non sedisset, quomodo iterum sedit? non ita est, sed quia sedens praefuit navali certamini, mutato loco recte dictus est resedisse hoc est iterum sedisse. *hic, qui forte velint rapido contendere cursu, invitat pretiis animos et praemia ponit:* promissione quippe et propositione praemiorum augebatur certare volentibus studium et exoriebatur cupiditas dubitantibus vel invitis. ecce quantum profuit propositio praemiorum: *undique,* inquit, *conveniunt Teucri mixtique Sicani, Nisus et Euryalus primi:* *fortem et formosum* dicitur diversitas populi, Troianorum scilicet et Siculorum; verum enim certamen existere non posset inter eos qui uno sanguinis consortio vel eadem societate tenebantur. quod autem a generali coeuntium multitudine transiit maturius

---

2 *aedificatio* L *-one* R. 3 *theatrum* — 4 *possit* om. *vera* substituit ed. 4 *igitur* LR *ergo* U ed. 8 *calculosum* LR *durum* ed. 14 *consensu* L. 16 *habuit* om. R add. in marg. r′. | *sensum* L. 21 *hoc* — *sedisse* om. ed. 27 *fortem et formosum* LR loco alieno, fortasse post *demonstrare* p. 456, 3 transponendum, om. ed. 29 *enim* om. ed.

ad specialem significationem Nisi et Euryali, occasio intellegitur fecisse: nonnullo merito cunctis fuisse potiores voluit demonstrare. describit iam singulos, ut non vacet quod
295 eos a ceteris separavit. *Euryalus forma insignis nitidusque iuventa:* ut apertius ostenderet non accuratione aliqua fuisse, sed aetatis bono, insignis, inquit, fuit forma et iuventa pulcher Euryalus. *Nisus amore pio pueri:* subauditur de superioribus insignis. ornabatur, inquit, Nisus, quia pio amore diligebat Euryalum. addidit amori pietatem, ne Euryalum forma insignem et aetate praestantem amore turpi Nisus diligere videretur. *quos deinde secutus regius egregia Priami de stirpe Diores:* post hos processit Diores, ipse quoque Troianus; nam de gente Priami fuit praeclara et magna. *hunc Salius simul et Patron:* hunc, hoc est Dioren, secutus est Salius, secutus etiam Patron. *quorum alter Acarnan, alter ab Arcadia Tegeaeae sanguine gentis*: alterum dixit Salium qui esset ab Acarnania (ipsum enim primo nominavit), alterum qui esset Patron ab Ar-
300 cadia magnae gentis. *tum duo Trinacrii iuvenes,* id est in Sicilia geniti, *Helymus Panopesque, adsueti silvis, comites senioris Acestae:* qui essent adsueti silvis perindeque durati ad laborem et digni qui Acesti comites iungerentur, cum ipse quoque venandi causa iret ad silvas. adsuetos dixit frequenter euntis ad silvas. *multi praeterea, quos fama obscura recondit:* a generalitate veniens, qua dixit undique conveniunt Teucri mixtique Sicani, ad generalitatem rediit dicens multi praeterea, quos fama obscura recondit. hoc dicendo ostendit primos fuisse quorum nomina posuit; qui enim dixerat (107) „laeto conplerant

---

1 *occasio intellegere* LR *o. intellegitur* r. | *occasio* — 3 *demonstrare* temere mut. ed. 4 *nitidusque* LR (cf. 2, 473) *viridique* ed. et Verg. libri, sed nihil mutandum esse *pulcher* in interpr. docet. 6 *bonos insignis* LR *bono insignem* cum prava distinctione ed. 7 *iulus* R *euryalus* r = L. | *puer* L. 13 *fuit* om. R add. r. 14 *hinc* R. 16 *acarnan alter* R *carnaliter* L. | *tegeae* LR. 17 *acaiania* L *arcadia* R corr. r. 18—19 *Arcadiae magna gente* ed. 20 *aduetis* L. 24 *silvam* R. 29 *conplerent* L.

litora coetu“ inmemor sui factus derogaret etiam ludorum celebritati, si tanti viderentur ad subeunda certamina convenisse, qui cum nominibus suis enumerari potuissent. *Aeneas quibus in mediis sic deinde locutus:* voluit Aeneas hos adloqui, ut hortatu suo etiam volentis inpelleret et scirent labori suo vicissitudinem munerum esse praeparatam. *accipite haec animis laetasque advertite mentes:* magna principia, quae pararent praesentis ad audiendum: audite, inquit, plenis animis, quia laeta estis vestris sensibus meis insinuationibus condituri. *nemo ex hoc numero mihi non* 305 *donatus abibit:* quam cito et quanta brevitate mentem propriae liberalitatis expressit! et volentis securos reddidit et qui forsitan dubii venerant et incerti benignitate ipsa liberalitatis suae magna pollicendo firmavit omnibus munera spondens nec quemquam adserens a suis fore largitionibus alienum; cum enim fieri non posset ut omnes victores existerent, omnibus tamen donaturum se esse promisit, ut et victores sperarent victoriae commodum et victi scirent sese cum aliquantis muneribus recessuros. *Gnosia bina dabo levato lucida ferro spicula caelatamque argento ferre bipennem. omnibus hic erit unus honos:* omnibus, ait, simile erit donum, victoribus scilicet, et par in largitione meritum. *tres praemia primi accipient:* tres, inquit, accipient praemia qui fuerint primi. *flavaque caput nectentur oliva:* illic ubi omnis posuit hos aequaliter se dixit muneraturum, hic excepit tris atque illis munera pollicetur qui primi existere potuissent, hoc est quibus alios praevenire contingeret, ut praemia perciperent et coronam, scilicet ut alterum cederet commodo, alterum digni-

2 *tanti* LR *tot* ed. 3 *cum* om. ed. | *numinibus* L. 9 *quia laeta estis* LR *quum laetitia* ed. | post *sensibus* ras. sex litterarum in R. 10 *condituri* R *conditur* L *immittitur* ed. 14—15 *numerans ponderis* LR *munera pollicens* r *m. promittens* ed. *m. spondens* nos. 15 *fore larg.* L ed. *larg. fore* R. 16 *et cum enim* LR *et* del. ed. 18 *victis* L. 19 *esse* L ed. om. R *sese* nos. | *aliquot* ed. 22 *et victis* post *scilicet* excidisse videtur. 25 *posuit nos* L *nos* om. R *p. omnes* ed. *p. hos* nos.

310 tati. *primus equum phaleris insignem victor habeto:* ex tribus primis qui primo loco fuerit accipiet equum et phaleris insignem. *alter,* hoc est secundi loci, *Amazoniam pharetram plenamque sagittis Threieiis, lato quam circum amplectitur auro balteus et tereti subnectit fibula gemma, tertius Argolica hac galea contentus abito.* equum ergo promisit phaleratum, cui ex ornatibus pretiosis addidit meritum, pharetrae vero, quod aliquando fuerit Amazonum, quod sagittis Threiciis plena, quod aurato balteo, galeae,
315 quod retracta hostibus fuisset. *haec ubi dicta, locum capiunt:* eum scilicet unde initium certaminis nasceretur. *signoque repente corripiunt spatia audito limenque relinquunt effusi:* ex illo loco effusi limen relinquunt, non quo vere esset illic limen ubi aedificium non fuit, sed quasi in ianuis sic stabant indeque effusi sunt. *nimbo similes:* fusi sunt, inquit, simul omnes ut nimbus, cum congestis simul pluviis uberrimus venit. *simul ultima signant:* designabant locum qui finem cursibus daret. *primus abit longeque ante omnia corpora Nisus emicat et ventis et fulminis ocior alis:* ex illis qui cursus certamen fuerant ingressi praecesserat Nisus longissimo spatio relictis aliis; tanta quippe eius celeritas fuit, ut vinceret ventos et cur-
320 sus fulminis superaret. *proximus huic, longo sed proximus intervallo, insequitur Salius, spatio post deinde relicto tertius Euryalus:* dixit Salium Niso proximum fuisse, sed longo intervallo. quodsi non altius descriptio consideretur, videbitur non cohaerere, ut idem ipse et proximus fuerit et longo intervallo discretus. addidit spatio post deinde relicto tertius Euryalus et aperuit quod fecerat obscurum: spatium enim considerari voluit quod inter Nisum et Euryalum fuit, Salium vero, qui medius inter duos fuerat,

---

1 *ecum* L *equum* R. | *abito* L. 4 *Threiciis* om. R add. r. 6 *habito* LR corr. r. 8 *pharetra* ed. 9 *galea* ed. 10 *retracta* LR *ex Graecis* ed. 11 *cum* L om. R *locum* ed. *eum* nos. 13 *non quod* ed. 16 *inquit simul* L *simul inquit* R. 24 *saiis in* pro *Salius* L. 25 *sed longo* LRO *sed proximo* HU edI *sed proximum longo* edF.

magis Niso proximum fuisse quam Euryalo, licet adhuc plurimum restaret, scilicet ut quod ante Salium fuerat non tantum prolixum fuisset quam fuit quod a tergo inter ipsum et Euryalum tendebatur. Primus igitur fuerat Nisus, secundus Salius, Euryalus tertius. spatium quo Euryalum praecesserat Nisus tenebat Salius medium, sic tamen ut praecedenti Niso magis quam sequenti Euryalo proximus videretur. *Euryalumque Helymus sequitur, quo deinde sub ipso ecce volat calcemque terit iam calce Diores:* Euryalum sequebatur Helymus, Helymum Diores atque ita, ut calcem praecedentis posterior tereret, hoc est tantum proximus priori posterior fuit, ut pedes eius, dum coniunctus sequeretur, obtereret. *incumbens umero:* praeter pulsum pedum umero quoque trudebat perdurantem. *spatia et si plura supersint, transeat elapsus prior ambiguumque relinquat:* quamquam plura spatia restarent quibus transire potuisset, nitebatur tamen, ut certum de spe victoriae faceret incertum. *iamque fere spatio extremo,* scilicet quo ad palmam potuit perveniri, *fessique sub ipsam finem adventabant, levi cum sanguine Nisus labitur infelix:* levi cum sanguine, quem terra non bibisset et inter herbas congelatus superesset, labitur infelix, utpote qui casu perdidisset virtutis insigne. causa sanguinis effusi dicitur: *caesis ut forte iuvencis fusus humi viridisque super madefecerat herbas:* duae fuerunt lapsus causae, herba viridis et superfusus sanguis. iam, inquit, definita currentibus spatia conplebantur perindeque Niso non multus ad inplendam gloriam supererat labor, cum subito infelix lapsu super sanguinem concidit et deceptus perdidit palmam. *non tamen Euryali,*

---

3 *tantum* LR ed. *tam* r an *quantum* pro *quam*? 7 *praecedente* L. 13 *fulsum* LR *pulsum* r *proximitatem* ed. 16 *quamquam plura* LR ed.: legitne Don. *etsi*? an *non plura* emendandum est? utrumcunque admiseris, obscura erit interpretatio. | *potuissent* R. 17 *nitebatur tamen* om. R add. in marg. sive ipse sive r. 22 *perdisset* L. 23 *dicitur* om. ed. 24 *humi* LR *humum* ed. et optimi Verg. libri. 27 *multos* L. 29 v. 331—333 *hic — cruore* non extant in LR add. ed.: antecedenti lemmati potius adiecissem, si explicarentur.

335 *non ille oblitus amorum: nam sese opposuit Salio per lubrica surgens, [ille autem spissa iacuit revolutus harena]:* Nisus post deceptionem lapsus sui non invidens, si quod ipse perdiderat consequeretur Euryalus, quem amabat, non omisit iuvandi occasionem; nam cum ex lubrico surgeret, obiecit se Salio venienti, et cum ipse nitendo cupit attolli, illum fraude proveniente deiecit. propter hanc causam superius praemisit amorem magnum inter Nisum et Euryalum fuisse; huius enim memor in Salii deceptione Euryali partis Nisus adiuvit. *emicat Euryalus et munere victor amici prima tenet:* de tertio primus effectus Euryalus emicabat utpote victor, sed hoc illi amicitia fidelis Nisi contulerat. *plausuque volat fremituque secundo:* huius cursum tantum fovebat populi favor, ut ille non tam currere videretur, sed volare. *post Helymus subit et nunc tertia palma Diores:* ac per hoc cadentibus Niso et Salio primus Euryalus factus est, secundus Helymus, tertius
340 Diores. *hic totum caveae consessum ingentis et ora prima patrum magnis Salius clamoribus inplet:* perseveravit in eo ut locum, quem supra circum et theatrum dixit, nunc caveam diceret. constat enim etiam caveam dici quod inclusos spectatores teneat. ingens ergo spectaculi illius spatium et primum cunctorum ora maiorum Salius clamoribus magnis oppleverat. iam aestimandum est quales illius hominis clamores fuerint, quando magnitudo illa spectaculi inpleta est et spectantium repletae sunt aures. *ereptumque dolo reddi sibi poscit honorem:* ars agendi plenissima exercebatur, quia negare non poterat se victum esse. fatebatur hoc ipsum, sed fraudem sibi dolo quaesitam iustissime querebatur perindeque inplorabat honorem, quem adipisci potuerat, si nullius extitisset inpedimentum. bene definiit poeta quid sit dolus: sicuti enim interpretatio eius

---

1 *sese* LR *se* ed. 2 *ille — harena* deest in LR, sed explicatur. 6 *alio* L *s* add. man. rec. | *cum* LR *dum* ed. 14 *tam* LR *solum* ed. 15 *viderentur* L. | *solare* L. | *et* in lemmate om. ed. 22 *illius spectaculi* R. 29 *quaesitam dolo* R. 32 *definit* R. | *sicuti* LR ed. corruptum puto, quia

prudenti exitu disputationis expressa est, dolus est cum aliud agitur, aliud simulatur. finxit enim Nisus se velle erigere post casum, non ut vere resurgeret, sed ut deciperet transeuntem. ergo iure Salius honorem amissum inplorabat, quoniam hoc genere deceptis non inique subvenitur. *tutatur favor Euryalum lacrimaeque decorae:* faciebant pro Euryalo haec magis gratiosa quam vera, favor populi, qui studio semper, non veritate ducitur, et lacrimarum miseratio, quae in iudiciis veris et integris retinere non debent locum. *gratior et pulchro veniens in corpore virtus adiuvat:* tertia eum virtus pulchritudini 345
mixta adiuvabat. non veniens virtus in corpore accipiendum est, quoniam erit vitium, sed ordinato sensu quid intellegendum sit requirendum, ut verborum patescat integritas. tutatur Euryalum gratior veniens favor lacrimaeque decorae et virtus pulchro in corpore tutatur, ut sit tutatur favor Euryalum, tutatur virtus. lacrimae, inquit, decorae: tanta vis pulchritudinis eius fuit, ut ornaretur fletibus suis, qui soliti sunt pulchritudines egregias deformare. huic loco Terentianum convenit dictum (Phorm. 1, 2, 54): „virgo“, inquit, „pulchra, et quo magis diceres, nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem: capillus passus, nudus pes, ipsa horrida, lacrimae, vestitus turpis, ut, ni vis boni in ipsa inesset forma, haec formam extinguerent“. revera enim ipsa est incorruptibilis pulchritudo quae tunc quoque inviolata perdurat, cum pulsatur adversis et sui detrimenta non sentit. *[et magna proclamat voce Diores]:*

---

de doli interpretatione nec apud Donatum nec apud Vergilium disputatur: *sicubi* scribendum videtur, ut sit sententia: ubicunque inter prudentes quid sit dolus disputatum est.
2—3 *se velle erigere* LR ed.: aut alterum *se* excidit aut *exurgere* scribendum est. 3—4 *transeuntem deciperet* R. 5 *deceptionis* R *deceptis* r = L. 7 *quea* pro *quam* R corr. r. 11 *tertia* LR *tertio* edF. 12 *non veniens* etc.: similiter vitium opinatum ordinato sensu removere sibi videtur 6, 339. 15 *gratior* R *gravior* L. 16 *corpore* R *opere* L. 17 *favore* L. 23 *ni vis* LR *quicquid* ed. 24 *inesset* L *esset* R r = L. 27 *et — Diores* deest in LR, sed explicatur.

*qui subit palmae frustra? qui ad praemia venit ultima, si primi Salio redduntur honores?* de numero quinque hominum qui cursu contenderant lapsus Nisus remansit, Salius dolo deceptus cecidit, Euryalus primus venit, secundus Helymus, Diores tertius. Aeneas primo, secundo et tertio proposuerat praemium, tres igitur fuerant munerandi, trium sors ex eventu provenerat uno casu lapso, altero deiecto per dolum: qui tertius venerat vidit Aenean velle munerare Salium, qui neque primus esset aut secundus aut tertius, intellexit se a tertio praemio excludi posse, si primi loci praemium Salius sumeret; qua causa indignatus faciebat invidiam, quod non esset verum iudicium: qui subit palmae frustra? quis, inquit, palmam sumet? hoc est, quem pronuntiabis victorem? et quis erit tertius, si praemium victoris alius sumpserit? fiebat enim praeiudicium, ut Salius esset primus, secundus Euryalus, tertius Helymus, Diores vero exclusus a norma trium praemiorum inhonoratus abscederet, ut nec illud ei prodesset, quod novissimus venerat. ergo recte dixit quis erit primus, quis secundus, si additur Salius, qui nihil meretur accipere? *tum pater Aeneas, vestra, inquit, munera vobis certa manent, pueri, et palmam movet ordine nemo:* Aeneas cum vidisset Diorem satis de muneris praeceptione sollicitum, omnibus simul una voce respondit dicens: munera vestra tenebunt ordinem suum nec loco move-
350 bitur palma, quae vobis paulo ante promissa est. *me liceat casus miserari insontis amici:* sinite, inquit, me

---

1 *qui subit palmae frustra quae* L *q. subiit p. frustraque* R: Donatum *subit* legisse sequentia docent nec minus eodem auctore *frustra qui* scribendum et interrogationis signo distinguendum esse; omnes enim huius interpretationis ineptiae inde ortae sunt, quod post v. 345 verba Dioris sequi opinatur. 2 *redduntur* LR *reddantur* ed., sed indicativus ad interpr. Don. optime quadrat. 4 *dolo* LRO *solo* HU ed. | *cecidit* LR edI *cedit* edF. 5 *primo et* R *primo* L ed. et solet sic Donatus. 13 *subit* L *subiit* R. | *fraus* LR om. ed. *frustra* r nos. 17 *forma* LR ed. *norma* nos. 20 *mereatur* LR sed *a* exp. R ipse. 27 *casum* R *casus* r = L *casum* ed.

innocenti amico largiri de meo, cum nihil sitis de vestris sortibus perdituri. pueri hic pro iuvenibus debemus accipere aut pueriliter sentientes, qui putabant Aenean sub conspectu bonorum omnium contra pollicitationis suae fidem aliquid esse facturum. *sic fatus tergum Gaetuli inmane leonis dat Salio, villis onerosum atque unguibus aureis:* inde magnum, quod leonis ingentis, et pretii maioris, quod ungues eius auri fulgor incluserat. *hic Nisus, si tanta, inquit, sunt praemia victis et te lapsorum miseret, quae munera Niso digna dabis, primam merui qui laude coro-* 355 *nam, ni me, quae Salium, fortuna inimica tulisset?* ex praesentis occasione dicti Nisus instructus tenuit Aenean: quoniam te, inquit, tangit lapsorum miseratio, magis me quam Salium considerare te convenit. ego enim primus essem, ut fui, nisi lapsum incidissem, nec est similis causa ipsius et mea, quoniam, cum esset novissimus, cecidit. tenuit quidem fortuna pares in lapsu, sed ante casum quales fuerimus discutiendum est. ego veniebam ad coronam, Salius multo posterior fuit, proinde quoniam habes lapsorum iustam rationem et multum interest inter casum Salii et meum, si victo tantum praemium datur, quid iuxta me fieri conveniat aestimatione iusta debes expendere. *et simul his dictis faciem ostentabat:* non tam faciem, sed deceptionis suae causam volebat ostendere. denique sequitur *et udo turpia membra fimo:* ubi enim fusus fuerat sanguis fuit et fimus. *risit pater optimus:* quis enim non in risum moveretur, cum ille, quasi visus non esset antea, sic faciem suam et membra fimo recenti oblita demonstraret. *olli et clipeum efferri iussit:* sic addidit et, quasi

1 *amico* om. ed. 2 *pueris* LR ed. *pueros* r *pueri* nos. 3 *sentientes* LR edI *-tibus* edF. 13 *labsorum* L *laborum* ed. 15 *labsum* L *lapsum* R *in l.* ed. 20 *rationem* L *miserationem* R. 21 *victo* LR *iusto* U ed. | *quod* LR ed. *quid* r nos. 22 *iuxta* LR *erga* ed. 23 *faciem* LRO *causam* HU ed. 24 *suae* om. R add. r. 25 *fussus* R *fusus* r *iussus* L *visus* edI *Nisus* edF. 26 *optimus* LR *olli* add. ed., quod cum sequ. lemmate coniungunt LR assentiente interpretatione.

iam aliud proferri iussisset: non ita est, nam risit et iussit clipeum proferri. laus clipei dicenda est, quae non sine praedicatione dantis explicatur: *Didymaonis artem,* magni videlicet artificis manu formatum. hoc ad laudem clipei specialiter pertinuit, alia adicitur mixta, quae esset clipeo 360 ipsi atque Aeneae communis: *Neptuni,* inquit, *sacro Danais de poste refixum.* scuti laus fuit quod figi cum ostentatione meruit, et tolli praedicabile; nam gloriae causa fixum est propter eius insigne qui advexerat; Aeneae vero, qui per insulas Graecorum transiens et evellere potuit fixum et moras non metuere, quamdiu id faceret et secum aveheret. maluit autem scutum ipsum sacris detrahere postibus templi, non ut Neptuno iniuriam faceret, sed ut virtutem animi sui hostibus adprobaret. *hoc iuvenem egregium praestanti munere donat:* quia contemplatione virtutis egregiae meruit Nisus, tanto donatus est munere. quantum poeta cum Aeneae laudibus certat! in tertio libro transeuntem ipsum per Graias urbis descripsit clipeum fixisse id est scutum et scripsisse (288) „Aeneas haec de Danais victoribus arma“, in quo una fuit gloria detraxisse hosti Graeco, altera in urbe Graeca fixisse. ecce alia virtus, fixum eripuisse regionibus Graeciae, et refigere plus habet laboris quam figere, quoniam refigendi mora potuit adferre perniciem.

*Post ubi confecti cursus et dona peregit:* aliud ingreditur certaminis genus; perfecta enim rettulit quae ad certamen cursus vel dona pertinebant, magno usus conpendio, quod reliquos praemia specialiter accepisse non dixit, memorando tamen dona peracta esse in generalitate

---

3 *dydimonis* L. | *arte* L *artes* R ed. *s* del. r. 6 *inquit* om. ed. 7 *sicuti* R. | *feci* LR *figi* r *fecit* ed. 8 *meruit* LR *erui* ed. 9 *qui advexerat* LR *quia dux erat* ed. 10 *fixum* LR *transiens* HU ed. 11 *et secum* LR *ut s.* r. 17 *certet* ed. 18 *graias* R *gratas* L *graecas* ed. 22 *reficere* LR *refigere* r ed. 23 *labores* LR edI *-ris* r edF. | *perficere* LR ed. *pe* expunxit r *quam figere* nos. | *quam* LR ed. *quoniam* nos ut 3, 295. | *reficiendi* LR edI *refigendi* r edF. | *referre* R *adferre* r = L.

conplexus est quod putatur omisisse. *nunc, si cui virtus animusque in pectore praesens, adsit:* hortamenta sunt ista, quoniam durum certaminis genus fuerat propositurus; quae enim transacta fuerant et carebant periculo et habebant partem maximam voluptatis. *et evinctis attollat bracchia palmis:* progrediatur, inquit, et palmas suas caestibus armatas ostendat qui certare voluerit. *sic ait et geminum* 365
*pugnae proponit honorem:* more suo hoc fecit; propositio quippe praemii confirmat volentis et ad certamen dubitantis inpellit. *victori velatum auro vittisque iuvencum, ensem atque insignem galeam solacia victo:* ut praemium esset victoris, quoniam in eo fuit utilitas, victi autem solacium, quoniam in speciebus non magni pretii non magnum esse commodum potuit. *nec mora, continuo vastis cum viribus ecfert ora Dares magnoque virum se murmure tollit:* post Aeneae dictum nulla mora interposita emersit ex populo Dares ingenti corpore, viribus vastis, tanta admiratione cunctorum, ut presso murmure universi mentis suae miracula testarentur. *solus qui Paridem solitus* 370
*contendere contra:* dicuntur istius virtutis exempla, quibus notissimus fuerat redditus: solus, inquit, idoneus inventus est qui cum Paride certaret, nominato in caestuum certaminibus viro. hoc quia parum fuit, vel ne uno exemplo eius gloriae minuerentur, adicit et secundum: *idemque ad tumulum quo maximus occubat Hector victorem Buten inmani corpore, qui se Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat, perculit et fulva moribundum extendit harena.* in hoc exemplo multa sunt quae praesentis laudes extollant. vicit iste, inquit, etiam Buten, cum esset in aliis certaminibus victor; victorem autem superare gloria est maxima. inmani corpore: ne forte talem vicisset qui esset debilis corpore, hunc etiam sic voluit praeferre, ut diceret cor-

---

4 *transacta* LR *tractata* HU ed. 5 *cunctis* L *euinctis* R in *vinctis* corr. r. 6 *gestibus* L. 9 *confirmat* L *inritat* R r = L. 15 *ecfert* L (et infra) *effert* R ed. 19 *Pariden* ed. 32 *certam* L *certe* R ed. *etiam* nos. | *praeferre* Lr *proferre* R ed. | *diceret* LR ed. *d. eum?*

poris quoque substantia floruisse. qui se Bebrycia veniens: sic Bebryciam nominavit, quasi illa fortis viros sit solita generare vel mittere. Amyci de gente ferebat: quasi ab Amyco degenerare non potuerit, ita sibi nobilitatem virtutis ex eius nomine vindicabat. enumeravit bona illius quem vicit, ut ex his istius enitesceret meritum. `memorat etiam locum in quo res gestae dicerentur, ut veritatem firmissimam conprobaret. ad tumulum, inquit, quo maximus occubat Hector: illic eum vicit ubi superatus est Hector vel sepultus. dicit et exitum pugnae hoc est quem finem vincendi sortitus esset: et fulva moribundum extendit harena. omni genere probationum Daretis virtus ostensa
375 est, demonstratis personis et locis et certaminis fine. *talis prima Dares caput altum in proelia tollit ostenditque umeros latos alternaque iactat bracchia protendens et verberat ictibus auras:* rediit, ut incessum Daretis et habitudinem corporis perinpleret; supra enim dixit „continuo vastis cum viribus ecfert ora Dares“, hic subiunxit caput altum in proelia tollit, quod fit ex fiducia virtutis. ostendebat autem umeros latos; non enim fuerat moles occultanda membrorum, quae admirationi omnium poterat subiacere. iactabat autem brachia et auras vacuis ictibus verberabat addens videntibus nondum inita concertatione terrorem. *quaeritur huic alius:* non dixit nullum extitisse qui vellet audire, sed etiam quaesitum inveniri nequisse. *nec quisquam ex agmine tanto audet adire virum manibusque inducere caestus:* nullus extitit in tanto populo qui caestibus
380 auderet cum tanto viro contendere. *ergo alacris,* id est nimium laetus, *cunctosque putans excedere palma Aeneae stetit ante pedes:* cum dicit putans, iam nuntiat emersurum qui cum eo confligeret. quod vero usque ad ipsos Aeneae pedes accessit, ostendebat ingentem fastum. *nec plura*

1 *se* LR *e* ed. | *veniens* LR *veniret* ed. 4 *potuerit* L ed. *possit* R *potuisset*? 6 *nitesceret* edF. 9 *vincit* L. 16 *rediit ut* LR vel *ad rem* vel *ad id* r′ in marg. 17 *perinpleret* R *-rit* L. 25 *audire* LR *audere* ed. | *invenire* LR corr. ed.

*locutus:* noluit enim non pertinentia ad rem plurimis loqui.
*tum laeva taurum cornu tenet atque ita fatur:* taurum, in-
quit, laeva manu cornu tenuit, quasi retento cornu totum
taurum tenuisset, deinde sic locutus est: *nate dea, si nemo*
*audet se credere pugnae:* dicendo audet adrogavit sibi
quam plurimum. *quae finis standi? quo me decet usque*
*teneri? ducere dona iube:* quamdiu, inquit, sto? et hoc 385
ipsum quo fine clauditur? proinde si nemo est qui audeat
congredi, iube me abire cum dono. *cuncti simul ore*
*fremebant Dardanidae reddique viro promissa iubebant:*
ipsa est vera iustitia quae uno totius consensu multitu-
dinis conprobatur: proinde in unum favebant cuncti, ut
pro victore haberetur qui parem habere non potuit et
duceret dona. quod ait viro reddi, non sexum significare,
sed meritum voluit; quippe viro dixisse cognoscitur tan-
torum meritorum, tantae virtutis, tantae artis, tot pol-
lenti victoriis, ad extremum quem tanta multitudo per-
timuit. *hic gravis Entellum dictis castigat Acestes:* bene
dixit dictis castigat: quasi ex patientia delinquentem ver-
berat verbis, hoc est arguit. *proximus ut viridante toro*
*consederat herbae:* ex ea occasione eum verbis obiurgativis
adgressus est, quod ei in consessu proximus fuisset, con-
sessus autem ipse fuit herbis extructus, quia in campo
aliud quod sessuros exciperet non fuerat. *Entelle, heroum*
*quondam fortissime:* obiurgatio non iniuriosa, sed habens
admixtam laudem: Entelle, soles, inquit, inter fortis viros
fortissimus numerari. *frustra tantane tam patiens nullo* 390
*certamine tolli dona sines?* poteritne tantum durare pa-
tientia tua, ut nullo certante frustra praemium in alterius

---

1 *locutus* LR *moratus* ed. et Vergilii libri: *locutus* ex interpr. irrepsisse videtur. 5 *adrogavit* R *-bit* L *-gat* OU ed. 6 *quae* L *qui* R r = L. 8 *clauditur* LR *claudatur* O *laudatur* HU edI *tardatur* edF. 10 *fremebant* R *praemebant* L. 16 *arti* LR corr. ed. 21 *considerat* LR. 22 *consensu — consensus* L ut 290 *in* om. edF. 24 *aliud quod s. e. non fuerat* L *aliud non fuit quod s. e.* R r = L. 27 *numerari* L *nominari* R r = L. | post *frustra* non distinxi secundum interpr.

commodum transeat? singula verba cum ingenti pondere persuasionis posuit: primum frustra, hoc est sine laboris merito, tantane, hoc est tam pretiosa, tam pulchra sine gloria vincendi tolli dona patieris? patieris hunc potest intellectum admittere, ut, quia ille dixerat si nemo se audet credere pugnae, dona ducere iube, dixisse Acestes videatur si passus fueris dona tolli sine certamine, videberis ipse quoque cum ceteris timuisse. *ubi nunc nobis deus ille magister nequicquam memoratus Eryx?* dicetur magistrum te memoratum Erycem frustra habuisse? *ubi fama per omnem Trinacriam?* concidet, inquit, fama nominis tui, quae per omnem Siciliam nota est. *et spolia illa:* obumbrabuntur victoriarum tuarum tam plurima documenta, *tuis pendentia tectis?* ut pudeat istius facti, quotiens domum tuam fueris ingressus et pendere videris tectis quaesita tuis virtutibus praemia? *ille sub haec,* hoc est post illa quae Acestes dixerat haec subnexuit Entellus: *non* 395 *laudis amor nec gloria cessit pulsa metu:* cessit bis accipitur, non cessit gloria, non cessit amor laudis, nec aliquis metus intervenit. *sed enim gelidus tardante senecta sanguis hebet frigentque effetae in corpore vires:* virtus, inquit, mea atque amor laudis non huic, sed senectuti cesserunt, proinde esset crimen, si adhuc in iuventute durarem. audere igitur quod est iuvenum non valet aetas inbellis, quae omnis friget et exclusa vi caloris obtorpuit. *si mihi quae quondam fuerat quaque inprobus iste exultat fidens, si nunc foret illa iuventas, haut equidem* 400 *pretio inductus pulchroque iuvenco venissem:* si essem, in-

---

4 *patieris patieris* LR ed. lapsus Donati interpretationem pro lemmate repetentis ut v. 78. 5 *ut* non habet L superscripsit sive R sive r recte propter *videatur.* | *audet se* L *se audet* R hoc praetuli, quia et in sequentibus Don. metrum solvit. 6 *dona ducere* LR *duc. dona* ed. | *videtur* ed. 12 *siciliam* L ed. *trinacriam* R r = L (vel R ipse?). 13 *victoriarum tuarum* LR *cum victoria tuorum* ed. 15 *pendere videre videris* L *videre* non habent R ed. 17 *dixerat* LR *dixit* HOU ed. 23 *esset* L ed. *si essent* R *si* del. r. 26 *quaeque* L *quaque* R. 27 *iuventas* LR *s* del. r ed.

quit, eius aetatis qua iste est et si non iam studium meum senectuti cessisset, non istum sinerem tanta duci dementia, ut se ex eo arbitretur invictum, quia nullus qui cum eo certet existit. et quia Acestes dixit „tantane tam patiens nullo certamine tolli dona sines?“ ait Entellus haut equidem pretio inductus pulchroque iuvenco venissem. ad certamen istiusmodi gloria, inquit, me, non pretium provocaret et excitatus in certamen contemplatione magis laudis pergerem quam praemio et commodo iudicarer exisse. *nec dona moror:* nec tamen doni contemplatione mora aliqua debet adferri. haec idcirco de aetatis excusatione praemissa sunt, ut Dares a longaevo post iactationem maximam maiore ludibrio videretur oppressus. *sic deinde locutus in medium geminos inmani pondere caestus proiecit, quibus acer Eryx in proelia suetus ferre manum duroque intendere bracchia tergo:* hos caestus protulit quibus usus est Eryx, in hoc genere certaminis exercitatissimus et virtute praeclarus. *obstipuere animi tantorum:* in tanta multitudine hominum nullus fuit quem non stupor de admiratione tenuisset. *ingentia septem terga boum plumbo insuto ferroque rigebant. ante omnis stupet ipse Dares longeque recusat:* tantum horroris et ponderis illi caestus habuerant, ut mirarentur omnes et ipse quoque Dares negaret se certaturum, si illos aliquis induisset. Entellus quippe certator antiquus et peritus in suo egit arte mirifica, ut ante ingressum pugnae praemitteret talem metum quo audacem et superbum adversarium debilem redderet. denique cum caestus suos, quibus fuerat certaturus, universorum conspectibus obtulisset, nullus extitit qui non ipsorum pondus miraretur et formam; usque adeo non mirum fuit in omnibus, quando ipse etiam Dares, qui

---

7 *praetium* superposita *m* L *pretium* R *praemium* ed. 9 *quam* LR *quam ut* ed. 15 *ferre — Eryx* omiserat R in marg. infer. suppl. ipse. | *manu* LR. 18 *tantorum* hic habet LR assentiente interpr., ad sequ. lemma traxit edF. 19 *de* om. edF. 21 *insuta* R. 22 *honoris* ed. 25 *in sua* R. 26 *talem praemitteret metum* R. 31 *omnibus* LR ed. *in o.* nos.

certamini parabatur, recusabat pugnam solo interim consternatus aspectu. quantum hic Entelli virtus praefertur, qui armis talibus semper pugnavit et vicit! *magnanimusque Anchisiades et pondus et ipsa huc illuc vinclorum inmensa volumina versat:* Aeneas tamen, qui magni animi esset et aequitatem nosset, omni cum moderatione considerabat oculis inmanitem tantam et versabat manibus, ut quanti essent quidve haberent ponderis videndo atque tractando cognosceret. *tum senior talis referebat pectore voces:* non dixit tum Entellus; minueret enim adstructionem suam, si nomen hominis poneret: aetatis tamen commemorationem fecit, ut superbi Daretis crimen augeret, cum iuvenem senex superaret et sterneret. ex admiratione vero omnium atque ipsius Daretis ingentem audaciam Entello non frustra accessisse sequentia dictorum eius
410 evidentissime probaverunt. ait enim *quid? si quis caestus ipsius et Herculis arma vidisset tristemque hoc ipso in litore pugnam?* quantum, inquit, unusquisque vestrum miraretur, si vidisset pugnam in hoc litore commissam, istis scilicet caestibus, cum Eryx atque Alcides acerrime concertavissent. a populo dehinc convertit se ad Aenean, non iam ut insultaret ei de caestibus et fraterna morte, verum ut rem gestam simpliciter diceret, in quo ipso fuit solacium virtutis eius, quia Eryx cum Hercule contendit et ab ipso Hercule potuit superari. *haec germanus Eryx quondam tuus arma gerebat:* haec, inquit, arma gestare consuerat germanus tuus Eryx, cum esset incolumis. *sanguine cernis adhuc sparsoque infecta cerebro:* etiamsi ego, inquit, taceam, ipsa arma crudelitatem gesti certaminis testabuntur; nam sanguine infecta sunt et cerebro sparsa. *his magnum Alciden contra stetit:* auget caestuum laudem dicendo, quia Eryx, dum illis fideret, stare adversum Alciden potuit. etsi, inquit, superatus est Eryx,

---

7 *oculis* om. R add. r. 9 *talis* L *tabas* R. 13 *sterneret* R *externeret* L (cf. 2, 603) *exterreret* HU ed. 19 *miratur* L. 21 *certavissent* L ed. 28 *sanguine cernis — sparsa* omiserat R suppl. in marg. inf. ipse vel r. 32 *adversus* ed.

cum his esset armatus, non tamen parva extitit certantis gloria, quod contra Alciden (faciendo cerebri mentionem ostendit et sanguinem de capite fuisse) stare ausus est hoc est cum Alcide contendere et perseverare usque ad mortem. Alciden cum pronuntiamus, nomen ipsum pro magnitudine virtutis eius debemus extollere. dicta magistri sui laude venit etiam ad suam. quid enim, si post talia egregiorum facta ipse nihil gessit aut potuit? *his*, ait, *ego suetus:* cum dicit suetus, ostendit his se usum esse frequenter. dicit et tempus et propter adrogantiam vitandam iam se adserit senuisse, ut ex eo probet quae iuvenis fecerit, cum in praesenti contemneret iuvenem. *dum melior viris sanguis dabat:* dum melior sanguis sub- 415 ministrabat congruas viris. ecce ostendit senectutis ipsius testis canos suos dicendo *aemula necdum temporibus geminis canebat sparsa senectus:* bene posuit aemulam senectutem, quia, cum nihil potest, videtur invidere virtuti. *sed si nostra Dares haec Troius arma recusat idque pio sedet Aeneae, probat auctor Acestes:* necessarie hoc loco pium Aenean dixit, quia de salute hominis agebatur, ne iniquitate certaminis pressus interiret. et hoc adprobat etiam Acestes: auctorem dixit, quia ipso hortante fuerat excitatus. *aequemus pugnas, Erycis tibi terga remitto:* ut remotis caestibus quos Entellus protulerat alios sumeret qui aequales esse potuissent. *solve metus:* non, ait, te 420 ista formido discruciet, sed ut ego istos removeo, ita *et tu Troianos exue caestus:* indutus enim manibus aderat Dares. *haec fatus duplicem ex umeris proiecit amictum et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosque exuit*

---

3 *fuisse* LR *fluxisse* r ed. 6—7 *magistri sui* vel *sui* L *magistri* R *magistrorum* ed. 7 *enim* LR *enim diceret* ed. 10 *esse* om. R. 12 *ficeret* L *faceret* RO *efficeret* HU ed. *fecerit* nos. 17 *canos* R *canes* LO *crines* HU ed. 19 *necessariae* L *-rio* ed. 21 *iniquitate certaminis* LR *inquit a te certamine* U ed. 22 *etiam* LR *etiam auctor* edF. 23 *permitto* L. 25 *quaequales* L *qui aequ.* R *ut aequales* ed. 25—26 *ista te* R. 27 *indutis* edF. 28 *proiecit* LR ed. *reiecit* Verg. libri.

*atque ingens media consistit harena:* ecce etiam ipse magnitudine corporis et membrorum mole laudatur. *tum satus Anchisa caestus pater extulit aequos et paribus palmas amborum innexuit armis:* amborum, inquit, palmas paribus armis innexuit. patrem dixit Aenean paternum habentem iudicium, hoc est aequale et iustum. *constitit in digitos extemplo arrectus uterque bracchiaque ad superas interritus extulit auras:* in digitos uterque arrectus extemplo constitit, hoc est mox ut arma sumpserunt Dares et Entellus, continuo in digitos constiterunt: et in digitos arrectus et interritus ad utrumque pertinet. idcirco autem in digitos erigitur caestibus certaturus, quia tanto facilius et fortius percutit quanto fuerit corporis proceritate sublimior. pronuntiatio et intellectus loci istius talis est: constitit, et facienda est mora, dehinc dicendum in digitos arrectus uterque, id est et ille et ille, brachiaque uterque interritus in auras superas extulit, et ille scilicet et ille. *abduxere retro longe capita ardua ab ictu:* et hoc uterque fecit; capitibus enim magis inminent caestus, haec resupini revocabant, ut essent longe ab ictu submota. *inmiscentque manus manibus pugnamque lacessunt:* et hoc uterque. fieri solet istud in ingressu certaminis, ut primo quasi †per ictum, paulatim tamen commotio mentis accedat. si enim ira excitata per meditamenta non fuerit, cessante mentium motu certaminis impetus languescit et torpet. ecce quid singulorum separatum fuerit dicitur; conpletum est enim quod uterque similiter fecerat: *ille pedum melior motu fretusque iuventa.* Daren dictum debemus accipere; licet enim pronomen posuerit, non nomen, tamen, quia addidit fretusque iuventa, ille intellegitur qui supra iuvenis dictus est. *hic membris et mole valens,* id est Entellus, quia quanto gravior fuit aetate

16 *hoc est ille* ed. 18 *adduxere* LR cf. 4, 326 *abduxere* ed. assentiente interpr. 22 *fieri autem* R sed *autem* exp. ipse. 23 *per ictum* LR ed. *periclitentur* suspicor, sed crucem apponere malui. 24 *si enim* — 26 *torpet* om. ed. 26 *torpet* R *torret* L. 27 *similiter* L *simul* R. 28 *Dareta* ed.

tanto magis pro remedio sibi duxerat standum; tutus enim fuerat corporis mole. ecce fecit iam separationem signans quid singuli agerent. Dares, inquit, vigebat mobilitate, quoniam aetatis suffragio iuvabatur: alter sistendum esse crediderat propter senectutis inpedimentum et corporis pondus. *sed tarda trementis genua labant, vastos quatit aeger anhelitus artus:* non pugnae fatigatione nutabant genua eius aut certando magnos anhelitus dabat, sed hoc illi aetas provectior faciebat et corporis magnitudo. *multa viri nequicquam inter se vulnera iactant, multa cavo lateri ingeminant et pectore vastos dant sonitus erratque auris et tempora circum crebra manus,* hoc est circum auris et tempora, *duro crepitant sub vulnere malae:* nequicquam ad omnia quae enumerata sunt pertinet; omnes enim ictus non tam graves fuerant, ut hos fortes viri sustinere non possent. *stat gravis Entellus nisuque inmotus eodem corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit:* plus laudis in Entello fuit, qui stanti corpore, oculis tamen omni cautela currentibus ictus fundebat crebro venientis; hoc est quod dixit erratque auris et tempora circum crebra manus, quia omnis ille cavendo declinabat. *ille,* id est Dares, *velut celsam oppugnat qui molibus urbem aut montana sedet circum castella sub armis, nunc hos nunc illos aditus omnemque pererrat arte locum et variis adsultibus inritus urget:* Dares Entellum sic variis adsultibus sine effectu nocendi urgebat, ac siquis velit oppugnare urbem magnis molibus constructam aut castella destruere summis in montibus constituta. magnam hominis peritiam demonstravit et habitudinem corporis, ut qui discursus habere non poterat sui ponderis causa uno in loco consistens tela crebro venientia declinationibus corporis evitaret et funderet. haec praestabant praesens animus, artis ingenium et oculi vigilantes. *ostendit dextram*

---

6 *trementi* ed. 11 *errantque* L. 18 *plus* R *plos* L *flos* ed. (in marg. *historia* adnotatum in L). 19 *fundebat* LR *vitabat* ed. 23 *sedet* R *sedit* L.

*insurgens Entellus et alte extulit, ille,* hoc est Dares, 445 *ictum venientem a vertice velox praevidit celerique elapsus corpore cessit:* Entellus, inquit, erecta quantum potuit dextera ictum in Daretis direxerat verticem, sed ille hunc praevidit hoc est antequam perveniret vidit et suffragio recessus celeris dicto citius frustratus est. *Entellus viris in ventum effudit et ultro ipse gravis graviterque ad terram pondere vasto concidit, ut quondam cava concidit aut Eurymantho aut Ida in magna radicitus eruta pinus:* ictum tam fortiter erogatum et in vacuum effusum nullo inpellente secutus Entellus concidit et gravissimi corporis mole ingentem ruinam fecit, ita ut solet in montibus arbor pinea radicibus eruta cadere. bene posuit radicitus, quia, cum arbor ruptis radicibus cadit, nullius, 450 ut Entellus, procumbit inpulsu. *consurgunt studiis Teucri et Trinacria pubes:* consurgunt studiis hoc est voluntatibus diversis: Troiani quippe gratulabantur Entellum cecidisse Dareta pro victore habentes, Siculi contra turbati sunt, quod Entellus cecidisset. *it clamor caelo,* nec inmerito; fuit enim causa quae hunc magnis viribus excitaret. *primusque accurrit Acestes aequaevumque ab humo miserans attollit amicum:* Acestes miseratione commotus aequaevum suum et amicitiae religione coniunctum levavit auxilio suo et erexit iacentem. *at non tardatus casu neque territus heros acrior ad pugnam redit ac vim suscitat ira:* non †alio erubuit vir fortis, sed iratus est, quae ira stimulus fuit excitandae virtutis. accedebat tamen nonnulla etiam 455 pudoris contemplatio; idcirco enim addidit *tum pudor in-*

---

6 *victo* L *ictum* R ed. *dicto* nos. | *frustratus est* LR *effugit* ed. 7 *effudit* R *effundet* L *effundit* ed. 13 *radicibus* (item infra in interpr.) LR, sed in lemmate utroque loco *radicitus.* 17 *glariabantur* R corr. r = L. 18 *dareta* R *-tam* L *-tem* ed. | *singuli* pro *Siculi* L. | *turbati* LR *ſ.* = *sunt* superscr. R I man. 21 *miserans* LR edI *miseratus* contra metrum edF. 26 *alio erubuit* LR, sed *alio* expunxit R *alio e.* edI *illo e.* edF: etiam *erubuit* corruptum esse sequentia docent, duo verba ex uno seu *alienatus* seu *elanguit* conficta esse puto, sed crucem apponere malui.

*cendit viris et conscia virtus:* virtus, inquit, quae sese noverat, animum irascentis armabat. *praecipitemque Daren ardens agit aequore toto:* ille, qui aetate gravis et corpore uno in loco consistens ictus venientis declinando fundebat, ira simul et conscientia virtutis accensus repente mobilis et acer effectus agitabat Daren per omnem campum atque ita, ut fugiens ille praeceps actus stare non posset. agebat autem istum *nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.* ille, quem iuventa superbum fecerat, ille, qui pedum melior fuerat motu, sic cedebat Entello instanti, ut insequentis senis ictus vitare non posset, usque adeo ut non iam singularibus, sed geminatis et multiplicatis ictibus caederetur, nec una tantummodo manu, sed utraque verberante. *nec mora nec requies:* nulla vapulanti dabatur requies, quia ictibus duris et iugibus nulla morarum praebebatur occasio. *quam multa grandine nimbi culminibus crepitant:* sic, inquit, inlisi in Daren ictus crepitabant, ut solet densa grando, cum tectis infunditur, personare. magna conparatio grandinis et tectorum; cum enim grando extiterit, caeduntur tantum tecta, non etiam ipsa feriunt, ut ostendatur Dares tantum crebris ictibus caesus, ut ipse suos non valuisset exerere. *sic densis ictibus heros creber utraque manu pulsat versatque Dareta:* denique ut †grando densior tecta, sic crebris et utraque manu inlisis ictibus superatus Dares non cecidit ut Entellus casu, sed virtute fortioris est versus. *tum pater Aeneas procedere longius iras et saevire animis Entellum haut passus acerbis, sed finem inposuit pugnae:* Aeneas et sui hominis causa et quia acerbum fuit post victoriam hominem caedi usque ad terminum vitae, finem certamini

---

1 *quae* LR *qua* ed. 8—9 *ictus nunc ille* R *ictu nunc inde* L. 10 *instanti* R *intante* L om. ed. 14 *mora nec requies* R *m. agere quies* L. 24 *ut grando densior tecta* L ed. *ut gr. d. acta* R r′ in marg. = L *grandine densiore tecta* suspicor, sed crucem apponere malui loco haud dubie corrupto. 25 *inlisis* LR *inclusis* ed. *incussis* ed. post. | *non* R *nunc* L ed. *ut* LR *non ut* ed.

dedit nec passus est ulterius progredi saevientem. fine igitur facto certamini *fessum Dareta eripuit mulcens dictis ac talia fatur:* necessario verbo usus est dicens eripuit, ut ostenderet magnam intervenisse violentiam et periculum salutis inmane. ipso usus est hic, ipso ex persona Sinonis (2, 134) „eripui, fateor, leto me et vincula rupi“, ipso ex persona Aeneae (6, 110) „illum ego per flammas et mille sequentia tela eripui his umeris medioque ex hoste recepi“, ipso ex persona Veneris (2, 619) „eripe, nate, fugam finemque inpone labori“, ipso ex persona Palinuri (6, 365) „eripe me his, invicte, malis“. ereptum
465 ergo consolabatur dictis locutus talia: *infelix, quae tanta animum dementia cepit? [non viris alias conversaque numina sentis?]* infelix est qui ultra quam potest audet adpetere, infelix est qui secundis rebus modum nescit inponere, quod contigit in ipsius Daretis causa: cum enim superbia intoleranda ferretur et aestimaret se invictum atque universis esset terrori, sic fortiorem repperit, sic discrimen propriae salutis invenit. demens autem est qui exclusa sanitate consilii mente perdita non cernit adversum se non tantum hominem verum etiam deos ex aperto contendere. hoc autem †amatoris animo Aenean dixisse intellegendum est, ut Dares non Entelli, sed dei cuiusdam violentia superatus esse videretur. denique sequitur *cede deo:* deo, inquit, cede, non homini. sic ipse Aeneas et in sua causa prosecutus est, ut in fine secundi libri (804) diis cessisse se quam Graecis diceret. dicendo igitur cede deo minuere voluit victoris hominis laudem. errant igitur qui putant Aenean deum dixisse Entellum, cuius victo-

---

1 *fine* — 2 *certamini* LR om. ed. 2 *fessum* LR *fessumque* ed. 5 *ipso ex* LR *quo ex* ed. 6 *iterum usus est dicens* post *Sinonis* interpol. ed. | *eripui* R *eripuit* L. 13 *non* — 14 *sentis* deest in LR, sed explicatur. 17 *existimaret* ed. 18 *terrori* R ed. *erroris* L. 22 *amatoris* LR ed. corruptum puto, fortasse *oratoris*? nam oratoris esse adversarii laudem minuere saepe monet Don. 24 *videatur* R r = L. 27 *cessisse quam* LR *cessisse se quam* r *c. potius qu.* ed.

riam deprimere debuit propter amici miserabilem casum. *dixitque et proelia voce diremit:* quantum potuit iubentis auctoritas, sola diremptum est voce quod magno incendio irascentis et furore flammaverat! *ast illum fidi aequales genua aegra trahentem iactantemque utroque caput crassumque cruorem ore reiectantem mixtosque in sanguine dentes* 470 *ducunt ad navis galeamque ensemque vocati accipiunt, palmam Entello taurumque relinquunt:* cum haec Aeneas dixisset, cum interposuisset terminum pugnae, duxerunt inde amici sui Daren adflictum, trahentem genua tamquam morbo aegra, quae paulo ante fortia fuerant, et deiectis nunc hanc nunc in aliam partem cervicibus, quas in caelum superbia ferebat et fastu, crassumque cruorem cum dentibus fractis ex ore fundentem. ad navis ducunt dixit, ut ferri potius ex parte et trahi ex parte videretur. vocati vero acceperunt praemium Dareti, quoniam ultro victi hominis sortem puduit postulare. palmam Entello taurumque relinquunt: palmam interea et taurum victori Entello reliquerunt. quanto istud cum dolore amicorum Daretis factum est! ducere hominem victum, debilem trahere, accipere ludibriosum donum, gloriam, palmam cum tauro relinquere commodis et titulis inimici, illam scilicet palmam quam putabat se adepturum Dares, cum nullus certator existeret, et taurum, quem cornu tenuerat, cum se putasset invictum! *hic victor superans animis tauroque superbus,* Entellus gloria evectus et praemio, *nate dea vosque haec, inquit, cognoscite, Teucri, et mihi quae fuerint* 475 *iuvenali in corpore vires et qua servetis revocatum a morte Dareta:* et tu, inquit, Aenea, et vos, Troiani, ex praesenti facto, quod mox proferam, intellegite qualis in

---

6 *reiectantem* LR ed. cf. ed. Ribb. 8 *relicunt* L. 12 *hunc* R *huc* L *hanc* nos; temere mut. ed. 13 *caelum* LR *caelum antea* ed. | *fastus* ed. 16 *Daretis* R. 19 *Entello relinquunt* R corr. r. 21 *gloriam palmam* L *gloriae palmam* R *gloriam palmae* ed. 25 *animis* atramento superscriptum in L *superans animis* om. R. 26 *gloria evictus* L *gloriae victor* R *gloria evectus* ed. 28 *iuvenili* ed.

iuventute fuerim, quando admiranda longaevus ostendo, simul hoc quoque probaturi quanta mortis acerbitate liberaveritis Dareta vestrum. *dixit et adversi contra stetit ora iuvenci, qui donum adstabat pugnae, durosque reducta libravit dextra media inter cornua caestus arduus effractoque inlisit in ossa cerebro:* stetit, inquit, contra iuvenci faciem, cum illa dixisset, et reducta dextera (tunc enim ictus redditur fortior, si e maiore spatio veniat) libravit in eius cerebrum manum atque inter cornua caestus inlisit. haec pars capitis maximam duritiam habet perindeque maximam frangendi difficultatem, et tamen ictus istius effractis ossibus usque ad ipsum cerebrum penetravit. proinde qua morte interiit bos ipsa ostendit Daren interire potuisse. expressio facti illa est: sparso, inquit, cerebro caestus in ossa inlisit. ossa sunt quae cerebrum tegunt, cerebrum ipsum secundum est, hoc est sub ossibus, rursum ossa succedunt, quae sunt sub cerebro. sic igitur virtus operata est, ut ictus caestuum perfractis superioribus ossibus et cerebro sparso ad interiora quoque ossa descenderet. *sternitur exanimisque tremens procumbit humi bos:* non descripsit morientem, sed, ut unius ictus violentiam demonstraret, post inlisos, inquit, caestus mortuus concidit bos. si bos, animal durum, dura fronte, tam facile concidit et fractus est, quid, si ipse Dares tam letalem impetum suscepisset? ecce quanta celeritas mortis: antequam caderet, reddidit animam nec visus est post factum nisi exanimis et humi prostratus. et vicit et donum bovis commodumque contempsit. *ille super talis effundit pectore voces:* Entellus post exitum bovis has addidit voces. cum dicit voces, ostendit hunc dicta sua clara voce prosecutum. *hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis persolvo:* meliorem, inquit, animam, quasi melior esset bovis anima quam hominis: non ipse

3 *daretā* LR *Daren* ed. 7 *cum illa dixisset* LR corrupit ed. 10 *duritiem* ed. 25 *impetum* LR ed. vel *ictum* in marg. r′. 26 *reddit* LR ed. *reddidit* nos. 27 *prostratus est* LR ed. *est* delevi cum r. 29 *effudit* ed.

est intellectus; placare enim voluit Aeneae mentem et animos Troianorum, quos in pernicie Daretis laeserat, et posito furore certaminis ait melius factum est ut bos potius interiret quam Dares meliusque tibi, Eryx, bovis anima vota persolvi quam hominis; haec enim est hoc loco anima melior quae sine piaculi contagione mactata est. *hic victor caestus artemque repono:* quod dignum spectaculum provenisset, congruum ei visum est ab ipsa se artis professione dissolvere, vel maxime quia victor steterat ut saepe; de victoriis quoque veteribus laetus inde ait: quo loco dedi tale meae virtutis exemplum ibi pono et artem et caestus studiumque certandi.

*Protinus Aeneas celeri certare sagitta invitat qui forte* 485
*velint et praemia ponit ingentique manu malum de nave Seresti erigit et volucrem traiecto in fune columbam, quo tendant ferrum, malo suspendit ab alto:* sagittarum dehinc certamen induxit propositis praemiis et ipsius certaminis genere. erexit igitur arborem navis magna iuvenum manu: cum hoc dicit per plurimos factum, monstravit formae fuisse potioris ideoque posuit et Seresti nomen, quoniam dixit superius (122) navem illum habuisse maiorem. huic suspendit volucrem columbam, non quo sit ulla non volucris, sed ut genus ostenderet animalis et intactis pinnis ac per hoc quae posset volare (hoc ideo praestruxit, quod dicturus est eam volasse et ictu sagittae ab ipsis nubibus revocatam), ut eo tenderent sagittas qui haberent artem peritiamque mittendi et qui eam figere potuisset victoris sumeret praemium. *convenere viri.* viros non propter 490
sexum dixit, sed propter acumen ingenii et artis industriam: convenerunt tales qui scirent se tendendi arcus habere peritiam. *deiectamque aerea sortem accepit galea:* usus est ad vicem urnae galea et commisit virorum nomina. hoc non dixit poeta, sed intellegitur factum ex eo

---

14 *velent* L. 18 *navis* R *avis* L. 20 *ideoque* L R edI *que* om. edF. 26 *revocatur* L R *-tam* r ed. 27 *potuisset* L ed. *posset* R. 31 *delectamque* interpr. poscere videtur cf. ed. Ribb.; nam *aereā* Don. intellegit contra metrum. | *aeream* L. | *galeam* L.

quod ait sumpsit Aeneas sortem ex galea eductam. sorte enim ordinandi fuerant propter eventum feriendi, quippe si sine sorte id fieret, esset nonnulla in ordinatione contentio: si enim primi quique columbam fixissent, alii ........... aliquid nec aliquid sumerent. hoc facto *primus clamore secundo Hyrtacidae ante omnis exit locus Hippocoontis.* adlusit de primo et secundo, sed intellectu discernuntur; primus quippe exiit Hippocoon, sed secundo favore populi; secundo non post primum, sed prospero debemus accipere. hunc ergo sors fecerat primum consentiente favore plurimorum. *quem modo navali Mnestheus certamine victor consequitur, viridi Mnestheus evinctus oliva.* secundus exiit Mnestheus, qui paulo ante, cum navale certamen ageretur, victor extiterat, atque ita ut coronatus ex oliva et frondibus fuit incedens tenebat ordinem sor-
495 tis. *tertius Eurytion, tuus o clarissime frater Pandare, qui quondam iussus confundere foedus in medios telum torsisti primus Achivos.* exiit tertio loco Eurytion frater Pandari, qui aliquando in Graecos contorsit telum non suo arbitrio, sed praecedente iussione, ut ictum foedus pugnae posset repetitione confundi. tris istos cum signis suis posuit, quae a genere singulorum trahebantur aut factis, melior tamen Hippocoontis descriptio fuit, in qua et adludere voluit et iuvare: nam qui primus exierat habuit secundum favorem populi. hunc ergo dixit Hyrtaciden, Hyrtaci scilicet nobilis hominis filium, Mnestheum victoriae signis et coronae indicio ac repetito nomine evidenter ostendit, Eurytionem vero, quod Pandari esset frater, qui iussus torquendo in hostem telum foedus confudit. *extremus galeaque ima subsedit Acestes ausus et ipse manu iuvenum temptare laborem:* non

---

1—2 *sortem enim* L. 2—3 *quippe si* R *quippe* L. 4—5 *fixissent alii nec aliquid sumerent* R *f. aliquid n. a. s.* L post *alii* excidisse puto *nec ferirent* locum mutavit et mutilavit ed. 5 *hoc facto* LR *et* ed. 9 *sed prospero* LR *pro* interpos. edF. 22 *a genere vinculorum* R *a gere v.* L *aggere v.* HU ed. *aggere incolarum* O *a genere singulorum* nos. | *aut factis* om. R. 24 *iuvari* LR *iuvare* ed.

Acestes, sed Acestis nomen subsedit in galea, quem duci necesse non fuerat, quia in uno et solo esse non potuit sortis incertum; quippe ipse exeat necesse est, ubi alius non est. voluit igitur Acestes inter iuvenes numerari, non mentis ignavia, sed ludorum voto, vel maxime cum sagittarum certamen non robore corporis, sed usu posset et exercitatione constare. hunc tamen eventus sortis a fortioribus separavit in sinu galeae retinendo. *tum validis flexos incurvant viribus arcus pro se quisque* 500 *viri et depromunt tela pharetris:* meditamenta sunt ista, temptare arcus atque curvare pro modo virium suarum. curvabant arcus et sagittas ex pharetris proferebant. *primaque per caelum nervo stridente sagitta Hyrtacidae iuvenis volucris diverberat alas et venit adversique infigitur arbore mali. intremuit malus timuitque exterrita pinnis* 505 *ales et ingenti sonuerunt omnia plausu:* hic fuit eventus sagittae primae: nam inter alas hoc est inter alarum pinnas transiens ligno potius quam columbae visceribus fixa est, quo impetu et arbor inpulsa contremuit et columba exterrita geminavit trepidos plausus, in tantum ut eorum sonus conplesset universa. *post acer Mnestheus adducto constitit arcu alta petens pariterque oculos telumque tetendit:* dicendo acrem et oculos eum simul ac telum in altitudinem librasse iam significat aliquid illum in ipsa arte mirabile facturum. *ast ipsam miserandus avem contingere ferro non valuit, nodos et vincula linea rupit, quis innexa pedem* 510 *malo pendebat ab alto:* bene posuit miserandum; nam

---

1 *quem* LR *quae* ed. 4 *noluit igitur — numerari* LR *noluit ergo — munerari* ed. *voluit i. — n.* scripsi, quia sententiam hanc esse apparet: Acestes inter iuvenes prodire voluit, non mentis imbecillitate, cuius senes iuvenilia tractantes recte accusantur, sed ut ipse quoque ad ludos honorifice peragendos operam suam contulisse videretur, praesertim cum hoc certamen artis, non roboris esset. 5 *ludorum* R *laudorum* L *laudum* ed. 14 *deverberat* L. | *alas* L *auras* R ed. contra interpr. 21 *conplisset* L *conplevisset* ed. | *educto* ed. 23 *aerem* LR ed. corr. ed. post. 24 *aliquid illum* L *illum aliquid* R *a. ipsum* HU edI *aliquid* edF.

plurimum non fuit quod plenum inpedivit eventum. fecit tamen quod non longe esset ab artificis subtilitate; nam nodos rupit. non dixit quanti fuerint, ut facto adderet gratiam; et nodos rumpere quantae difficultatis fuit! deinde linea vincula alia difficultas, quod vincula ipsa fuissent ex lino, quae species tantum valet, ut cum magna difficultate rumpatur. illa autem fuerunt lina, quibus columba nexa pede uno pendebat. *illa notos atque atra volans in nubila fugit:* praeter naturam quae totiens periculum senserat liberata nexibus fugit in altitudinem summam ventis suffragantibus fota. *tum rapidus iam dudum arcu contenta parato tela tenens fratrem Eurytion in vota vocavit:* voluit poeta monstrare quanta apud Eurytionem valebat fraterna religio, cum hunc tamquam deum propria vocavit in vota. quia fuit Eurytion rapidus id est omnis moras praeveniens, stabat parato arcu et sagitta intenta et vocato prius in vota fratris nomine volantem speculatus est columbam. speculatus est quod dixit, artis fuerat; debuit enim volatum eius explorare, quoniam turbato eo atque inconposito feriendi locus inveniri non poterat. *iam vacuo laetam caelo speculatus et alis plaudentem nigra figit sub nube columbam:* ubi igitur hanc vidit laetis ac securis volatibus ferri, iecit sagittam et columbam in aere confixit. quantae peritiae fuit volantem percutere atque in alto constitutam, praeterea obumbratam nube atra! hoc loco et peritia laudatur et acies luminis, ut in tanta altitudine et adhuc volantem sub colore nubis taetro, librato primum telo et videre potuerit et ferire. *decidit exanimis vitamque relinquit in astris aeriis fixamque refert delapsa sagittam:* vitam diu tenere non potuit et exanimis lapsa sagittam, quam exceperat, reddidit. non dixit sagitta revocavit columbam, quae ruptis vinculis fugerat, sed, quod

1 *impedit* ed. 3 *quanti fuerint* LR *quot f.* edI *quot* edF. 4 *nodo rumpere* L *nodum r.* R *nodos r.* ed. 7 *linea* ed. 11 *fota* om. ed. 15 *hoc est* ed. 22 *securibus* LR. 25 *obumbrata* LR ed. *-tam* nos. 29 *reliquit* ed. | *aeriis* R *ceriis* L. 32 *fuerat* L in *fugerat* corr. R ipse *libera fuerat* edF.

erat pulchrius, ales ipsam sagittam revocavit. *amissa solus palma superabat Acestes, qui tamen aerias telum con-* 520
*tendit in auras ostentans artem pariter arcumque sonantem:* novissimus Acestes in galea subsederat, ecce et hic perdidit occasionem mittendi; quod enim expectari potuerat usque ad tertiam sortem finem sumpsit. licet igitur solutum esset illud certamen, tamen voluit etiam ipse ostentationis causa in vacuum sagittam destinare, ut spectantibus demonstraret et posse se aliquid in ea arte et, si locus extitisset, aliquid inplere potuisse. *hic oculis subito obicitur magnoque futurum augurio monstrum; docuit post exitus ingens seraque terrifici cecinerunt omina vates:* cum Acestes sagittam iecisset, subito oculis omnium magnum obiectum est monstrum, quod praevidendo nec intellegi potuit nec aliqua interpretatione dissolvi, probavit tamen hoc exitus rerum et vatum tarda responsa docuerunt. hic vates reprehenduntur, quod nec intellegere potuerunt nec avertere, usque adeo ut etiam ipsos quid illud esset casus qui consecutus est docuisset. *namque volans liquidis in nubi-* 525
*bus arsit harundo:* ecce unde monstrum et mirandum et grave; nam volans harundo arsit inter liquidas nubes hoc est mundas, cum neque fulgura extarent et aeris esset nulla turbatio. *signavitque viam flammis tenuisque recessit consumpta in ventos:* dum currit, vestigium traxit incendii et paulatim vanescendo consumpta est flamma, scilicet sagitta quoque iam consumpta quam tenuerat. *caelo ceu saepe refixa transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt:* sic sagitta igneam viam faciens cucurrit et postea non

---

2 *contendit* LR *contorsit* ed. 3 *artem pariter* R *a. pater* L *artemque pater* edF[I] ed. post. = R. 7 *tamen* om. ed. 9 *posse* LR ed. *p. se* nos (cf. 467). | *ea* om. ed. 10 *potuisset* LR corr. ed. post. 12 *omnia* L. 17 *avertere* L *advertere* R ed. 24 *cum currit* LR *dum c.* nos *quum cucurrit* ed. 25 *vaniscendo* L. | *est* R *esset* L *fuit* ed. | *scilicet et* LR ed. *et* delevi. 26 *quoniam* LR ed. *quoque iam* nos. | *consumpta quam tenuerit* L *c. q. tenuerint* R *c. q. tenuerat* nos interpolatione loco corrupto medelam quaesivit ed. q̄ = quaere in marg. adscripsit r′.

apparuit, ut fieri solet ut stellarum transitus existant et quasi quodam incendio vias monstrent continuo recessuras.
530 *attonitis haesere animis superosque precati Trinacrii Teucrique viri:* omnium mentes visus iste turbaverat, Teucrorum scilicet et Siculorum, nullus tamen discernere valuit quid ingrueret; stupor enim ex repentino facto consilia omnium iudiciumque confuderat. *nec maximus omen abnuit Aeneas:* Aeneas maximus hoc est magni intellectus arbiter omen non abnuit id est non recusavit, sed arripuit magis aestimans secundum magisterium patris, cum ex Iuli capite exisset flamma, ignem prospera potius quam adversa portendere. *sed laetum amplexus Acesten:* cum dicit Acesten laetum, ostendit etiam ipsum laeta sensisse. hunc igitur Aeneas amplexus *muneribus cumulat magnis ac talia fatur:* ecce et augmentum munerum ostendit nihil illos sensisse metuendum. accesserunt et verba Aeneae, quae interpretationem tenerent monstri nihil triste significantis. muneribus, inquit, cumulat magnis; debuit enim pro merito personae suae conpetenter honorari, qui fuisset senex, hospes, dives, liberalis, officiosus et civis. *sume, pater:* uno verbo et nomine religionem plenam praecipuae caritatis expressit dicendo sume, dicendo pater. sume enim verbum hoc loco non tradentem significat, sed hortantem ut sibi ipse pro suo merito vindicaret, quod plus fuit quam dare: ac si diceret, quod est in usu hominum, res mea res tua est, tolle quod vis. patris autem appellatione omne officiorum genus expressit; considerato enim quod patribus debetur inveniemus quid in †Acestae persona intellegere debeamus. patrem enim non solum propter aetatem dixit verum etiam

---

1 *fieri solet ut* LR om. ed. | *existunt* — 2 *monstrant* LR ed. 8 *intellectu* L. 21 *praecipue* L. 22 *sume* LR s. *et* ed. 28 *acēae* L ergo *acestae* quod habet R, sed potest in archetypo *aēeae* fuisse = *aeneae* quod exhibent OU *hac* H ed.: videtur Don. sequentibus exponere quantum hic ponderis in patris nomine insit ex pii Aeneae persona aestimandum esse et, ut solet, Acestis scripsisset; sed emendare non ausus crucem apposui.

religionis causa nec habuit aliud nomen quod paternum transgrederetur adfectum; est enim in patris potestate quicquid est in substantia filiorum, illi tantum debetur quantum Aeneas ipse vitioso patri hoc est debili ac seni exhibuisse monstratur. denique hunc collo atque umeris vexit ac desperatis omnibus et usque ad ultimum finem fortuna saeviente perductis aut cum patre desideravit evadere aut cum eo finem invenire vivendi. sic enim ille paternis fatis sua quoque fata coniunxit, ut, quicumque esset vitae vel mortis eventus, non separatum alterum, sed utrumque inveniret socium, utrumque coniunctum. certe quam conveniens huic loco persona, ut is Acesten diceret patrem in quo omnis paterni nominis, etiam post ultimum diem, quo recessit a superis, inlibata reverentia perdurabat. certe et illud Aenean intellegere possumus dixisse, quod illo nomine tam sancto, tam religioso Acesten appellare voluisset, cuius adfectum nec mors abolere potuit nec vivendi finis extinguere. *nam te voluit rex magnus Olympi talibus auspiciis exortem ducere honorem:* ecce et hic exponitur quid sit sume: auspicio, inquit, sagittae, quae repentino conflagravit incendio, ostendit magnus et venerabilis Iuppiter honorem te ducere potius debere, non traditum ferre nec pertinere ad iudicium sortis, sed esse separandum. denique cum errore humano nomen tuum galea cum ceteris sustineret, non existi de sorte, quod divini favoris fuit; neque enim tantus ac talis ceteris aequari debuisti, ut ludicris actibus probarentur merita tua, reservatus es sacris rebus, ut nobis per tuum factum futuri temporis commoda monstrarentur. *ipsius Anchisae* 535

1 *propter religionem* R, sed in marg. *religionis causa* = L (ipse an r?). 4 *vitioso* L *suo* R, sed in marg. *vitioso* (ipse an r?) om. ed. | *hoc est* om. ed. 6 *et* om. ed. 8 *eo* R *eum* L. 9 *quocumque* — 10 *eventus* LR ed. 11 *et utrumque* ed. 12 *his* LR *hic* ed. *is* nos. 13 *fratrem* L. 14 *recessit a superis* LR *accessit ad superos* ed. 15 *possumus intellegere* R. 22 *potius debere* L *potius ducere d.* R *p. deb.* om. ed. 25 *exivisti* ed. 26 *ceteris* L *aliis* R in marg. *ceteris* (ipse an r?).

*longaevi hoc munus habebis, cratera inpressum signis, quem Thracius olim Anchisae genitori in magno munere Cisseus ferre sui dederat monumentum et pignus amoris:* hoc, inquit, munus apud te debet esse praecipuum, quod amico tuo et aequaevo Anchisae inter magna munera praeferendum Cisseus largitor et dives dono contulerat. cratera inpressum signis, hoc est pretiosum arte et pondere. ponderis quidem poeta non meminit, sed dicendo inpressum signis etiam pondus videtur tetigisse, quoniam signis inprimi non potest nisi quod fuerit ponderosum et validum. quod igitur amicus religiosus amico carissimo contulit hoc Aeneas Acestis fieri libentissime voluit, quem appellavit patrem eo adfectu, quasi species illa dominum non esset
540 mutatura. *sic fatus cingit viridanti tempora lauro et primum ante omnis victorem appellat Acesten:* quod fuit insigne victoriae, postpositis qui ratione gestorum praeponi debuissent victorem Acesten pronuntiavit. *nec bonus Eurytion praelato invidit honori, quamvis solus avem caelo deiecit ab alto:* nec invidit bonus Eurytion honorem victoriae sibi debitum ad Acesten Aeneae iudicio esse translatum; solum enim honorem primatus, non etiam praemium ab eo constabat avocatum. *proximus ingreditur,* hoc est ad accipiendum praemium succedit, *donis,* ut donum sumeret, *qui vincula rupit:* non donis ingreditur, sed ingreditur id est ambulando succedit, ut dona percipiat, quoniam ipse ruperat vincula, quibus avis suspensa pendebat. *extremus volucri qui fixit harundine malum:* Hippocoontem dixit.

545 *At pater Aeneas nondum certamine misso,* id est antequam certamen equitum mitteretur, *custodem ad sese comitemque inpubis Iuli Epytiden vocat:* dixit causam cur Ascanius habuisset comitem atque custodem: inpubes, in-

---

1 *signem que* L. 3 *monimentum* R *u* superscr. r. 12 *acestis* L *acesti* R ed. 18 *eurion* infra *erytion* L. 27 *extremo* ed. | *voluc* L. 30 *comitem* sine *que* LR. 32 *hunc habuisset* ed. | *inpubes* L *-bis* R.

quit, fuit, quae quia non potest aetas ipsa regi per sese, adiungitur ei custos et comes qui inpuberem non recedendo tueatur. *et fidam sic fatur ad aurem:* facile enim ei consiliorum suorum secreta fundebat cui securus spem fili commiserat. *vade age et Ascanio, si iam puerile paratum agmen habet secum cursumque instruxit equorum, ducat avo turmas et sese ostendat in armis, dic, ait. ipse omnem longo discedere circo infusum populum et campos iubet esse patentis.* secreto Aeneas praeceperat quid fieret, cum Epytiden mitteret; gratiora enim sunt quae ad spectantium oculos insperata atque inopinata perveniunt. ipse tamen omnem populum iubet de medio abscedere, qui se passim longo circi spatio infuderat, ut campi vacuefacti hominum coetibus futuro certamini liberum spatium darent. *incedunt pueri pariterque ante ora parentum frenatis lucent in equis, quos omnis euntis Trinacriae mirata fremit Troiaeque iuventus. omnibus in morem tonsa coma pressa corona; cornea bina ferunt praefixa hastilia ferro, pars levis umero pharetras, it pectore summo flexilis obtorti per collum circulus auri:* processerunt pueri ad campum, omnes equites frenatis equis splendidi, constituti sub parentum oculis, cum ludis ipsis spectatores interessent. fremebat omnis multitudo populorum, hoc est his incedentibus fremebant tam Troiani quam etiam Siculi. cultus eorum dehinc describitur: omnes, inquit, attonsi et coronati, bina ferentes ferrata hastilia corneo ligno, alii sagittas umeris pharetrasque portantes, et usque ad summam pectoris partem aureis circulis ornati. hoc pariter de omnibus dictum est, dehinc refert divisos esse per turmas: *tres equitum numero turmae ternique vagantur ductores, pueri bis seni quemque*

---

1 *aetas* transpos. ed. | *ipsa regi per sese* L *i. p. s. r.* R *r. per se ipsam* ed. 3 *ei* LR om. ed. 5 *puerile paratu* R *puer ille paratus* L ed. 6 *cursumque* LR *cursusque* ed. et omnes fere Verg. libri. 7 *dicatit* L. 9 *fieret* LR *fieri deberet* ed. 10 *mittit* ed. 18 *praefixo* ed. 24 *etiam* om. ed. 27 *ad* om. ed. 28 *pariter* LR *partim* ed. 29 *numerum* L. 30 *vacantur* L.

*secuti, agmine partito fulgent, paribusque magistris: una acies*
*iuvenum.* alio loco pueros dicit, alio iuvenes, sed iuvenes
voto magis quam vere iuvenes: ceterum pueri fuerant aetati
Ascani conparati. *ducit quam parvus ovantem nomen avi*
565 *referens Priamus, tua clara, Polite, progenies, auctura*
*Italos, quem Thraecius albis portat equus bicolor maculis,*
*vestigia primi alba pedis frontemque ostentans arduus albam:*
supra generaliter dixit tris turmarum fuisse ductores, hic
specialiter singulos nominat signis evidentioribus monstrans.
ex his unum Priamum memoravit fuisse, Priami senioris
avi sui nomine nuncupatum, equo vectum maculis discolo-
ribus et album colorem primis in pedibus et fronte gestante.
*alter Atys, genus unde Atii duxere Latini:* alterum dicit
Atyn nuncupatum, a quo multi postea Latini hoc nomine
vocitati sunt. *parvus Atys pueroque puer dilectus Iulo:*
magnum enim parit adfectum aetas annorum ratione con-
similis, unde hunc diligebat Ascanius utpote puerum
570 puer. *extremus formaque ante omnis pulcher Iulus:* hos
omnis sequebatur Ascanius non merito, sed incedendi ra-
tione posterior, pulchrior cunctis. *Sidonio est invectus*
*equo, quem candida Dido esse sui dederat monumentum et*
*pignus amoris:* Ascanius, inquit, equo Sidonio vehebatur;
hunc enim ei Dido contulerat propter sui amoris meritum
constituendum et diuturnam puri pectoris dilectionem.
candidam Didonem dixit animo potius, non corpore, quae
cum se patris eius consideraret uxorem, non odio ut pri-
vignum habuit, sed dilexit ut filium, usque adeo ut ad-
fectum quem retinebat mente donis et muneribus conpro-
baret haberetque Ascanius eius amoris monumentum quae
potuit et odisse. *cetera Trinacrii pubes senioris Acestae*

---

4 *nominavi* pro *nomen avi* L. 5 *rans* pro *referens* R corr. r. 6 *italus* L. | *albis* om. L. 7 *primi* R *prima* contra interpr. L. 12 *gestantem* LR ed. *-te* nos. 15 $\bar{f}$ L *f.* R = *sunt* om. edF (cf. 450). | *dilectos* L. 17 *utpute* LR corr. r *ut puta* ed. 23 *ui* L *uim* R ed. *sui* r nos. | *amoris* LR *a. et* ed. 25 *n̄ corpore* L *quam c.* R ed. 26 *pater* R corr. r. | *odio* LR *eum* ed.

*fertur equis:* Troianos ductores specialiter enumeravit,
quando ad Siculos ventum est, una generalitate conplexus
est omnis, ut ostenderet eos sub Troianis fuisse. *excipiunt* 575
*plausu pavidos gaudentque tuentes Dardanidae veterumque*
*agnoscunt ora parentum:* illi quidem pavebant in conspectu
publico, sed hos Troiani reficiebant plausibus duplici modo
gaudentes, quod videbant in liberis spem et in ipsis cer-
nebant parentum similitudinem propriorum. *postquam*
*omnem laeti consessum oculosque suorum lustravere in equis:*
cum procederent, pavor eos confuderat †incontentae mul-
titudinis causa, sed postquam acceptis suorum favoribus
recreati sunt, considerato consessu, in quo alieni non fu-
erant, refecti sunt. *signum clamore paratis Epytides longe*
*dedit insonuitque flagello:* paratis iam signum dedit Epy-
tides clamore et flagello. *olli discurrere pares atque* 580
*agmina terni diductis solvere choris:* agmen alia specie
atque ordinatione conpositum in alios sese ordines vertit,
hoc enim faciendum significaverat Epytides. atque agmina
terni diductis solvere choris: in choros solverunt agmina
id est in partis. *rursusque vocati convertere vias infestaque*
*tela tulere:* alio signo accepto mutati sunt in alium modum
et tulerunt tela infesta, non vere, sed ad imaginem veri-
tatis infesta. quid sit convertere vias ipse exponit: *inde,*
inquit, *alios ineunt cursus aliosque recursus adversis spatiis*
*alternisque orbibus orbis inpediunt,* id est miscent. *pu-* 585
*gnaeque cient simulacra sub armis:* propter imaginem verae
pugnae dixit supra infestaque tela tulere, infesta scilicet
aliis in vero certamine, non ipsis qui ludicris operam
dabant. *et nunc terga fuga nudant, nunc spicula vertunt*

---

2 *una* LR *et u.* edF. 10 *incontentae* L item, sed *con* expuncto R *incontemptae* ed. *ingens tantae* suspicor. 12 *consensu* L *sensu* R *consessu* ed. post. 15 *clamore flagello* L *cl. flagelli* R *cl. et flagello* ed. 16 *terni* (et infra) R edI *ternis* (et infra) L *terna* edF. 19 *solverunt* LR *-ere* ed. 24 *adversis* L *alternis* R in *adversis* corr. ipse vel r. 27 *tela tulere infesta* LR om. ed. 29 *ter* R *terga* r = L. | *pugna* L *pugnae* R pro *fuga.* | *specula* L.

*[infensi, facta pariter nunc pace feruntur]:* aliquando simulata fuga vertebantur conversis lentis spiculis hoc est mollibus, nudato dorso (hic enim fugientibus mos est), aliquando facta pace remeabant concordes. hoc genus certaminis pyrrhicam vocant, in qua inest verisimilis ratio, sed bellis veris et proeliis necessaria. denique quicquid illic geritur militari artificio proficit et aperto certamini. ecce ipsi, dum ludunt, faciem imitati sunt belli nunc nudantes terga hoc est velut in fugam versi, nunc spicula exerentes, nunc facta pace in concordiam redeuntes. inducit parabolam, ut ostendat qua subtilitate quave arte pueri in ludicro certamine et imaginaria pugna ordines duxerint et expresserint veritatem, fregerint flexus, collegerint orbis et ordines rursum numerumque confuderint. *ut quondam,* inquit, *Creta fertur Labyrinthus in alta parietibus textum caecis iter ancipitemque mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi frangeret indeprensus et inremeabilis error: haut aliter Teucrum nati vestigia cursu inpediunt texuntque fugas et proelia ludo, delphinum similes, qui per maria umida nando Carpathium Libycumque secant [luduntque per undas]:* et propter Labyrinthi perplexas viarum formas et propter ludicrum certamen delphinorum similitudinem dedit; nam multiplices ostenderant flexus, ut Labyrinthum viderentur imitati et delphinorum laetitiam demonstrarent, quibus, cum in tranquillo pelagi ludunt, nihil est gratius. *hunc morem cursus atque haec certamina primus Ascanius, Longam muris cum cingeret Albam, rettulit,* hoc est attulit, ostendit ac docuit, *quo puer ipse modo, secum quo Troia pubes; Albani docuere*

---

1 *infensi — feruntur* deest in LR, sed explicatur (add. ed., sed omisso *pariter* et *fruuntur* scribens). 2 de *lentis spiculis* Don. fabulatur ad 7, 164 aberrans. 5 *pyrrhicam* LR ed. *pyrrhica* in marg. r′ *pyrrhicham* scribendum videtur. 6 *sed* LR ed. *et* malim. 7 *certamini* LR *-ne* ed. 14 *rursum* om. edF. 17 *frangeret* LR *falleret* ed. | *indeprensus* R *indepraessus* L *indeprehensus* ed. 18 *vestigia nati cursus* R. 21 *luduntque per undas* deest in LR, sed explicatur. 26 *morem* LR *m. hos* edF.

*suos, hinc maxima porro accepit Roma et patrium servavit honorem, Troiaque nunc, pueri Troianum dicitur agmen:* tantum certamen illud habuit gratiae, ut ad posteros quoque et per Romanum genus mitti meruerit; nam primus Ascanius quo ad tumulum avi sui Anchisae genere certaminis lusit censuit revocandum, cum Albam cingeret muris. intellegitur tunc ludos habuisse propter laetitiam conditae civitatis; per murorum enim fabricam totam civitatem debemus accipere. quomodo autem ipse exhibuit, sic tenuerunt Albani et consecratum habuerunt piaculum aestimantes, si hunc quem Ascanius induxerat morem praetermisissent. nec ipsi tantum qui Ascanium viderant curaverunt esse servandum, sed docuerunt etiam suos: tantumque istius memoria valuit, ut ad Romanos atque eorum posteros reverenda observatione transiret. denique ne origo istius ritus saeculis labentibus interiret, cum quotannis ludus ipse replicatur, Troia dicitur et Troianum agmen adseritur.

*Hac celebrata tenus sancto certamina patri, hinc primum fortuna fidem mutata novavit:* cum hactenus hoc est huc usque fuissent ludi et securo cursu res Troianae ducerentur, repente mutata fortuna est et, ut primo fuerat, effecta est iterum mala. quomodo talis facta sit demonstratur: *dum variis tumulo referunt sollemnia ludis, Irim de caelo* 605
*misit Saturnia Iuno Iliacam ad classem ventosque adspirat eunti:* dum omnes intenti ludorum varietatibus delectarentur et exhiberent sepulchro sollemnia, Irim Iuno demisit ad terras e regionibus caeli ad eam litoris partem in qua naves tantum fuerant et Troianorum feminae. ventosque adspirat eunti, *multa movens necdum antiquum saturata dolorem:* Iris natura sua velox est, huic, quo properantior

---

1 *suos* L *patres* R. 12 *ipse* L. 15 *atque eorum* L *eorumque* R r = L. 19 *certamine* L. | *hinc* LR *hic* ed. versum 603 ab antecedentibus disiunxi secundum interpretationem. 22 *effecta* L *facta* R *effacta* r. 24 *ludis et irim* L. 30 *movens* LR *monens* ed. | *saturata* L *exaturata* R ed. 31 *huic* R *hinc* L ed. | *properatior* LR ed.

faceret, ventos addidit Iuno; vetus enim et pertinax inimica, ne occasionem temporis perderet quo aberant viri et aderant solae mulieres, mature debuit cogitata perficere, quia Troiani ut perfectis rebus iam redituri sperabantur ad navis. multa movens: multa ipsa non extra causam posita, sed quae negotio ipsi proficere potuissent intellegenda sunt. necdum antiquum saturata dolorem: ubique Iuno Vergilio displicet, quia per tot annos perindeque vetus inimica tamquam novas inimicitias gerebat. nondum, inquit, saturata: at quando id fieret, si tot poenis ac tantis temporibus expleri nequivit? cogitaverat autem incendium navium, quarum adminiculo Carthaginem dimiserant Troes, ut in Sicilia saltem perditis navigandi subsidiis remanerent; hoc enim desiderabat inpleri, ut Aeneas, si perire non posset, Italiam saltem non teneret. hanc consilii sui fuisse sententiam ipsa etiam primo libro testata est, cum diceret (38) „nec posse Italia Teucrorum avertere regem?“ *illa viam celerans per mille coloribus arcum:* non per mille coloribus, quoniam vitium est, sed ita: illa
610 viam mille coloribus per arcum celerans. *nulli visa cito decurrit tramite virgo:* cito tramite hoc est celeri transitu: usque adeo celeritas fuit, ut nullus vidisset venientem. *desertosque videt portus classemque relictam,* quod faciebat ad causam, ut omnes viri afuissent, quibus contrarium aliquid suaderi non posset. *at procul in sola secretae Troades acta amissum Anchisen flebant:* quamquam viri abessent, non tamen longe a navibus separatae in acta considebant feminae. actam dixit secretam litoris partem. illic, inquit, constitutae flebant Anchisen perditum. *cunctae-*
615 *que profundum pontum aspectabant flentes: heu tot vada*

1 *feceret* L *faceret* edI *fieret* R edF. 3 *et aderant* R *et aberant* L. 4 *ut* om. R ed. add. r = L. 5 *movens* R *monens* L ed. 10 *ut* L //*ut* cum ras. R exp. r *at* nos, temere mut. ed. | *id fleret* LR *impleret* r *id fieret* ed. 14 *implere* edF. 15 *saltem italiam* R. 18 *ciacclerans* L. 21 *virgo* finis lemmatis in LR v. 611 add. ed. 25 *contrarius* LR *contra ius* OU *contrarium* r ed. 28 *acta dixit* L.

*fessis et tantum superesse maris, vox omnibus una. urbem orant, taedet pelagi perferre laborem.* occasione nocendi iuvabant omnia: primum solitudo loci, tempus quoque quo aberant viri, persona etiam mulierum quibus facile potuit persuaderi quarumque ingenium leve in quamcumque partem duci facilius posset, quodque iam cunctae laboris et pelagi odio ac formidine premebantur, denique, cum ob aliam causam lacrimas funderent, dolentes alienam mortem de suo quoque exitio universae cogitabant respicientes altitudinem pelagi et inmensae navigationis futura discrimina ultra quam esse possent inmoderatius aestimantes. non enim haec inani coniectura metuebant, quae malorum praecedentium magisterio didicerant quid mali esset relicta securitate terrae ire inprovide in elementum quod infidum homini, quod multiplici discriminum mole cumulatum esse constaret quodque detestandum ac non inmerito fugiendum suis potius exitiis quam exemplis didicerant alienis. tractatus igitur iste mulierum quoniam usque eo processerat fixa scilicet et definita sententia, ut remanerent in loco atque hic incolendae urbis fabrica proveniret (odio quippe his fuerat navigandi tantummodo cura perpetua nec finem inveniendi), ecce quanta oportunitas occurrit volenti evadere contraria ut profuturum putaretur quod esse constabat inimicum: iam volebant quod pro voluntate Iunonis fuerat necessarium. *ergo inter medias sese haut ignara nocendi conicit:* inter medias sese conicit, ut verba eius simul circumfusae omnes audire potuissent; qui enim plurimis hominibus locuturus est medius esse debet, ut

1—2 *orbem orat* LR. 2 *occasione* LR *-nem* r edF. 3 *solito* LR *-tudo* r ed. 4 *aberrant* LR corr. r ed. 6 *quamque* L *quamquam* R *quumque* edF *quodque* nos. 14 *inprovide in elementum* R *inpr. inclementum* L *per aequor* ed. 15 *male* LR *mole* ed. 17 *tractatur* ed. 18 *quo usque* LR *quoniam usque eo* nos, temere locum mut. ed. 20 *hi sint colendae* LR *hic sine c.* ed. *his incolendae* r *hic i.* nos. | *provenirent* ed. 21 *nec* om. ed. 22 *volentes* LR *-ti* nos *-tibus* ed. 24 *iam* LR *i. enim* edF. 26 *conicit* in lemm. et interpr. LR *coniecit* in interpr. ed.

omnibus proximus esse possit. *et faciemque deae vestemque reponit, fit Beroe Tmarii coniunx longaeva Dorycli, [cui genus et quondam nomen natique fuissent]:* fraus quaesita est ad fallendum; si enim sciretur quae esset, nulla eam ex praesentibus feminis audiret. posita igitur veste ac deae persona facta est Beroe, quam illae noverant quam nobili esset ex genere, quanti esset meriti, cuius uxor, quantorum filiorum mater, quantae sapientiae per aetatem, digna omni modo quae audiri deberet, si quid forte suadere voluisset. *ac sic Dardanidum mediam se matribus infert:* iam supra dictum est quare mediam, hic vero mediam dixit quasi participem causae, hoc est unam ex illis quarum fuit tractatus in medio. *o miserae, quas non manus, inquit, Achaica bello traxerit ad letum patriae sub moenibus, o gens infelix, cui te exitio fortuna reservat? septima post Troiae excidium iam vertitur aestas, cum freta, cum terras omnis, tot inhospita saxa sideraque emensae ferimur, dum per mare magnum Italiam sequimur fugientem et volvimur undis:* ut evaderemus, inquit, Achaicas manus, ut interitus nostros non videret Troia, cum caderet, ut ossibus nostris occasus patriae non faceret sepulturam, non illa felicitas fuit; aestimari hoc inter initia potuit, antequam nos malorum congeries multiplicata docuisset infelicitatem potius esse quod superstites sumus, quod post tantorum interitum civium poenis potius quam commodis reservamur. intellegamus tandem quod inter initia inprudentes omisimus et infelicitatis nostrae miserabilis casus consilio cautiore tractemus; deterior miseras peioribus fortuna suppliciis semper esse obnoxias voluit; contra certandum est, ut illam, si non resistendi constantia, vel

1 *proximus esse posset* LR *possit* r *e. pr. possit* ed. 2 *marii* LR. 3 *cui — fuissent* deest in LR, sed explicatur. 11 post *infert* ex sequ. lemm. *omisere quas* add. LR, sed L expunxit ipse nec habent HOU ed. 22 *aestimari* LR *-anda* cum prava distinctione ed. | *posuit* LR ed. *potuit* nos. 25 *commodis* LR *incomm.* ed. 27 *amisimus* R. 30 *constantiae* LR ed. | *vel* om. ed.

remedio superemus. gens nostra mala fatorum sorte progenita omnis est adversis destinata suppliciis, habuerunt aliquid meriti simul interire cum patria, noster finis adhuc usque differtur, ut variis tormentorum vicibus adflictae perduremus. nam quis erit malorum ipsorum finis, qui continuis annorum septem spatiis concludi non potuit? maria omnia et universae terrarum partes cruciatus nostros poenasque testantur, cum Italiam sequimur semper, quae fugit aut non est. *hic Erycis fines fraterni atque hospes* 630 *Acestes: quis prohibet muros iacere et dare civibus urbem?* oportunum prorsus remanendi tempus est, locus volentibus congruit, negari non potest quod fuerat fratris, Troiani sunt harum terrarum incolae, non denegabunt cives necessariam civibus sedem, conveniunt omnia commodis nostris, omittenda non est tantae expeditionis occasio, ne quaesita posterius reperiri non possit. *o patria et rapti nequicquam ex hoste penates:* o, inquit, patria, quam deseruimus inprudentes, quid profuit penatis deos flammis esse subtractos? ecce nec sibi potuerunt prodesse nec nobis. quid profuit navibus vectos, quid effectos comites nobis? errant ipsi quoque nec suam saltem iniuriam pellunt, miseriae nostrae nullius auxilium sperant, unum superest, ut secutae consilium, quod vestris sensibus intimavero, provideamus nobis quiescendi remedium. dictura quid esset necessario faciendum praemisit et haec, ut persuasionis obtineret effectum: *nullane,* inquit, *iam Troiae dicentur moenia? nusquam Hectoreos amnis Xanthum et Simoenta videbo?* tantum, inquit, errandum est nobis, ut, cum otium non

---

1 *superamus* LR ed. post hoc aliquid excidisse falso putat edF. 2 *habuerunt* LR *habuerat*? 3 *aliquid meriti* L *aliquod m.* R locum temere mut. ed. | *interiri* LR *-re* ed. 4 *ut* — 5 *perduramur* LR *ut* — *perduremus* r an *et* — *perduramus*? 5 *perducamur* ed. 10 *quid* LR edF, sed infra ad v. 795 bis laudatur *quis*, quod interpretationi magis convenire videtur. 12 *fratri* LR *fratris* ed. 15 *expetitionis* LR corr. ed. 18 *flammis* LR *e flamma* edF. 20 *vectos* L *vectas* R *esse* add. ed. 28 *otium* bis R *ut cum o.* r = L.

suppetit, nequeamus reparare perdita? hunc adfectum videtur ea occasione duxisse, quia apud Helenum Troiani et Troiam viderant et Troiae portas agnoverant, Simoim quoque et Xanthum, quae conditoribus suis solacium dabant, si non magnitudine, vel appellationibus nominum. hoc igitur ista doloribus velut propriis iungit, quod non proveniente otio spes nulla subsisteret etiam ipsis novandi quae Helenus potuit. nusquam semel positum singulis debet adiungi, ut sit nusquam Hectoreos amnis, nusquam Xanthum, nusquam Simoim videbo. narrat iam consilium suum (et huic addit auctoritatem expositio personae) et se sociam facti futuram spondet, ne excusando partis suas
635 aliarum consensus averteret: *[quin agite et mecum infaustas exurite puppis].* agite iam quod dico, inquit, et mecum navis istas commodis nostris inimicas incendite; mala quippe quae patimur puppium nobis incolumitas nutrit, ipsae infaustae sunt, ipsarum est fortuna deterior, abolendae sunt, ne nos ad infeliciora transvectent quibus nulla requies, nullus datus est portus. hoc faciendum Cassandra mandavit et monuit, cum quiescerem dormiens, parendum est consiliis eius, quae mihi conplenda commisit et inplendi substantiam dedit. hoc est quod ait dicens *nam mihi Cassandrae per somnum vatis imago ardentis dare visa faces: hic quaerite Troiam, hic domus est, inquit, vobis.* a persona consilium sumpsit quae vatis adhibuit nomen, a tempore quo dormienti sibi dictum esse mentita est; quippe

---

1 *videntur* LR ed. *videtur* U nos. 2 *ea* L *et* R r = L *ex* edF[I], sed cf. v. 650 *ducens tempore.* 3—4 *simoim quoque* L *et simoin quoque* R. 4 *sanctum* R. 5 *vel* LR (cf. v. 625) *saltem* ed. 7 *subsisteret* LR *extaret* ed. 11 *expositio persona* LR *-nae* r *exposita persona* ed. 12 *se* om. LR add. ed. 13 *quin* — 14 *puppis* non habent LR ed. addidi, quia explicatur. 18 *transiectent* LR *transvectent* nos *inducant* ed. 23 *vates* L. 24 *vobis* lemmatis finis in LR *iam* — *res* add. ed., sed non explicatur. 25 *persona* LR *a p.* r *personae* ed. | *sumpsit* LR ed. ad ea quae sequuntur *a tempore* etc. non videtur quadrare *suum fulsit* suspicor. | *quae* LR *cui* r *atque* ed. 26 *quo* LR ed. *quod*?

constaret falsitas ex eo, si alio tempore mortuam diceret
visam esse vel auditam. refert iam velut mandati summam:
errat, inquit, vestri tractatus intentio, non alia
vobis quam haec terra debetur, frustra adhuc peregrinandi
suscipitur labor, hic quaerenda est Troia ubi Troiani
reperti sunt cives. quaerite hoc significat, quia quod non
quaeritur non potest inveniri: ideo hoc posuit, quod potuit
dici quid, si non invenietur? contra ait hic potest quaesita
consurgere; hic enim vobis est domus. o commodum consilium
vatis, o civis veneranda consulta! loquebatur quid
effici conveniret et qua via posset inpleri non dubia, ut
fieri solet, sed aperta ratione monstrabat. videbatur illa
faces mihi flammantis offerre, ut ostenderet miseriis nostris
aliter prospici ac provideri non posse: *nec tantis mora
prodigiis, en quattuor arae Neptuno, deus ipse faces ani-* 640
*mumque ministrat:* concurrunt probamenta fidei et veritatis
supplementa non desunt; incendia quippe navium cogitantibus
sacer ignis occurrit. offert aras ipse Neptunus inplendis
rebus porrigendo substantiam; nam nostros a suis
regnis prohibet atque arcet accessus. fiat ergo cum deorum
voto quod dicitur, fiat quod vatis tantae praedixit auctoritas
et numina praesentia probaverunt. *haec memorans
prima infensum vi corripit ignem sublataque procul dextra
conixa coruscat et iacit:* ne Troianorum feminae de faciendo
vel non faciendo tractarent, omnia disputationis incerta
Iris praeveniens ignem prima, dum loquitur, rapuit simul
et misit. subitum enim ac repentinum esse debuerat quod
displicere forsitan potuit et obiectu contradictionis excludi.
*arrectae mentes stupefactaque corda Iliadum:* stupuerat hoc
facto universarum mens. *hic una ex multis, quae maxima
natu, Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:* dicturus 645
ex multis solam insidias sensisse dedit ei ex aetatis maturitate
prudentiam, ut autem digna videretur quae deberet
audiri, nutrix, inquit, fuit infinitorum filiorum Priami,

3 *errant* LR *n* exp. L II man. r. 13 *afferre* ed. 23 *primo* R. 30 *e multis* ed.

qui reges esse possent, si Troianorum fortuna constitisset. *non,* inquit, *Beroe vobis, non haec Rhoeteia, matres:* disputat quid de illa sentiret, matres, inquit, non est ista Beroe nec Rhoeteia hoc est Cretensis, potest intellegi et Rhoeti filia. *est Dorycli coniunx:* si non erat Beroe, quomodo dicit est Dorycli coniunx, cum longe absurdum sit confirmare quod negatum videatur? totum negativum est; nam quod dixit non est, non semel, sed per omnia intellegendum est et non habebit errorem, ut putetur illa esse et non esse, ut sit non est Beroe vobis, non est haec Rhoeteia, matres, non est Dorycli coniunx. expleta denique negantis coniectura incipit suspicionis suae partis adserere, ut adstruat non esse ipsam quae putabatur neque hominem esse, sed deam. *divini signa decoris ardentisque notate oculos, qui spiritus illi, quis vultus vocisve sonus vel gressus eunti:* animum percurrit et corpus, ut nihil in ea videretur esse mortale. quod videtur, inquit, quod loquitur quodque ambulat divinum est omne nec sonat hominem nec hominem monstrat. addit aliud quod non
650 ex coniectura, sed ex veritate descenderat; ait enim *ipsa egomet dudum Beroen digressa reliqui aegram, indignantem, tali quod sola careret munere nec meritos Anchisae inferret honores:* magna confirmatio; ipsa inquit et adiecit ego; duplicatio enim facit meliorem fidem, cum ea quae dictura est non ex aliis se audisse, sed potius vidisse contendit, dehinc loquentis verba sumpsisse auribus et scisse quid dixerit. his ergo copiose quod dicebat adstruxit: dudum inquit ducens tempore rationem, hoc est ante paululum significans, ut ex proximitate nulla videretur intervenisse causa quae memoriam falleret, item a persona, ipsa egomet; persona est quod etiam Beroen nominavit, signa per-

---

2 *thoetia* LR *rhoeteia* r. 5 *rhoeti* LR *-ei* ed. 6 *longa* L *longas* R *longe* r om. ed. | *absurdum* LR ed. *-issimum*? 15 *qui sp.* LR *quis sp.* ed. 16 *animam* R. 18 *quoque* L. 22 *aliquod* LR *tali quod* r. | *merito* L. | *inferat* LR corr. r. 24 *cum ea quae* LR *c. aeque* edI *aeque* edF. 26 *scivisse* ed. 28 *tempore* LR ed. cf. 634 et 10, 63 *a t.* r. 31 *etiam* om. edF.

sonae ipsius ab actu quoque monstravit, aegra, inquit, fuit, hoc est cruciabatur animo animoque commovebatur; dicit causam aegritudinis ipsius et commotionis tali quod sola careret munere nec merito Anchisae inferret honores: dolebat quod non obsequeretur manibus Anchisae in sollemnibus exhibendis. *haec effata:* locuta est haec. *at matres primo ancipites oculisque malignis ambiguae spectare rates:* 655 primo, ait, ancipites, primo ambiguae, primo oculis malignis rates spectabant hoc est oculis suis malas animi cogitationes demonstrantes. sed cum dicit primo dubiis et primo incertis et malignis primo, hoc ipsum videndum est quos exitus habeat quove eius tendat incertum: *miserum inter amorem praesentis terrae fatisque vocantia regna:* tenebantur amore praesentis terrae, in qua sibi otium spondebant et malorum omnium finem, ubi cum civibus essent futurae habentes requiem sempiternam; e contrario tractabant spem fatis volentibus debitam. hoc fecit sequentis consilii, *cum dea se paribus per caelum sustulit alis ingentemque fuga secuit sub nubibis arcum:* adhuc in incerto sententiae constitutas Iris dimisit et rediit ad caelum. *tum vero attonitae monstris actaeque furore concla-* 660 *mant:* attonitae, id est sollicitiores effectae et iam non dubiae, ac furore correptae conclamant, ut iam non paucae, sed universae peccarent; clamabant et alias aliae, scilicet quas primus furor invaserat. *rapiuntque focis penetralibus ignem, pars spoliant aras:* non sufficiebat furentibus quod

---

6 *efferata* LR *effata* r. 9 *expectabant* R. | *animi* R *animico* L *animo* ed. 13 *satisque* L. 16 *habentes* LR *et habiturae* ed. 17—18 *hoc fuit sequentis consilii* LR ed.: intellectu haec carent; latere ratus quod ad lemma transitum faceret *fecit* scripsi, ut *sequentis* acc. plur. sit cum gen. obi. 20 *incertum* R corr. r. | *constituta si iris dimisit* LR *constituta se i. d.* r *constitutis Iris se demisit* ed. correxi ita, ut *dimisit* pro *reliquit* positum putarem cf. v. 608. 21 *figura* R *furore* r = L.
22 *idē* L *id est* R *hoc est* ed. | *sollicitiopes* LR *sollicitae* ed. | *effecte* R *effecti* L. | *etiam* LR *et iam* nos *et etiam* ed. 23 *ad* R *ac* r. 24 *et alas alae* LR (cum spatio post *alas* L) *alacres* ed. 25 *primus* LR *-mas* ed.

suggerebant arae, ex interioribus quoque partibus incendia rapiebant, ut futuro sceleri omne genus criminum iungeretur. *frondem ac virgulta facesque coniciunt:* atque ut celer sceleris proveniret effectus, fomenta virgultorum et frondium congerebant, quae incensa arderent facile et facilius accensa consumerent. quantum autem malum ex frondibus atque virgultis inflictum repente sit et mature cumulatum sequentes versus ostendunt; ait enim *furit inmissis Vulcanus habenis transtra per et remos et pictas abiete puppis:* translatione usus est dicendo furit Vulcanus inmissis habenis; aurigae enim, ut quadrigae vehementius currant, relaxant frenos et habenas remittunt: ignis autem, tamquam habenarum laxamenta sumpsisset, ita virgultis adiutus et frondibus et remos occupavit et transtra atque ipsas puppis plena virtute possedit.

665 *Nuntius Anchisae ad tumulum cuneosque theatri incensas perfert navis Eumelus et ipsi respiciunt atram in nimbo volitare favillam:* solet nuntiis plerumque non credi, sed quod Eumelus de incendio navium dixerat tam credibile fuit, ut quod Troiani auribus sumpserant oculis evidentissime probaretur, cum fumus nubes faceret et per aera favilla ferretur. *primus et Ascanius, cursus ut laetus equestris ducebat, sic acer equo turbata petivit castra nec exanimem possunt retinere magistri:* etsi adhuc puer Ascanius fuit, senserat tamen quantum mali esset effectum: quo permotus ipse, dum res laetas ageret et equestre certamen agitaret, advolavit ita ut equo vehebatur, nec eum magistri agminis retinere potuerunt; fuit enim sceleris 670 inmanitate exanimis redditus. *qui furor iste novus? quo nunc, quo tenditis? inquit. heu miserae cives, non hostem inimicaque castra Argivum, vestras spes uritis:* invectio inducta sine principiis; sic enim procedere debuit ab eo

4 *sceler sceleris* LR *celer sc.* O nos *scelere sceleris* U *sceleris* H ed. 6 *accensae* LR corr. ed. 11 *inmensus* infra *inmensis* LR, sed ad v. 752 recte *inmissis* LR. 13 *ita* LR edI *in* edF[I] om. ed. post. 24 *huc* LR *adhuc* corr. ed. 29 *qui* LR *quis* ed. et Verg. libri. 32 *si* LR *sic* r ed.

cuius commodum fuerat interceptum. factum, inquit, quod estis adgressae, quod funestis manibus spem vestram tradidistis incendio, insaniam vestram, cives, amentiamque testatur. nullus est enim nisi satis vehementerque desipiens qui rebus suis interitum ferat. ausus huiusmodi aut dementis esse constat aut hostis. denique sic magistro furore peccatis, ut confidam vos navis nostras castra arbitratas esse Graiorum. nostrum est, miserae, quicquid ardet et flammat, nostrum est quicquid per vestras manus inimicum consumit incendium. *en ego vester Ascanius:* vel me, inquit, Ascanium vestrum reiecto furore cognoscite, non sum alienus a causa qui loquor. *galeam ante pedes proiecit inanem, quam ludo indutus belli simulacra ciebat:* sic debuit agere qui a furiosis cupiebat agnosci nec aliter potuit exprimi status desipientium; si enim ulla sanitas fuisset, illum et in galea cognoscere debuerunt. et proiecit bene additum est, ut perturbatio loquentis melius possit adverti: exuit galeam et quod in spectaculis ornatus causa gerebat abiecit. *accelerant simul Aeneas, simul agmina* 675
*Teucrum:* qui equo vehebatur praecesserat pernicitate animalis adiutus, mox tamen Aeneas et ceteri consecuti sunt; omnis enim una et communis calamitas moverat. *ast illae diversa metu per litora passim diffugiunt silvasque et sicubi concava furtim saxa petunt:* quae obiurgationem solius Ascani ferre nequiverant multo magis sperabant se ipsius Aeneae multitudinisque praesentiam sustinere non posse: proinde fugientes petebant diversa in quibus latere potuissent, scilicet aut abdita litorum aut cava saxorum aut silvarum devia aut summa montium aut longinqua camporum. *piget incepti lucisque:* erubescebant, inquit, reprehendentes ipsae consilia sua et factum detestabile

---

3 *amentemque* R corr. r. 8 *miseriae* LR corr. r. 9 *flammat* LR *uritur* ed. 13 *quam* LR *qua* ed. et Verg. libri. 17 *perturbatio* LR *pueri turbatio* ed. 19 *accelerant* LR -*rat* ed. et Verg. libri optimi. 28 *causa saxorum* LR (ex *cau saxorum* archetypi?) *cava s.* r ed. 30 *lucrisque* R corr. r. | *erubiscebant* L.

iudicii sui definitione damnantes, in tantum ut ipsae in
se viderentur protulisse sententiam, quod post tam nefarium
scelus indignae carperent lucem. *suosque mutatae agnoscunt:*
iam coeperant scelus nosse quod fecerant et iam suos agnoscere.
*excussaque pectore Iuno est:* successerat enim sanitas unde Iuno
discesserat. non potuit fortius exprimi scelus quod Troia-
norum matres admiserant, nisi ut diceret poeta in earum
sensibus Iunonem fuisse praesentem; sic enim ad eius ar-
bitrium factum est quod fuit Troianis adversum, quasi
ipsa Iuno in interitu navium procurando fuisset operata.
680 *sed non idcirco flamma atque incendia viris indomitas
posuere:* fugiebant quidem illae, sed quid ardenti profuit
classi, cuius adversa crescebant? *udo sub robore vivit
stuppa vomens tardum fumum lentusque carinas est vapor
et toto descendit corpore pestis:* tenebat ignis viris suas,
sed lignis umidis inpediebatur aliquantum, sic tamen ut
ederet occupata et correpta consumeret. *nec vires heroum
infusaque flumina prosunt:* nec vincebatur illud malum
labore atque fortissima opera Troianorum, cum portarent
aquam et navibus largissimam infunderent. flumina:
cum illic non essent flumina et praesto esset mare, flumina
debemus accipere aquam marinam in modum fluminum
fusam; copiosa enim esse debuerat, ut magnum incendium
685 valeret extinguere. *tum pius Aeneas umeris abscindere
vestem auxilioque vocare deos et tendere palmas:* cum videret
Aeneas auxilio suorum hoc est humanis nisibus contra
tantam perniciem navium opem conpetentem ferri non posse,
tum discissa ab umeris veste, quod signum fuit doloris
maximi, quoniam pius fuit hoc est deorum purissimus
cultor, superorum numen restinguendo incendio supplice

---

2 *se* LR *sese* edF. 3 *indignae* LR *-ne* ed. | *carpent* L. 10 *in interitum* LR ed. *in* del. r *in interitu* nos. 14 *tardumque* R. 16 *lignis* LR *ignis* ed. 20 *largissimam* LR ed. *largissima* retracto ad antecedentia *flumina* U fortasse recte. 24 *abscendere* LR corr. r. 28 *dissa* R corr. r. 30 *super umerum numen* L *superni numinis* R *supernum numen* r′ *superum n.* ed. *superorum n.* nos. | *supplice* LR *supplici* r.

voce poscebat in auxilium. *Iuppiter omnipotens, si nondum exosus ad unum Troianos, si quid pietas antiqua labores respicit humanos, da flammam evadere classi nunc, pater, et tenuis Teucrum res eripe leto:* conplexus est omnia quae pro malorum necessitate fuerant postulanda; tenuit quippe quae ad inpetrandum proficere potuissent. ait igitur Iuppiter: quod si esset solum, sufficeret illum nominatum esse qui posset auxiliari; addidit omnipotens: qui enim praestandi habet substantiam valet etiam difficilia atque ardua removere. restabat ut vellet; non enim sufficiebat posse, nisi et voluntas accederet: quapropter addidit si tamen non omnes tibi odio sumus; multi enim ipso conivente in Troia perierant. idcirco dixit si nondum exosus ad unum Troianos: quod ait ad unum, hoc intellegi debet: si non etiam me odisti et me quoque cum ceteris infensus insequeris, da recedat a mea classe incendium. addidit ad commovendam miserationem egestatis et paupertatis angustias, quae nonnumquam etiam inimicorum duritiam molliunt. *vel tu quod superest infesto fulmine morti, si mereor, dimitte tuaque hic obrue dextra:* ecce aperuit quid sit quod dixit si nondum exosus ad unum; ait enim aut si et ego non mereor vivere, non excrucier malis, peream semel et intercam fulmine tuo. libenter peream, si dextera tua mihi contigerit mori. *vix haec ediderat, cum effusis imbribus atra tempestas sine more furit tonitruque tremiscunt ardua terrarum et campi, ruit aethere toto turbidus imber aqua densisque nigerrimus austris inplenturque super puppes, semusta madescunt robora, restinctus donec vapor omnis et omnes quattuor amissis servatae a peste carinae:* meritum hoc loco poscentis ostenditur et bene-

---

3 post *pater* sex litterae erasae in L nihil deest. 7 *sufficerat* LR *suffecerat* r ed. 8 *addit* ed. 12 *conveniente* LR ed. *conivente* ed. post. 16 *da* LR *da ut* ed. 21 *excossus* R *excussus* L (supra *exosus*). 21—22 *aut si et* LR *si* ed. 22 *non excrucier* LR *da ne e.* ed. | *malis* LR *tot m.* ed. | *peream* LR *sed potius p.* ed. 23 *peream* LR *peribo* ed. 24 *contingerit* L. 26 *tremescunt* R corr. r = L.

ficium plenum eius qui de potentia maiore ac voluntate studiosa praestabat. infinitum, inquit, pluviae modum mox Iuppiter navibus infudit ardentibus atque ita illarum extinxit incendia, ut carinis oppletis ne vapor quidem reliquus remaneret. perditis igitur quattuor, quas ante caeleste beneficium absumpserant flammae, omnes hoc est reliquae liberatae sunt. quantum Aeneae meruit deprecatio, cui duo sunt praestita quae negotio fuerant necessaria, celeritas beneficii, quia quicquid flamma possederit mature consumit, et vis pluviarum maior cum tempestate commoda, quae ipsas pluvias concitaverat, ut incendii maiorem vim extinguere potuissent!

700 *At pater Aeneas casu concussus acerbo nunc huc ingentis, nunc illuc pectore curas mutabat versans, Siculisne resideret arvis oblitus fatorum, Italasne capesseret oras:* haec fuerant in deliberatione Aeneae constituta et tamen sibi contraria; nam talia e diverso veniebant quae confunderent aestuantem. unum fuit conpendiosum, quod amissarum navium veniebat ex casu, ut in Sicilia cum sociis remaneret. huic consilio occurrebat inexpugnabilis fatorum necessitas, quae illum trahebat ad Italiam, sed eo tendi non poterat deficiente numero navium, qui universis transvehendis videbatur esse necessarius. *tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas*
705 *quem docuit multaque insignem redditit arte, haec responsa dabat:* deliberantis incertum et confusae mentis turbata consilia instruebat Nautes; talis enim fuerat qui aetate potior mereretur audiri et quem Pallas fecisset prudentem et ad sentiendum providendumque reddidisset aptissimum. laudem istiusmodi praemittendo iam ostendit ipsius consiliis Aenean instructum occurrisse pro temporis ratione

---

4 *carenis* LR *arenis* ed. 5 *perditus* R r = L. | *quassate* L *quassante* R *quas ante* r om. ed. 5—6 *caelesti beneficio* ed. 6 *absumpserant — hoc est* om. ed. 17 *nam tali* L *nantali* R *nam talia* r ed. 19 *navium* LR *n. damnum* ed. 26 *deliberatis* LR *deliberationis* ed.

necessitatibus suis. haec ergo dabat responsa quae dictabat adversorum ratio: *vel quae portenderet ira magna deum vel quae fatorum posceret ordo;* sciebat enim alia sequi unumquemque non debere, ne adversantibus fatis, dum nititur, superetur. speramus ergo istum daturum contra casus remedium et secuturum fatorum cursum, qui aliam in partem perverti non potest. *isque his Aenean solatus vocibus infit:* necesse enim fuerat refici consolationibus aestuantem, ut audire remedium posset. *nate dea, quo fata trahunt retrahuntque sequamur: quicquid erit,* 710 *superanda omnis fortuna ferendo est:* duas sententias dixit quae actus hominum teneant, quas nisi quis sequatur, errabit semper nec agendi rationem quam commode amplectatur inveniet. hae quamquam ad Aeneae causam pertinere videantur, tamen sequendae sunt omnibus quos adversa percusserint. agimur enim fatis et sumus idcirco alienae potestati subiecti: proinde sequi necesse est quo quemque fata pertraxerint, consentiendum rursum, si ab eo retraxerint quo primo perduxerant. quid enim prodesse poterit, si adversus ea oboriatur reluctatio quae nitendo superari non possunt? bene posuit trahunt et sequamur. qui enim sequentem trahit procul dubio ostenditur fortior, unde necesse est etiam invitum sequi qui potioribus nisibus superatur. sequamur, inquit, quicquid erit, hoc est sive trahant sive retrahant fata. haec est una sententia quae sequenda est, cum fata aut volunt aliquid aut nolunt, alia vero est quae adversus mala necessaria est, ut adversa ferendo potius quam resistendo vincantur. huic sententiae et Terentiana (Andr. 2, 1, 5) consentit dicta aliis verbis, mente tamen eadem: „quando“, inquit, „non potest

---

2 *et quae portenderet* LR ed. *vel quae p.* ed. post. 3 *ordo* om. cum spatio quattuor litterarum L sine spatio R *vis* inseruit r. 6 *factorum* R corr. r. 7 *hisque his* LR. 8 *solatis* LR corr. r. 10 *sequa* L *se* R *sequamur* r. 16 *factis* L. 20 *poterit* R *-rint* L *-runt* ed. 21 *superavit* R *-ri* r. | *possunt* LR ed. *possint* r. 29 *terrentiana* LR corr. r.

fieri quod vis, id velis quod possit". ipse vero Vergilius alio loco (5, 21) „nec nos obniti contra nec tendere tantum sufficimus; superat quoniam fortuna, sequamur quaque vocat flectamus iter". post consolativa verba coepit consilium dare et id praestruit ne contradictione inprobetur: *est,* inquit, *tibi Dardanius divinae stirpis Acestes, hunc cape consiliis socium et coniunge volentem:* habemus hic, inquit, Acesten Dardanium: proinde, quia noster est, non reluctabitur, volet quicquid te viderit velle. daturus consilium muniit etiam illam partem qua dici potuit quid, si quae volumus respuat qui velle aut nolle habet in sua potestate? huic, ut diximus, occurrit necessariis adsertionibus et incipit ipsum consilium dicere. iunge, inquit, tractatibus tuis eius consilia et consensum ante omnia retine. hoc quippe agendum primitus fuit, ut haberet ille suscipiendi voluntatem; nolenti enim frustra insinuarentur cetera. *huic trade amissis superant qui navibus:* non enim oportuit inponi navibus plus quam poterant ferre. ecce unum consilium in tanta necessitate probabile, subiungit aliud: *et quos pertaesum magni incepti rerumque tuarum est:* nonnulli sunt, inquit, qui nolunt ulterius tendere quibusque labor taedio est aut qui commoda tua
715 non libenter attendunt et glorias non curant. *longaevosque senes ac fessas aequore matres:* sequenti loco posuit eos qui, etiamsi ire vellent, non possent laborem perferre et frustra ducerentur, senes scilicet atque anus, quibus vicina mors esset et, si iis contigisset vivere, per aetatis defectum

---

1 *vel his* L *vellis* R *velis* r. | *ipsi vero cilius* L — *gilius* R *ipse vero virgilius* r *vero* om. ed. 2 *loco* LR *l. dixit* ed. | *nonas* LR *non nos* r *nec nos* nos. | *obnitit transtendere* LR *obniti contra nec tendere* nos: *nec nos — sufficimus* om. ed. 3 *superet* L *superant* R. 4 *flectamus* LR v. 21 *vertamus*: ergo hic ex memoria scripsit. 5 *praestruit* L *praestuit* R *praestitit* ed. | *nec contradictionem* L. 6 *inquit* om. ed. 7 *consilii* edF. | *socios* LR *-um* r. 9 *videret* LR corr. r. 15 *retine* LR ed. *obtine* expectes. 16 *insuarentur* R *insuarent* L corr. ed. 19 *ecce unum* LR ed. *post* interpos. r. 23 *gloriam* ed. 25 *scire* LR *si* r *si ire* ed. 27 *his* LR ed. *iis* nos.

condituro novam sedem auxiliari nequirent. *et quicquid tecum invalidum metuensque pericli est delige*: bene sub generalitate colligit alia hominum genera et quoscumque, inquit, alios invalidos scis; ipsi sunt vitiosis corporibus et qui pericula metuerint; tales enim nihil faciunt et aliorum etiam viris et audaciam frangunt. hos omnis censuit deligendos non probando, sed reprobando: deligendos ergo, hoc est separandos; alias enim deligere est meliores discernere. *et his habeant terris sine moenia fessi:* cum haec hominum genera separaveris, permitte remaneant et in his terris habeant civitatem. *urbem appellabunt permisso nomine Acestam:* ipsamque civitatem Acestam vocent ipso Aceste nomen commodante.

*Talibus incensus dictis senioris amici tum vero in curas* 720 *animo diducitur omnis et nox atra polum bigis subvecta tenebat:* consiliis accedentibus Nautis tum magis Aeneae cogitationes augmentis potioribus cumulatae sunt; monita enim necessitas cogebat efficere, sed sceleratum videbatur dimittere socios, cum quibus tantum fuerat laboratum. in his igitur cogitationibus positum repperit nox, quae curarum omnium fomes est et nutrix. sed cum necessitate naturae aeger licet sauciusque dormisset, *visa dehinc caelo facies delapsa parentis Anchisae subito talis effundere voces:* ecce et hic adserit poeta Anchisen non esse mortuum, sed translatum ad superos; si enim mortuum vellet dicere, adsereret eum ab inferis extitisse. venisse ergo e summo visus est et talibus verbis cogitationes aestuantis fili solvisse. quod de caelo dixit poeta visum Anchisen venisse, pro nuntio fuit; dicturus est enim ipse Anchises „imperio

---

2 *metuens* LR *metuensque* r *-ve* ed. 4 *ipsi sunt vitiosis* LR *qui s. infirmis* edF (cf. 533). 5 *metuunt* ed. 11 *nominum* R *-ne* r. 15 *animum* ed. | *deducitur* L. | *subiecta* LR. 16 *nautis* L *nauti* R *Nautae* ed. 17 *cogitationibus* R *-nes* r. | *cummalatae* L *acunmolatae* R *cumolatae* r. | *monitionis* ed. 22 *sauciusque* LR *lassusque* ed. 26 *extitisse* LR *venisse* ed. 27 *ex talibus* R *et t.* r. 29 *Anchises* LR *A. dicturus* propter falsam antecedentium distinctionem ed.

Iovis huc venio", ut ab eo missum credi potuisset. *nate mihi vita quondam, dum vita manebat, care magis, nate Iliacis exercite fatis:* principia ex persona patris adposita blanda et religiosa et quae post mortem quoque pietatem debitam testarentur: vult enim filium labores omnis patriae potius fato sustinere quam suo et ipsius adhuc infortunia perdurare. hoc ideo dicebat, ut cogitantis aestus abrumperet et revera Ilium fatali ratione perisse firmaret, Aenean vero cogi in alia, sed in infinitum modum longe meliora. *imperio Iovis huc venio:* ut praeter amorem patrium ostenderet se iubentis Iovis auctoritate directum, quo sciret Aeneas fieri debere quod esset ille dicturus. *qui classibus ignem depulit:* audiendus est, inquit, cuius in liberatione navium sensisti beneficium. *et caelo tandem miseratus ab alto est:* contemnendus non est hoc vel maxime tempore quo noster fautor esse coepit et ex inimico tandem factus est mitis. *consiliis pare quae nunc pulcherrima Nautes dat senior:* ecce ipsum Nauten vult non humana voluntate, sed Iovis id quod prudenter senserat protulisse et ipsum Aenean a culpa omni relinquendorum in aliena regione sociorum evidenter excusat; suadentibus enim Naute et patre suo et ipso Iove iubente facere cogebatur quod inter initia dubitaverat. *lectos iuvenes, fortissima corda defer in Italiam:* duo sunt quae spectantur, cum iuventus ad bellicum certamen eligitur, corporis habitudo et animus liber omni terrore. haec pater filio curanda mandabat addens ad consilium Nautis quod fuerat pro causae commodo necessarium, nec tamen ea plasi qua Nautes; ille enim enumeravit qui essent relinquendi, hic de ipsa parte conticuit et dixit quales essent ducendi. si consideremus tamen horum mentem, unum atque idem invenientur dedisse consilium; qui enim persuasit relinquendos inbellis,

1 *ab ipso* ed. 7 *cogitatis* R *cogitatus* r. 9 *infinitum modum longe* LR *in i. m. l.* r *in longe* ed. 11 *auctoritatem* L. 16 *et* om. ed. 18 *ecce* LR *ecce et* ed. 20 *religione* R. 26 *ab omni* ed. 28 *ea plasi qua* LR *parte* pro *plasi* suspicatur r *eadem monuit quae* ed.

vitiosos et timidos hoc sensit, ut fortes soli ducerentur, rursum qui dixit lectos iuvenes esse deligendos et solos ad Italiam ducendos procul dubio quid de inutilibus sensisset ostendit. ergo pulchra loquentium varietas, sed tamen una sententia. incipit rationem praestare consilii sui, quod est in persuasionibus summum; sic enim melior effectus provenit, si auditor commodum proprium in ipsa disputatione persuasoris advertat. *gens,* inquit, *dura,* hoc naturae est, *atque aspera cultu*, hoc morum, *debellanda tibi Latio est:* in expressione naturae Italae gentis et morum nonnihil potuit esse terroris, sed reficit audientem dicendo debellanda tibi est; ostendit quippe futuram esse victoriam. Italia, inquit, feroces populos habet, domanda tibi est duro conflictu bellorum, fortis eo ducenda est iuvenum manus, superfluis quid opus est pugnaturo, qui nec sibi prodesse nec tuis commodis possint? confirmata fili sententia et remotis omnibus quae cogitantis animum distrahebant dat filio mandata, ut sciret quae essent curanda et antequam videret Italiam: *Ditis tamen ante infernas accede domos:* ecce unum inpossibile, addidit *et Averna per alta congressus pete, nate, meos,* scilicet quod evidenter vivus inplere non posset. hoc loco poeta mortuum dicit Anchisen et apud inferos degere, quem supra e caeli regionibus adseruit lapsum. sed illud pro persona dormientis Aeneae bene dictum est, quod de caelo venisset Anchises; hoc enim visum est soporato et est ductus errore dormientis: ipse tamen mortuum se adseruit, ne falleret filium, qui debuit veris insinuationibus edoceri. tamen in ipsa morte additur plurimum meritis eius, cum dicitur *non me inpia namque Tartara habent tristesve umbrae, sed*

1 *sensit* LR *fecit* ed. 3 *de inutilibus* R *dein utilius* L *utilius* ed. 7 *in ipsa* RO *in his ad* L *in his a* HU ed. 9—10 *tibi latiorem* LR corr. r. 12 *tibi est* LR *est* om. ed. 17 *distruebant* R corr. r = L. 19 *accedomos* R. 26 *superato* LR ed. *soporato* r nos. | *est ductos* LR *est ductus* (an *est dictum*?) nos *seducto* ed. 30 *priscesve* L *pristesve* R *tristesve* r *tristesque* ed.

735 *amoena piorum concilia Elysiumque colo. [huc casta Sibylla nigrarum multo pecudum te sanguine ducet. tum genus omne tuum et quae dentur moenia disces.]* nec tibi, ait, horrescat quod accessurus sis ubi sunt sedes infernae, non sum sceleratis admixtus nec Tartarus me habet nec umbrae tristes. umbrae tristes intellegi possunt non hominum, sed loci tenebrae. sed amoena piorum concilia Elysiumque colo: invenies me, inquit, in Elysiis campis, qui pios habent et praecipuorum religiosa concilia. quis non horreret ad inferos pergere, ad mortuos, ad umbras, ad tenebras? tum genus omne tuum et quae dentur moenia disces: idcirco aliqua illic laeta proposuit addens non infructuosum fore, si hoc fecisset; nam visurus erat patrem, consideraturus genus suum, agniturus quae terrae, quae moenia et quae gloriae deberentur et qui futuri essent posteri sui, ut his commodis invitatus tantam mandatorum molem aequis animis ferret. et quia potuit dici quomodo vado ad inpossibilia et ad incognita? ipse ultro instruxit nescientem: huc, inquit, casta Sibylla nigrarum multo pecudum te sanguine ducet, ut illa monstraret incognita cui nihil esse constabat occultum. *iamque vale:* quod ait iamque vale, vult ostendere abscessum suum temporis necessitate conpelli. denique *torquet,* [inquit,] *medios nox umida cursus et me saevus equis oriens adflavit anhelis:* non enim sinitur mortuus loqui cum vivis, cum sol fuerit exortus. ex hac occasione etiam illud Vergilius docet qua hora noctis

---

1—3 lemma supplevi eadem ratione ductus qua 1, 25. 3 *necubi* L idem in *nec ibi* abrasum R *nec tibi* nos (cf. 1, 720 et 4, 20) *nec* ed. 4 *horrescat* R *-iscat* L *horrescas* ed. 7 *loci* L *luci* R. 10 *tum* L *tunc* R. 11 *quid* pro *quae* LR. 10 *tum* — 11 *disces* post *proposuit* transponendum puto, quia *idcirco* ad *quis non* — *tenebras* respicit. 14 *suum* LR *s. et* ed. 15 *gloriae* LR *gl. sibi* ed. 16—17 *aequo animo* ed. 19 *sybilla* L *sibilla* R. | *nigrantum* ed. 21 *ait* LR *dicit* ed. | *iam* LR *iamque* ed. 22 *vult ostendere*, ut videtur, sed incertum in rasura L ed. *valet ostendere* R. 23 *denique torquet* LR *d. inquit t.* ed. *d. t. inquit* nos. 25 *mortuis* L ed. *mortuis* R. | *cum vivis* om. ed.

solis cursus ad eum finem veniat unde incipit in alium tendere, ut reparet diem; hic enim dicitur temporis modus qui mortuos remeare conpellit. saevum orientem bene posuit ex persona patris, quoniam caeli cursus invitum separabat a filio. ex eo vero collectum est solem medio noctis exortum, quod hunc gallorum cantus nuntiare dicantur. non hoc tantum loco saevus dictus est oriens; nam et illic inimica dicta est lux ubi tenebrarum suffragium proderat (9, 355) „absistamus, ait, nam lux inimica propinquat“, non omnibus inimica, sed illis solis quos lux fuerat proditura. *dixerat et tenuis fugit ceu fumus in* 740 *auras:* nihil est enim celerius fumo, cum liberum habuerit in auras ascensum. *Aeneas quo deinde ruis? quo proripis? inquit, quem fugis? aut quis te nostris conplexibus arcet?* hoc, ait, non est, pater, abire, sed fugere. quo recessurus te proripis? vel quis est iste tam durus qui te ab amplexibus fili discernit? *haec memorans cinerem et sopitos suscitat ignis:* verbis iuncta sunt facta, ut sine mora sollemnitatis ritus debitus sequeretur abeuntem. non expectavit lucem, sed noctis tempore ignem obrutum et commendatum cineribus excitavit. *Pergameumque larem et canae penetralia Vestae:* ipsi sunt quos incendio patriae liberatos secum Aeneas devota mente portabat. *farre pio et plena* 745 *supplex veneratur acerra:* ergo haec propitiabat farre et ture copioso, utpote quod ex plena acerra proferebatur. acerrae dicuntur, quae turi condendo ac servando deserviunt et ad templa deferuntur, cum necessitas fuerit.

*Extemplo socios primumque arcessit Acesten et Iovis imperium et cari praecepta parentis edocet et quae nunc animo sententia constet:* magna narrandi celeritas: vidit, inquit, Acesten primum, dehinc socios, indicavit quid Iuppiter Anchise perferente praecepisset, quid ipse Anchises

---

2 *hic est* LR *hic enim* nos *hoc est* ed. 3 *mortuis* LR corr. ed. 6 *exhorta* L *exhortam* R *exortum* r ed. 8 *et illic* L ed. *et* om. R. 17 *discernit* LR *separet* ed. 24 *acerrua* R corr. r. 26 *turis* pro *turi* L. 28 *ex iovis* L.

mandasset, totum strictim transiit, ne eandem rem bis
diceret, et quid sibi placeret indicavit. quid esse potuit
nisi quod superiora mandata continebant? *haut mora
consiliis nec iussa recusat Acestes:* Acestes, ne contra iussa
divina faceret aut contra necessitatem suorum, nihil ex
750 his quae conperit recusavit. *transcribunt urbi matres
populumque volentem deponunt, animos nil magnae laudis
egentis*: deputabant mulieres futurae urbi et populum
nullam gloriam requirentem, in appellatione populi et
aetates mixtae sunt et sexus et merita. *ipsi transtra no-
vant,* navigaturi scilicet. *flammis ambesa reponunt robora
navigiis, aptant remosque rudentisque exigui numero, sed
bello vivida virtus:* ipsi exigui numero, sed qui essent
bellis aptissimi novabant transtra et remos. quoniam supra
dixit (662) „furit inmissis Vulcanus habenis transtra per
et remos", idcirco hic dixit transtra novant, navigiis aptant
remos. dixit etiam funis reparari, quia ait (663) „et
pictas abiete puppis", non enim sola arserant transtra aut
remi tantummodo, cum in illo incendio multa eodem casu
755 consumpta constaret. *interea Aeneas urbem designat aratro:*
ut fit cum civitates novae conduntur, aratro separatur
spatium moenibus publicis privatisque necessarium. *sorti-
turque domos:* voto futurae civitatis domos dixit, non quae
iam essent, sed quae disponebantur ut surgerent. dabantur
autem de sorte propter locorum differentiam. *hoc Ilium
et haec loca Troiam esse iubet:* illud interea omne quod
amplectebatur dispositio Ilium dici voluit et Troiam.
*gaudet regno Troianus Acestes:* bonum studium egregii
civis expressit, qui non tantum non invidit in regno suo
hoc fieri, verum etiam laetabatur. hic et meritum Aeneae

---

1 *nec eandem* L *nec eadem* R *ne eandem* r ed. 7 *nihil* LR *ih* exp. r. 8 *verbi* pro *urbi* L. 11 *navigaturi* LR *navigandi causa* ed. | *flammis* LR *flammisque* ed. 17—18 *et pictas abiete* R *et pigia abiecte* L *et pingit abiete* ed. 20 *consumpta* om. ed. | *constaret* R *conmitaret* L *commutaret* ed. 21 *cum fit* LR *ut f.* L II man. ed. deletum vult r. | *separatur* LR *designatur* ed. 25 *hoc ilium* LR *hic Ilium* ed.

dilucide probatur, qui in alienum ius auctoritatem iubendi exercebat gratulante eo, qui posset contradicere, nisi fuisset in omnibus liberalis. *indicitque forum et patribus dat iura vocatis:* hoc non Acestes, sed Aeneas; post expletam enim Acestis benivolentiam rediit ad Aeneae dispositiones. is quippe qui condebat urbem novam debuit instituere quae civitatem regant et ipsius rempublicam firment, eius scilicet patres et municipalem legem. *tum vicina astris Erycina in vertice sedes fundatur Veneri Idaliae:* non defuit cura 760 religiosi fili, ut futuri incolae haberent in alienis regionibus etiam Idaliae Veneris templum, ut in Sicilia colerent quo fovebantur in Troia. constituitur igitur excelso in monte, ipsum quoque templum tam sublime, ut esset sideribus proximum. *tumuloque sacerdos ac lucus late sacer additur Anchiseo:* additur bis accipiendum: additur sacerdos, additur lucus tumulo Anchiseo. non custodem loci dixit, sed sacerdotem; vult enim Vergilius Anchisen, ut plurimis locis ostendimus, inter deos numerari.

*Iamque dies epulata novem gens omnis:* et remansuros simul et recessuros debemus advertere, possumus etiam idem sentire de Siculis. *et aris factus honos:* debebant quippe etiam dii adhiberi per sacra, ut rebus novis prosperum auspicium darent et favorem tribuerent recessuris. *placidi straverunt aequora venti creber et adspirans rursus vocat auster in altum:* dispositis omnibus quae temporis necessitas exigebat et peractis conviviis per plurimos dies iam coeperant suffragari maria et venti, ut oportune navigari potuisset. *exoritur procurva ingens per litora fletus,* 765

---

3 *liberales* LR corr. r ed. 5 *Acestae* ed. | *his* LR ed. *is* nos. 6 *condebant* R ed. *-bat* r = L. 7 *eius scilicet* LR ed. *et ius scilicet et?* 9 *italiae* R. 11—12 *quod vovebantur* LR *quo fovebantur* nos *quod solebant* ed. 13 *siderius* L. 15 *Anchisaeo* ed. 17 *ut* om. R add. r. 21 *debemus* LR ed. *deberent* r *-bant* r′. 22 *advertere* post *etiam* interpol. ed. | *dii* LR *duo* ed. | *novis prosperum* LR *prosperis novum* ed. 23 *tribuerint* L. 27—28 *navigari potuissent* LR *n. potuisset* nos an *navigare potuissent?* *navigare possent* ed.

*conplexi inter se noctemque diemque morantur:* haec est moralis dictio, in qua humani actus apparent; tunc enim abscessus est gravior cum fit, non cum disponitur. primo enim non vehementer animum mordet † astu si ad perfectionem fuerit ventum, aliter animi commoventur. denique Troiani, quibus leve cessandi consilium fuit et futura separatio, remansuros se cogitantes quid doloris gererent lacrimis testabantur: quod ne maturius fieret, nectebant moras, usque adeo ut has post dierum novem spatia cuperent dilatare. *ipsae iam matres, ipsi quibus aspera quondam visa maris facies et non tolerabile numen ire volunt omnemque fugae perferre laborem:* ipsae, quae dudum pontum aspectabant flentes et dolebant cum ceteris tantum sibi maris superesse, volebant pergere et omne laborum genus aequis animis ferre. *quos bonus Aeneas dictis solatur amicis et consanguineo lacrimans commendat Acestae:* bonus iuxta civis, bonus iuxta socios, bonus iuxta remansuros consolabatur omnis et religioso Acesti commendabat. *tris Eryci vitulos et tempestatibus agnam caedere deinde iubet solvique ex ordine funem:* sacrificium fieri Eryci fratri ex tribus iuvencis iussit et ventis, ne violenti existerent, agnam inmolari. *ipse caput tonsae foliis evinctus olivae stans celsa in puppi pateram tenet extaque salsos proicit in fluctus ac vina liquentia fundit:* iussit ipse Aeneas

1 *inliter* R *li* del. r. 4 *astu si* L similes sed incertas litteras habet R *u* superscripsit r, fortasse *ast ubi*, sed nusquam apud Donatum *ast* inveni, *aestus si* ed. non placet. 5 *aliter* LR ed. *acriter* r. 6 *troianis* LR ed. *-ni* ed. post. 10 *dilatare* in *-ri* corr. R. | *ipsa iam* LR corr. r. | *ipsi* LR ed. *ipsae* hic quoque Don. legisse susp. Hoppius neglegens, ut videtur, *cum ceteris.* 11 *quandam* R. 14 *pergere* R *perfigere* L *fi* lineola transfodit man. II. 16 *adfatur* LR ed., sed *consolabatur* in interpr., quare *solatur* scripsi cum Verg. libris, *adfatur* ex 8, 126 vel 10, 466 irrepsit. 18 *acesti* LR *Acestae* ed. 19 *accedere* pro *caedere* LR. 20 *fiet* LR *fieri* r ed. 22 *tunsae* LR corr. r ed. 23 *procul in prora* L ed. *celsa in puppi* in rasura r, quod quoniam interpr. praebet, substituendum putavi; nam et librorum quorundam Verg. auctoritate et tertii libri versu 527 defenditur. 24 *porricit* ed.

praedicti generis animalia inmolari, ipse idem exta sumpta ex his accepit pateram tenens et stans celsa in puppi omnia proiecit in fluctus addens vinum, quod ferebat in patera. *prosequitur surgens a puppi ventus euntis:* tantum sacrificia valuerunt, ut non deesset oportunitas venti venientis a puppi; ipse est enim ventus prosperior qui navem sequitur. *certatim socii feriunt mare et aequora verrunt:* adventu flatuum laetiores effecti remis navigia in altum proiciebant.

*At Venus interea Neptunum exercita curis adloquitur* 780 *talisque effundit pectore questus:* adloquitur qualitatem dictionis futurae non exprimit; dubium est enim qualis futura sit adlocutio; effundit tamen et questus ex aperto monstrat esse aliquid quod iram locuturae pronuntiet et dolorem. *Iunonis gravis ira neque exaturabile pectus cogunt me, Neptune, preces descendere in omnis, quam nec longa dies pietas nec mitigat ulla nec Iovis imperio fatisve infracta quiescit:* magna hoc loco et artificiosa conceptio; nam inter ipsa initia et personam suam commendat et deformat inimicae. dicendo enim provocor conqueri et quae provocabat gravabatur invidia et quae provocari sese querebatur culpa vacuam sese laborabat ostendere. interea coepit a nomine, ut ostenderet ex eius primatu adsumptam potentiam. addidit gravis ira: gravis hoc est iniusta et perinde gravis: ferri enim non poterat quae irascebatur frustra hoc est cum causa non suppeteret, deinde quae irasceretur inmoderate nec pectus eius innumeris Troianorum suppliciis satiaretur; execrandi autem sunt eius-

---

9 *profici* cum quinque litterarum spatio L idem superscripto *unt* R vel *propellunt* in marg. r′ *proficisci studebant* ed. *proiciebant* (cf. 837) nos, quod licet exemplo careat, tamen non minus latinum videtur quam „eicere naves". 12 *dictionis futurae* LR *verbi futuri* ed. 13 *et questus* LR edI *questus et* edF. 14 *monstrat* LR ed. *monstrant?* 15 *neque exsaturabile* LR *et inexaturabile* ed. (ad 1, 4 non mutavit). 16—17 *ne longa* LR. 17 *fatisque* LR *fatisve* r ed. (sic infra etiam LR). 23 *abruptam* LR *absumptam* ed. *adsumptam* (cf. 789) nos. 27 *troianarum* LR corr. ed. 28 *eiusmodi* om. ed.

modi, qui nulla ex causa inimicitias suscipiunt et qui in eo ipso non retinent modum, tertium quorum pectora nec poenarum numero saturantur nec aliqua humanitate tanguntur. quam nec longa dies pietas nec mitigat ulla nec Iovis imperio fatisve infracta quiescit: dedit querellis suis augmentum et eam de qua querebatur vehementer exponit. irata, inquit, cum causa non esset, irata sine modo, irata sine fine iracundiae non misericordia flectitur, non Iovis frangitur iussu, non fatorum auctoritate revocatur. cur faventior adhuc expectaretur talis, quae nefas existimat effici quod Iuppiter praecepit et fata praescribunt? aut quem iniquis odiis datura est terminum quae, cum sit vetus inimica, novam se esse existimat et recentia tormenta conponit? incipit iam dicere et exemplis probare
785 manifestis quae proposuit vera esse: *non media,* inquit, *de gente Phrygum exedisse nefandis urbem odiis satis est nec poenam traxe per omnem.* non ei sufficit interitus Troiae nec tantos illic perisse, cum caderet, nullum praeteriit miseros supplicii genus, ipsam patriam ruina consumpsit et flamma et post tantorum scelerum cladem nec habet aut retinet modum leve quiddam se existimans perfecisse, quia supersunt Troianorum aliqui et vivunt aliqui post excidium Troiae. *reliquias Troiae, cineres atque ossa peremptae insequitur:* reliquiae dicuntur funera mortuorum, cineres qui post exusta corpora remanent atque ossa quae colligi consueverunt et sepulchro mandari. tantum ergo crudelis Iuno tantumque inpia, ut illa quoque persequenda existimet quae sunt debita sepulchris et terris. peremptae ossa miserabiliter posuit; solent enim hostes post effusum sanguinem nullas dehinc

---

4 *ne longa* ut supra LR. | *mitigat* L *-gent* R r = L. 5 *fatisve* LR. 6 *exponit* LR ed. *r* superscr. r, videtur ergo *expromit* velle. 10 *faventer* LR ed. *-tior* nos. | *existimat* L *-ment* R r = L *-met* ed. 11 *praecepit* LR *-cipit* r. | *facta* R *fata* r = L. 13 *esse* LR *se esse* r ed. an *sese*? 15 *inquit* om. ed. 17 *nec* om. ed. | *traxere* LR *re* del. r *traxisse* ed. | *eis* R *ei* r. 27 *tantumque* LR *que* om. edF.

inimicitias habere cum funere, inponere odiis terminum, cum deest ille qui audere aliquid possit. reliquias rursum possumus etiam sic intellegere, quod flos Troianae iuventutis esset perductus ad paucos, quibus, si in Iunone esset humanitas, debuit largiri miseratio. quis enim tam ferreus, tam durus hostis inventus est umquam cuius victoriae nihil superesse potuerit? post acerba odia partium datur nonnumquam venia reliquis et usque ad victoriam crudelitas valet. tam saeva extitit Iuno, ut post excisum Ilium perditosque diversa caede Troianos persequatur reliquos et inventionibus novis adfligat. *causas tanti sciat illa furoris:* huius, inquit, odii si causae requirantur, ab ipsa quaerendae sunt; nos enim scimus nihil iuxta eam Troianos admisisse quod nollet. causas tanti sciat illa furoris: furoris sui dixit, non doloris; sine ratione quippe irasci furere est, ceterum dolor illic esse potest ubi fuerit iusta commotio. *ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis quam molem subito excierit: maria omnia caelo miscuit* 790
*Aeoliis nequicquam freta procellis:* magnum invenit adsertionibus suis conpendium ipsum vocando testem quem audiendis querellis arbitrum cupiebat adquirere. testis es, inquit, etsi unius facti, ex eo tamen cetera poteris aestimare, quod non sint falsa, sed vera: sic illum commonefacit et in memoriam revocat, ut tempus et locum et factum replicet. nuper, inquit, nosti in Libycis undis quas moles excivit, cum adsumpta potestate ventorum omnia in Troianorum perniciem elementa confudit. quod factum est frustra, dum omne illud te iuvante summotum est. quod ait quam molem subito excierit, artificium nocendi voluit demonstrare; quicquid enim subitum est facile opprimit inparatum, speratum autem et praevisum cavendo

---

1 *funere* LR *f. et* ed. 2 *audire* LR corr. ed. 7 *partum* LR edI *parvis* r *partam* edF[I] *parta* ed. post. *partium* nos. 11 *nobis* R *novis* r′ = L. 13 *iuxta* LR *in* ed. 16 *quaerit* LR *cunque erit* r *inest* ed. *fuerit* (cf. 3, 630) nos. 21 *arbitrium* LR *i* del. r ed. | *es* om. R add. r. 22 *unius* LR *u. tantum* ed. 23 *communefacit* LR *communem f.* ed.

potest aut substantia contrariae provisionis effundi. *in regnis hoc ausa tuis:* ut meis procuraret interitum, ausa est te contemnere et regna tua commovendo etiam tibi iniuriam facere. quod ait ipse nuper, huius facti recte induxit commemorationem; petitura enim quietem pelagi ostendit etiam ipsum Neptunum aliam passurum iniuriam, nisi et Troianis providisset et sibi. *per scelus ecce etiam Troianis matribus actis exussit foede puppis,* hoc est etiam nunc Troianis matribus coactis per scelus exussit foede puppis. Troianarum matrum in incendio navium delictum esse constabat, his Venus adstitit dicens non esse requirendum quis fecerit scelus, sed cuius inpulsu videatur admissum. exussit foede puppis: alienis manibus ipsa navis incendit, atque utinam palam et non turpiter fraude con-
795 cepta. *et classe subegit amissa socios ignotae linquere terrae:* ut ab hoc facto, quod contra civitatem, religionem humanitatemque processerat, excusaret etiam filium, in Iunonis revocat relictorum sociorum culpam, quoniam Aeneas hoc non faceret, si pars classis non esset amissa. accedebat ex hoc facto augmentum mali, quia post tot labores nec ad Italiam pervenire potuerunt et ignotis in terris fuerant relicti. ecce diversitas hic posita est sese inpugnans: supra (631) enim dixit „quis prohibet muros iacere et dare civibus urbem?“ hic dixit socios ignotae linquere terrae, cum ignota non esset in qua fuerant cives: sed factum

---

1 *effundit* R *-di* r = L. 4 *ipse enim per* LR *i. eius per* r *i. nuper* nos. 5 *induxit* LR: temere locum mut. ed.: defendit Don. quod Venus eum qui ipse nuper testis fuerit ipsius in regnis rem factam esse commonefaciat. | *petitur* R *a* add. r. 7 *per* LR *pro* ed. 10 *troianarum matribus* L *troianorum m.* R ed. *troianarum matrum* r. 13 *ipsa* LR *ipsas* ed. 15 *ignotae linquere terrae* L item in rasura r. 17 *Iunonis* LR ed. *-nem* ed. post. (scil. *culpam* cf. 2, 596). 22 *diposita et* LR *disposita et* r *posita et* ed. *hic posita est* nos: nam dispositam esse diversitatem, quod defensionis causa infra tractat, non bene praecipitur nec *disposita* cum *sese inp.* per *et* recte coniungitur. 23 *facere* (et infra) LR, sed 631 *iacere* cum Verg. libris omnibus. 24 *civitatibus* R.

est hoc oratoria virtute pro persona dicentis, quae voluit exaggerare invidiam facti, ut in uno incensarum navium scelere multa aperiret, in tantum ut inreligiosorum nefas incurrere cogerentur et spargeretur societas quam una perditae civitatis calamitas iunxerat. interea quia non magnus invidiae fragor esse potuerat, quod civibus iuncti fuerant cives, relicta ratione personarum ait ignotis terris relinqui socios, quod grave admodum crimen est, proinde non quaerendum esse qui apud quos, sed ubi remanserint esse tractandum. ergo unum accipimus ex persona persuadentis, quis prohibet muros iacere et dare civibus urbem? alterum ex persona dolentis Veneris, socios ignotae linquere terrae, ne se contraria inpugnent ubi novissimum posuit quod potuit in querellas graviores adduci. constabat Siciliae terras fuisse, in quibus Acestes fuerat alienus. venit ad summam petitionis suae, ait enim *quod superest oro.* quasi unum esset petitura, non plurima, singulari numero significavit quid vellet perindeque ostendit grave non esse quod peteret, utpote quod in uno esset, non in plurimis positum: ideo dixit quod superest oro, quia transacta curari non poterant, quod superest ergo quod integrum est et potest praestari. dicit iam quid sit quod effici cupiebat. *liceat dare tuta per undas vela tibi, liceat Laurentem attingere Thybrim:* liceat, inquit, per regna tua tutos dehinc navigare Troianos, liceat tenere Italiam in

---

3 *periret* LR *poneret* r *aperiret* ed. | *in religiosorum* ed. *in* om. ed. post. non minus absurde (cf. supra *culpam* itemque 728). 6 *potuerat* LR *u* exp. R ipse vel r. 7 *aut* L ed. *ut* R *ait* r. 8 *quod* om. LR ed., add. r. 9 *quaerendum* cum compendio quod *esset* significare videtur L *qu. est* R ed. *qu. esse* nos. | *qui* L item ex *quia* per rasuram R *qui vel* ed. 10 *esse tractandum* LR *est tr.* ed. 13 *inpugnet* LR *-ent* r ed. | *tibi* LR *ubi* ed. (cf. 3,578). 14 *quid* ed. *quod* ed. post. = LR. | *constabant* R *-bat* r. 15 *sicilia et fas* LR ed. *Siciliae terras* nos: sed locus omnis *ubi* — *alienus* valde obscurus est et gravior corruptela suspicanda. 17 *uno* LR *unum* r ed. 18 *que* om. R add. r. 20 *positura* ed. 22 *quod sit* R *quid s.* r. 24 *thybrum* LR.

qua est Thybris. *si concessa peto, si dant ea moenia Parcae:* non dubitanter posuit si, sed ut se ostenderet licita cupere, quae constabat Neptunum nosse. et illud egregie dictum liceat tuta vela dare tibi, ut non ventis aut fluctibus, qui semper incerti sunt, sed ipsi potius Neptuno vela crederentur.

*Tum Saturnius haec domitor maris edidit alti:* quia placidum mare ipso tempore quaerebatur, recte hoc loco
800 Neptunus maris domitor dictus est. *fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis, unde genus ducis:* debes, inquit, habere fiduciam regni mei, vel maxime quia inde originem ducis. *merui quoque:* cur dixit quoque, cum nullum adhuc commemorarit se praestitisse beneficium? hoc ut corrigatur, posterius ordinata prima ponenda sunt, ut sit posterius merui quoque et sit primum *saepe furores conpressi et rabiem tantam caelique marisque.* ordinemus iam simul totum: saepe furores conpressi, saepe conpressi rabiem caeli, saepe conpressi rabiem maris, nunc ponere debemus merui quoque, hoc est laboravi quoque pro tuis. *nec minor in terris (Xanthum Simoentaque testor) Aeneae mihi cura tui:* quia sciebat se contra Troiam nisum, iurat tamen se pro Aenea specialiter fecisse. dicit et tempus, ostendit et locum, designat pericula ipsa et cuius eum manibus
805 eripuisset: *cum Troia Achilles exanimata sequens inpingeret agmina muris,* tunc, inquit, cum Troiana agmina infestus Achilles agitaret exanimis persequens et opprimens fugientis Teucros neque eos permittens ad murorum tuta pervenire. *milia multa daret leto:* tunc cum innumera hominum milia mactaret. *gemerentque repleti amnes nec reperire viam atque evolvere posset in mare se Xanthus:* tunc cum flumina omnia onerata caesorum funeribus gemerent, inpedita scilicet et obclusa, vel maxime

---

5 *ipse* LR *ipsi* r ed. 12 *dixit* om. R add. r. 13 *commemoravit* LR ed. corr. ed. post. 14 *posterius* om. ed. 16 *tantam* om. LR. 20 *mihi* om. R add. r. 28 *tunc tum* LR corr. r ed. 29 *hominum* LR *hostium* ed.

Xanthus amnis, qui tantorum corporum retentus obiectu
exitum in fluctus reperire non poterat. *Pelidae tunc
ego forti congressum Aenean nec diis nec viribus aequis
nube cava rapui:* quantum adserit operam suam! vel ex 810
quanta necessitate dixit Aenean liberatum! congressus,
inquit, fuit Pelidae: licet possit intellegi quod laudis
causa dixisset Pelidae, tamen addidit forti. quantum forti
supra expressit: milia illum multa Troianorum fugasse,
cum solus tantos premeret, urgeret, sterneret. huic ergo
cum esset congressus Aeneas nullo deo fautore, cunctis
adversis, viribus quoque longe inparibus, nube inmissa
eripui, inquit, inparem, eripui iam periturum. *cuperem
cum vertere ab imo structa meis manibus periurae moenia
Troiae:* admiranda dictio, in qua se confitetur inimicum
et eo tempore Aeneae salutis beneficium praestitisse, cum
omnis Troianos cum ipsa urbe volebat extinctos. quam
grande beneficium memoratur, cum solus Aeneas mereri
potuit veniam irato eo qui cunctos semel volebat ex-
tinguere et diruere omnia quae suis manibus struxerat!
magnus adfectus est iuxta ea quae manu nostra pro-
veniunt, magnus quoque est dolor, si nostra manu ver-
tantur: sed iste dixit causam intervenisse periurii, quae
omnem adfectum constructionis abruperat. *nunc quoque
mens eadem perstat mihi:* quae sit ipsa mens ex con-
sequentibus probat; potuit enim dictum in incerto rema-
nere, quoniam iuxta Troianos et Troiam inimicitias se
habuisse professus est. quae ergo mens in praesenti per-
staret videndum est, cum sequentia tractare coeperimus.
*pelle,* inquit, *timores:* ad removendam sollicitudinem Ve-
neris quam brevibus usus est verbis, ut et ipsam securam
redderet et indicaret qualem gereret mentem! quodsi hoc

---

1 *retentui* ed. | *obiectus* LR ed. *obiectu* r. 4 *eripui* ed. 8 *multa illum milia* R. | *fugisse* LR corr. ed. 9 *sterneret* LR *ac st.* ed. 12 *eripuit inquit* L *eripuit eripuit* R *t* del. r. | *peritorum* LR corr. r. 14 *dictio* LR *locutio* ed. 15 *saluti* ed. 20 *effectus* R corr. r = L. 23 *abriperat* LR corr. r ed. 26 *iuncta* R *iuxta* r = L. 28 *inceperimus* ed.

solum dixisset, sufficeret curae removendae: addidit *tutus quos optas portus accedet Averni.* quoniam pelagi tranquillitas fuerat postulata, hanc Neptunus pollicetur et spondet; optas, inquit, ut tutus transeat mare filius tuus, tutus ad portus Averni perveniet. *unus erit tantum amissum quem gurgite quaeret, unum pro multis dabitur caput:* dicit futura ut deus quem fugere ventura non possent. haec ipsa, quoniam triste adversumque nuntiabant, extenuat. debebatur, inquit, interitus plurimis, sed pro cunctis unius procedit exitium, quod ipsum aequo animo ferendum est; praestat enim unum magis flere quam plurimos. hoc ideo praedixit, ne ille, qui tutam pelagi transmissionem promiserat, in unius casu videretur Venerem fefellisse et ex eo falsa cetera putarentur. *his ubi laeta deae permulsit pectora dictis:* ubi dictis talibus leniit animum Veneris, promissam pelagi placiditatem coepit procurare. ob hanc igitur causam *iungit equos auro genitor spumantiaque addit frena feris manibusque omnis effundit habenas; caeruleo per summa levis volat aequora curru. subsidunt undae tumidumque sub axe tonanti sternitur aequor aquis, fugiunt vasto aethere nimbi. tum variae comitum facies, inmania cete, et senior Glauci chorus Inousque Palaemon Tritonesque citi Phorcique exercitus omnis. laeva tenent Thetis et Melite Panopeaque virgo, Nisaee Spioque Thaliaque Cymodoceque:* omnis haec descriptio poetica est propter Aeneae meritum posita, ut ob eius tranquillam navigationem Neptunus cum diis maris videretur excurrere, eo tamen res redigitur, ut quies omnis pelagi monstraretur effecta fugatis omnibus quae obesse potuerant, ventis scilicet, tumore pelagi, omnibus.

---

1 *sufficerat* L R *-eret* r *suffecerat* ed. (cf. 687). 2 *accedit* L R. 2—3 *tranquillitatem fuerat postulatus* ed. 9 *plurimis* om. R add. r = L. 10 *aequum* L R corr. r ed. 17 *auro* L R *curru* ed. 20 *tonantis* r ed. post. 22 *cetae* L R. 23 *choreique* L *coreique* R pro *Phorcique*. 24 *paeaque* L R suppl. r. 28 *redicetur* L R *redigetur* r *reducitur* ed. *redigitur* nos (cf. 7, 348). 30 *scilicet* L R *sc. qui* ed. | *timore* r. | *omnibus* L R *nocere possent* ed.

*Hic patris Aeneae suspensam blanda vicissim gaudia pertemptant mentem:* cum haec Aeneae cum ipso navigationis principio provenissent, ex suspenso et saucio vicissitudine prospera in gaudium repente mutatus est. *iubet ocius omnis attolli malos, intendi bracchia velis:* erigi cunctarum navium arbores iubet et vela solvi universa. *una omnes fecere pedem:* simul omnes adgressi sunt iussa. 830
*pariterque sinistros nunc dextros solvere sinus, una ardua torquent cornua detorquentque, ferunt sua flamina classem:* tantum potuit iubentis auctoritas, ut simul attollerent malos, simul vela suspenderent et oportuna facerent ventis, denique navigia omnia flatibus prosperis ferebantur. *princeps ante omnis densum Palinurus agebat agmen, ad hunc alii cursum contendere iussi:* Palinurus, quod esset in gubernandi arte peritissimus, primus tenebat cursum, ceteri vero, qui in aliis navibus fuerant, ipsum sequebantur; hoc enim illis fuerat Aeneae praecepto mandatum. *iamque fere mediam caeli nox umida metam contigerat:* 835
iam forte media nox agebatur, pars quippe eius iam fuerat transacta. idcirco addidit fere, ut aestimantis potius esset quam definite pronuntiantis; esset enim vitium poetae, si noctis tempus, quod liquido dici non poterat, pro manifesto et cognito poneretur *placida laxabant membra quiete sub remis fusi per dura sedilia nautae:* totum his dedit: dormiebant, inquit, victi necessitate temporis et laboris, faciebant hoc, quia tuta fuerant omnia, sic tamen, ut remigii sollicitudinem non in totum viderentur omisisse nec deliciis tradidisse corpora sua, quod fit cum secure dormitur; nam sub ipsis remis atque in sedibus duris, hoc est nullo stramine procurato sese proiecerant, ut ipsa esset refectio, si paululum caperent somnum, manente officii sollicitudine et ad incertos casus

3 *pervenissent* R *prov.* r = L. 6 *navigium* LR *navium* ed. 14 *cursu* LR, sed ad 3, 203 *cursum* quod Verg. libri praebent et recepit ed. 18 *media* R. 23 *laxarant* ed. 30 *esse profecerant* LR *sese proiecerant* nos (cf. 778) *prostrati erant* ed. 32 *somnium* LR corr. r ed. | *ad incertos* LR *in certos* ed.

pelagi diligenter intenta, in duro autem refici aut lassitudo facit aut consuetudo laborandi. *cum levis aetheriis delapsus Somnus ab astris:* levem dicit, quia incorporalis esse firmatur. *aera dimovit tenebrosum et dispulit umbras,* 840 *te, Palinure, petens, tibi somnia tristia portans insonti:* ut conversus in alienam faciem videri posset et agnosci, removit aliquantum tenebras et venit ad Palinurum soli ipsi infestus, tamen ceteris bonus, soli praeparans mortem (ipse enim fuerat destinatus leto secundum Neptuni praedictum), soli portans perpetuum somnum et supremum exitium. leti autem causa non reperiebatur et tamen finis ultimus ferebatur insonti, non quia meruit, sed ut Aeneas amici sui luctu percuteretur ac necessarii ceteris salvis per unius detrimentum. *puppique deus consedit in alta Phorbanti similis funditque has ore loquellas:* sedit, inquit, iuxta Palinurum in puppi (illic enim gubernatores sedent) versus in Phorbantis faciem, qui esset unus ex illis qui eadem navi ferebantur. talem personam Phorbantis debemus accipere quae gubernare navem nosset perindeque mereretur audiri et esset firma cui Palinurus navem recte committeret dormiturus. sic igitur subornatus talis effundit ore loquellas: verbum effundit significat magnam verborum copiam intervenisse, cum laeta esset omnibus quies. videamus quibus verbis et quam multis deceptus sit Palinurus; cauto quippe et diligenti gubernatori desertio muneris paucis persuaderi non potuit. *Iaside Palinure, ferunt ipsa aequora classem, aequatae* 845 *spirant aurae, datur hora quieti. pone caput fessosque oculos furare labori:* magnum persuasionis artificium; primo enim occurrit omnibus quae Palinurus ad excusationem praetendere potuit. suffragantur, inquit, officio tuo placiditas pelagi ratioque ventorum; ipsa quippe maria

---

4 *affirmatur* ed. | *dimovet* LR. 6 *faciens* R *faciem* r. 8 *soli* LR *illi s.* ed. 10 *soli* LR *ei s.* ed. 15 *loquere* R *ore* r. 17 *versus* om. ed. 21 *dormiturum* R *-rus* r. | *subornatus* LR *mutatus* ed. 32 *ipse* R *ipsa* r.

navis ducunt, venti currentibus blandiuntur, quietis petendae tempus est, quiesce paulisper et oculos tuos aliquantulum laboribus subtrahe, ac, ne partes tuae navibus currentibus denegentur, ego interim officio gubernatoris intrabo. haec dixit qui suadebat, sed latent quae diximus opponi e diverso potuisse quaeque adseruimus esse praeventa. idem enim dixit ferunt ipsa aequora classem, aequatae adspirant aurae, ne Palinurus diceret, quod inferius dixit, mare saevum est et infidum, inportuni sunt flatus, relinquere non possum officium omnibus semper in hac unda suspectis. datur hora quieti: dissoluti est enim dormire ante tempus et, quia esse id ipsum tempus adserebatur, posset dici non esse dormiendum propter perfidiam maris et navigationis incertum. pone, inquit, caput fessosque oculos furare labori, *ipse ego paulisper pro te tua munera inibo:* bene dixit furare, ut quodammodo nec ipsa maria scirent Palinurum quievisse. modici temporis ei requiem suadebat, ut obtinere potuisset, quia brevi spatio insidiae conpleri potuerunt, qua causa addidit ipse ego pro te vigilabo, ego suscipiam officium tuum. ecce ex duobus persuasio, de brevitate temporis et de securitate promissa gubernationis. *cui vix attollens Palinurus lumina fatur:* vix attollens, quia premebatur iam virtute potioris. *mene salis placidi vultum fluctusque quietos ignorare iubes? meve huic confidere monstro? Aenean credam [(quid enim fallacius austris et caelo?) totiens deceptus fraude sereni?]:* putas, inquit, me nescire quid agatur in

---

4 *officio* LR *-ia* r *-ium* ed., sed ablativus esse potest. 5 *intrabo* LR *subibo* ed. 7 *idem* LR *id* ed. 12 *et quia — tempus* om. R suppl. in marg. r = L *ipsum* om. edF. 14 *incertum* LR *incertitudinem* ed. 15 *furari* R *-re* r. | *ergo* LR *ego* r. | *per te* ed. post. 17 *quievisse* LR *propter spatium* interpol. ed. | *modicit* LR *t* del. r. | *etemporis* L. 18 *et requiem* LR ed. *et* exp. r *ei* nos. | *suadebant* R *n* del. r. 25 *meve huic* LR *mene h.* ed. et Verg. libri. | *Aenean credam* om. ed. 26 *quid* — 27 *sereni* addidi, quia Don. statim versum 851 tractat (cf. 1, 25). 26 *fallacius austris* scripsi secundum interpretationem v. infra.

pelago aut quomodo multos decipiat ista tranquillitas vel deceperit saepe et arbitraris me incertis commissurum Aenean, pro cuius salute tantam sollicitudinem gero? ecce Aeneae meritum: navigabant tanti, navigabat etiam ipse Palinurus et, cum incerta metueret, nec sibi nec ceteris, sed soli Aeneae providebat. cum igitur pronuntiamus, pondus debet habere me pronomen, item huic monstro, quod decipit multos infido ingenio et repente mobili. bene posuit monstro, quia quicquid in aliam faciem mutatur monstrum est. me autem, hoc est cui commissus est universarum navium cursus, me, qui semper in his diligens fui, me, cui esse debet pro salute Aeneae pervigil cura, me, qui saepe conprobaverim non habendam etiam tranquillis fluctibus fidem, me, amabilem regi et fidissimum regis ipsius amatorem. Aenean credam, id est spem Romanae reipublicae, fortem, pium, religiosum, invictum in bello, in pace praestantem patiar incertis circumveniri turbinum et procellarum subire discrimen? ecce addidit experiundo se didicisse quod cavebat, quid enim, ait, fallacius austris et caelo? quasi fallacius quicquam reperiri possit austris et caelo, quoniam insperatis motibus et caelum mutatur in nubila et in procellas venti saepe vertuntur interrupto silentio. ecce praeter mare metuendum dicebat et caelum. *talia dicta dabat clavumque adfixus et haerens nusquam amittebat:* sic loquebatur, ut clavo id est gubernaculo videretur adfixus aut tenacius inhaesisse. nusquam amittebat *oculosque sub astra tenebat:* nec amittebat suis manibus clavum cuius causa vigilabat nec oculos flectebat a stellis quarum cursus ob-

---

1—2 *vel deciperet* LR *v. deceperit* r *quae me decepit* ed. 3 *salutem* LR *m* del. r. 4 *navigabant etiam* LR *-bat e.* r. 11 *commissum* ed. | *concursus* ed. 19 *cavebat* L *-bant* R r = L *caveret* ed. 20 *fallacibus auris* LR, sed in interpr. *fallacius austris*, quare hoc recte recepit ed. 21 *possit* LR *non p.* ed., sed *quasi* ironice dictum est. 25 *loquitur* ed. post. 27 *nusquam amittebat* ante lemma repet. LR om. ed. 28 *manibus suis* R.

servabat et motus, eo magis cautior quantum eos urgeri sentiebat in somnum. ubi autem deus advertit pertinaciter resistentem, dimissis insidiis, quae ad plenum obtinere nequiverant per hominis formam, convertit se ad potentiam, ut vi conpleretur quod subtilitatis fraude non potuit. *ramum* igitur *Lethaeo rore madentem vique soporatum Stygia super utraque quassat tempora cunctantique natantia lumina solvit;* quid enim dubitaret Somnus gravare Palinurum rore Stygio, quem mox plenae morti fuerat traditurus? excutiens, inquit, ramum rore Stygio inspersit Palinuri temporibus et reluctantis oculos solvit. habuerunt enim adhuc quendam vigorem, cum Palinurus contra niteretur; ubi enim intervenit vis maior, quicquid duratum fuerat resolutum est, quae solutio clausit oculos eius et pressit. *vix primos inopina quies laxaverat artus:* hoc factum nulla consecuta est mora. *et super incumbens cum puppis parte revulsa cumque gubernaclo liquidas proiecit in undas praecipitem ac socios nequicquam saepe vocantem:* multum dat Palinuro qui oppressus tanta vi gubernaculum non remisit, contra plus illi qui divina fretus potentia totum valuit superare; sic enim illum praecipitem dedit in fluctus, ut secum et gubernaculum traheret et eius partem navis cui videbatur adpositus. clamabat vero ille socios frustra et in ipsa vi positus omnis invocabat; dormiebant enim, sicut supra dictum est, nec audiit aliquis inplorantis vocem nec subvenit pereunti. haec fuit causa ut dormientes Troiani describerentur, ne esset qui Palinuro pereunti succurreret; debuit enim conpleri unius amissio quam Neptunus Veneri venturam praedixerat. *ipse volans tenuis se sustulit ales in auras:* perfecta Pa-

4 *nequiverat* ed. 6 *ecce deus* lemmati praefixit ed. | *igitur* om. ed. | *rorem addentem* LR corr. r. 11 *habuerant* ed. 13 *ubi enim* LR ed. *u. autem*? 17 *gubernaculo* LR *u* del. r. 18 *e socios* (pro *et*?) R *ac s.* r. 19 *de* pro *dat* ed. post. 25 *est* om. R suppl. r. | *audit* ed. *audivit* ed. post. 27 *discriberetur* R corr. r. 30 *in auras* LR ed. nescio an *ad a.* scribendum sit, quia *ad caelum* explicatur.

linuri nece Somnus, inquit, volavit ad caelum, quod alato facere facillimum fuit. *currit iter tutum non setius aequore classis:* amisso duce nihilo minus classis tutis cursibus ferebatur. *promissisque patris Neptuni interrita fertur:* promissis Neptuni respondens, qui futuram incolumem dixerat. interrita, inquit, hoc est secura ferebatur, licet rectorem perdidisset; numine enim Neptuni felicius rege-
865 batur. *iamque adeo scopulos Sirenum advecta subibat difficilis quondam multorumque ossibus albos:* dum tota classis secaret fluctus, iam coeperat in Sirenarum scopulos ferri difficilis aliis; dicturus est enim integros evasisse Troianos. difficilis dixit asperos et navigiis perniciosos, utpote qui saevitiam suam multitudine ossium testarentur. quae spes venientum esse poterat ubi aliorum interitus non fama, sed oculis probabatur? hoc ideo dictum est, ut ostendatur Neptuni beneficium, qui Troianos illic incolumis reddidit ubi infiniti perierant. *tum rauca adsiduo longe sale saxa sonabant:* quam evidens iam periculum fuit, cum iam ipsorum scopulorum sonus auris Troianorum mentemque tangebat! *cum pater amisso fluctantem errare magistro sensit et ipse ratem nocturnis rexit in undis:* Aeneas ubi advertit propinquam periculis classem, intellexit eius perisse rectorem, qua necessitate conpulsus suscepto gubernatoris officio ipse eam rexit et, quod difficillimum fuit, per totum spatium noctis. laudatur Aeneas etiam in arte gubernandi. *multa gemens casuque animum concussus amici:* fuit una difficultas regendae navis quam aliae sequebantur, dicit quae sint multa, causae labor scilicet ac sollicitudo, dolor quoque amici perditi et tantis
870 officiis necessarii. *o nimium caelo et pelago confise sereno, nudus in ignota, Palinure, iacebis harena:* haec ex per-

3 *clausis* R *classis* r. 9 *albis* R *-bos* r. 10 *inceperat* ed. 14 *venientium* ed. 20 *fluctantem* LR *fluitantem* ed. corrigere nolui, quoniam *fluctantem* defensorem invenit (v. Heyne-Wagner). 23 *per se* R *perisse* r = L. 24 *enim* R *eam* r = L. 27 *quem* R *quam* r. 28 *multa* LR *multae* r ed., sed *causae* ad *labor* pertinet = rei. 30 *necessariis* LR *-rii* r ed.

sona Aeneae accipienda sunt, qui arbitrabatur deliquisse Palinurum atque egisse neglegenter, quasi caelo sereno et pelago casu quolibet perire non posset. accedebat ad dolorem gementis poena quoque amico inflicta post mortem, ut inhumatus iaceret et nudus in exteris terris ignotusque omnibus, in litoribus etiam quae nullus incoleret et in quibus sepultorem invenire non posset.

---

6 *incoleret* LR *incederet* edF. | *et* om. R suppl. r = L. 7 *sepulchrum inveniri* ed. post. — subscriptio plena *Tiberi* — *explicit* desinit cum ultimo versu folii 160 in L: potest ergo in sequenti folio *incipit VI* secutum esse, si Laurentianus olim plenus fuit. extat in margine inferiore rasura ex qua nihil elicere potui. *explicit* R (titulum cum *incipit* coniuncturus ut in fine I III IV), altera pars paginae fol. 168B vacua relicta poema habet, de quo v. praef.

---

# AENEIDOS LIBER VI.

Deest interpretatio versuum 1—157.

.... quia quem perdidisset et quem gemeret nesciebat.
*cui fidus Achates it comes et paribus curis vestigia figit:*
ibat cum ipso Achates pari cura possessus. cum vero irent,
160 *multa inter sese vario sermone ferebant, quem socium exanimum vates, quod corpus humandum diceret:* tractabant inter se quis ille esset mortuus vel cuius corpus sepeliendum Sibylla praecepisset. quantum hic laudatur fides Achatis et amicitia! paribus curis agebatur tantumque torquebatur quantum Aeneas, ad quem specialis luctus et amissio necessarii pertinebat. *atque illi Misenum in litore sicco,* id est in harena litoris sicci (est enim et udum litus ubi pelagus terminatur), *ut venere, vident indigna morte peremptum, Misenum Aeoliden:* mox agnoverunt Misenum iacentem leto miserabili occisum. enumerat iam quae in illo viro essent dolenda. Misenum Aeoliden, inquit, hoc est sanguine optimo genitum: ecce duo indigna, leti genus et sanguinis ratio. *quo non praestantior alter*
165 *aere ciere viros Martemque accendere cantu:* addidit alia; nam in tubae cantu nullus peritior fuit, nullus viros sic accendebat, cum veniretur ad campum. dixit viros, quoniam inbelles et timidi nullis hortatibus commoventur. viros ergo fortis debemus accipere, non ad sexus discretionem. dixit haec, conserit quoque alia, *Hectoris hic,*

---

1 *quia quem* V *q. cum* H *q. eum* ed. *quae quem* Thilo: haec ad verba Vergilii „caecosque volutat" etc. pertinere patet. 2 *agathes* V (infra *achates*). 7 *achates* V *-tae* ed. *-tis* nos (ut *Anchisis* 844). 8 *paribus* V *quae p.* ed. | *agebantur* V (sed *torquebatur*). 20 *campum* V *conflictum* ed. 21 *nullius hortationibus* ed.

inquit, *magni fuerat comes, Hectora circum et lituo pugnas insignis obibat et hasta:* cum sint multi qui alios in furorem concitent belli, ipsi tamen pugnare non possint, laudatur in Miseno quia faciebat cum viris quod per tubam ipse dicebat. Hectoris, inquit, fuerat comes: si consideretur Hectoris magnitudo, cui iste fuerat iunctus, intellegatur qualis fuisset etiam Misenus; nam nullus cuiquam comes aut amicus efficitur nisi qui fuerit studiorum adfectu non dispari. Hectora circum et lituo pugnas insignis obibat et hasta: quotiens cum Hectore procedebat ad pugnam, et lituo placebat et hasta inferior non fuit duo officia simul exercens. *postquam illum vita victor spoliavit Achilles, Dardanio Aeneae sese fortissimus heros addiderat socium non inferiora secutus:* plurimum laudatur Misenus, quia numquam illi societas nisi cum praecipuis fuit, nam post Hectoris mortem, quem Achilles occidit, [se addidit Aeneae] non dispari virtute vel factis. *sed tum forte cava dum personat aequora concha demens et cantu vocat in certamina divos, aemulus exceptum Triton, si credere dignum est, inter saxa virum spumosa inmerserat unda:* illo, inquit, tempore quo cum Aenea fuerat, dum artem suam exerceret in litore et cantu eius personarent cava saxorum, repentina dementia possessus deos homo in certamina credidit provocandos, sed illum Triton exceptum utpote aemulus, hoc est ex provocatione adversarius, inter saxa conlisum dedidit morti atque undis inmersit. licet sit factum ut deos ad cantus homo provocaret et mors provocantis extitisset, tamen poeta si credere dignum est inquit, ut ostenderet etiam se dubitare potuisse existere tantam audaciam quae in suam perniciem divinum odium concitaret. exceptum dixit ut feram vena-

3 *possent* V corr. ed. 5 *turbam* V corr. ed. 7 *intellegatur* non satis perspicue V *-getur* ed. 12—13 *vita victor spo* V cetera huius lemmatis evanida, ut pleraque rubra in prima pagina aegre leguntur. 16 *achillis* V. 17 *se addidit Aeneae* deest in V inseruerunt HOU ed. hoc vel simile aliquid excidisse patet. 22 *in* om. ed. 23 *possessos* V.

bulo, quae, dum sua feritate plurimum se posse arbitratur, sic incauta ruit in ferrum et poenam suae temeritatis
175 expendit. *ergo omnes magno circum clamore fremebant:* fremebant, inquit, quasi irascentes naturae, quae illum tam necessarium, tam optimum virum, comitem regis, indigna morte pressisset. ergo planctus fuerunt non usitati, sed quibus querellae quoque viderentur admixtae. *praecipue pius Aeneas:* eadem causa etiam pius Aeneas dolebat, sed plus quam ceteri. ex superioribus apparet quid doluerint omnes; nam supra dixit de Aenea et Achate quod illius non solum mortem verum etiam genus leti doluissent. ut venere, inquit, vident indigna morte peremptum: indigna mors est quae non convenit viro forti; nullus enim aut non talis existeret dolor, si in pugna cecidisset et campo. *tum iussa Sibyllae, haut mora, festinant flentes:* festinandum fuit, ut iussa Sibyllae mature et in omnibus conplerentur, scilicet ut curarentur funus et eius sollemnia. *aramque sepulchro congerere arboribus caeloque educere certant:* maiorem de ipsis diligentiam ac laborem exigebat meritum mortui; praeter questus enim ac fletus maturabant funeri necessaria. properabant igitur aram non saxis struere, sed arboribus, ut ipsa esset et sepulchrum, in tantum autem roboribus congestis eam erigere nitebantur, ut caelum tangere potuisset. ultra modum aliquid exhiberi mortuo meritum in vita quaesitum, non alia necessitas facit: hoc agebatur in Miseni causa, quem amicum fuisse Hectoris dixit et Aeneae posterius, ut virium contemplatio et meritum monstraretur, ceterum et modicis lignis nec in tantum tumulum structis funus eius consumi potuerat. *itur in antiquam silvam:* idcirco dixit antiquam, quia dicturus est arbores illic fuisse ingentis et magnas, quas solitudo nutrierat et multorum prolixitas saeculorum. dicit causam propter quam nullus illic habuit accessum,

---

4 *naturae* V *in naturam* ed. 6 *usitatis* V. 9 *ceteris* V. 17 *curaretur* V ed. 18 *sepulchro* V *-chri* ed. 19 *exigebant* V corr. ed. 24 *ultra* V *nam u.* ed. 30 *poterat* ed.

*stabula,* inquit, *alta ferarum.* significando alta stabula ostendit illic feras commorari consuesse maiores, quarum metus arceret incolas ne hanc propter abscidenda ligna conscenderent. quantum Troiani laudantur qui non timuerunt evertere stabula alta ferarum! quod autem dixit itur in antiquam silvam et hanc ait stabula alta ferarum, continuam intellegi voluit stabula habuisse in quibus congestae ferae commanerent potioris formae, ut stabulis nostris redacta in unum animalia simplicia colliguntur. appellatione stabulorum ostendit de qualibus loqueretur, ceterum cubilia diceret, si minores significare voluisset. *procumbunt piceae:* ecce unum genus ligni fovendo in- 180
cendio necessarium; habet enim quendam sucum quo nutriat flammam. *sonat icta securibus ilex:* ecce aliud genus ligni silvestris. *fraxineaeque trabes:* ut fuerant integrae volvebantur. *cuneis et fissile robur scinditur:* lignum quod robur appellatur eius est naturae, ut scindi facilius possit. *advolvunt ingentis montibus ornos:* ornos quoque robora †facitidia quae propter effectum rei Troiani deiciebant. provolvere est, ut quod stat porro volvatur id est cadat.

*Nec non Aeneas opera inter talia:* talia hoc est quae pertinerent ad amici funus. *primus hortatur socios paribusque accingitur armis:* duplex curabat officium, ut omnium esset hortator et operum particeps. arma dixit paria qualia alii gestabant qui caedebant arbores aut iam caesas scindebant cuneis. potest et sic, ut non verba essent hortamento, sed facta. quis enim non faceret quod faci-

---

2 *commorare* V. 3 *abscindenda* ed. 6 *hanc* V *hic* ed. 10 *appellatione* V *hac app.* ed. | *et ad locum* V ed. *ad* del. ed. post: *stabulorum* nos. | *ostendit de* V *et* interpos. ed. 14 *aliud* V *unum* ed. 18 *montis* V. 19 *robora facitidia* V *r. fixilia* HOU *fissilia* ed.: non hoc solum corruptum, etiam *provolvere etc.* abrupte adiectum est: fortasse sic: *ornos quoque ut robora facit caedi, quae propter effectum rei Troiani deiciebant; advolvere enim provolvere est* etc. 26 *ut iam* V *vel iam* ed. 27 *non verba* V *iam.* interpos. ed. 28 *hortamenta* ed.

ebat et rex? provocabat hunc amici memoria et suadendi
necessitas potens; multum quippe accedit ad effectum ex-
pediendae rei, si operam suam, cum aliquid laboriosum
185 geritur, rex ipse coniungat. *atque haec ipse suo tristi cum*
*corde volutat aspectans silvam inmensam:* licet esset tristis,
quoniam causa funeris gerebatur et eius expeditio iam
fuerat certa, coeperat cogitare quae ad inventionem rami
pertinebant. volvebat igitur haec, et cum corde suo quasi
cum secunda persona, considerans inmensam latitudinem
silvae. *et sic forte precatur:* in prece sua ostendit cogita-
tiones suas quas tacitus secumque tractaverat; auxilio
quippe divino sciebat opus esse, ut inveniretur in tanta
prolixitate silvae arbor quae portaret aureum ramum. ubi
igitur eius defecit intentio et tractatus aestuantis confudit
in inmensum fusa latitudo prolixitasque silvarum, his pre-
catus est verbis, ut divino adiutus auxilio desideratam
speciem posset reperire. *si nunc se nobis ille aureus ar-*
*bore ramus ostendat nemore in tanto:* quando, inquit, in-
veniendo ramo aureo tanta nemorum difficultas obsistit,
utinam ultro se ipse nobis ostendat. *quando omnia vere*
*heu nimium de te vates, Misene, locuta est:* necesse est
enim etiam de ramo vera esse dicta, cum de tuo casu,
190 Misene, nimium miseranda vera locuta est vates. *vix ea*
*fatus erat:* statim ut haec dixit (nec tamen aliquem in-
ploraverat deum; quippe hoc solum protulerat, ut optare
videretur potius quam rogare), praevenit materna miseratio
euntem in preces et quod desiderabatur ostendit. *geminae*
*cum forte columbae ipsa sub ora viri caelo venere volantes*
*et viridi sedere solo:* quia columbae fuerunt, quia duae,

---

1 *memoriae* V. 5 *tristes* V. 10 *forte* V *ore* ed. 14 *aestuantis* — 15 *fusa* temere mut. ed. 17 *si* om. V. 19 *tanto nemorum* V *tanta n.* nos, mut. ed. 20 *ipse* om. ed. | *ostendat* V *ostenderet* ed. 23 *miserandae* V: *miserande* HO, sed non ad Misenum pertinet, *miserando* ed. 23—24 rubrae litterae lemmatis *vix—erat* ita superscriptae sunt extersis atris, ut ex his in fine superemineat *verat.* 24 *ita timui haec* V *ita haec* ed. *statim ut h.* nos (cf. 3, 655). | *et tamen* V ed. *nec t.* nos. 27 *desiderabat* ed. 28 *visae* pro *viri* V.

quia sub eius oculis transierunt, quia sederunt in solo herboso et iucundo, intellexit Aeneas in materno signo omnem esse inveniendi rami substantiam. venientes enim de caelo aperte monstrabant non aliud se ferre nisi eius expeditionem rei de qua cogitabatur in praesenti. *tum maximus heros:* laus ista non ad corporis bona, sed ad animi virtutes pertinet. vigilantia enim mentis et astutia qua Aeneas pollebat intellexit angustias suas materno remedio sublevatas et illas aves expeditionem rebus necessariis ferre. hoc est quod ait *maternas agnoscit aves laetusque precatur:* quod, inquit, maternas agnoscit aves, has coeperat laetus hortari: *este duces, o si qua via est.* bene de via quae ad ramum duceret dubitavit; stabat enim in silva, cuius densitas universa concluserat: vos, inquit, viam monstrate, si ulla est. *cursumque per auras dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat ramus humum:* vos enim potestis difficilia superare, quas aurae portant et silvarum inpedimentis leves pinnae suspendunt. vos illo viam dirigite ubi dives ramus opacat locum in quo esse commeruit. *tuque o dubiis ne defice rebus, diva parens:* et tu mater ne desere filium, eum vel maxime quem incerta confodiunt. o posuit, cum loqueretur cum columbis, o, cum precem torsisset ad matrem; illic enim ponitur ubi simplex hortatio est et blanda. *sic effatus vestigia pressit observans quae signa ferant, quo tendere pergant:* praeter adventum enim, quo spem maximam columbae pollicebantur, etiam sedentes aliquid poterant et motibus propriis nuntiare. quod ipsum quia Aeneas noverat posse provenire, observabat tacitus vestigiis fixis, ut sciret quae essent habiturae indicia futurorum. *pascentes illae tantum prodiere volando quantum acie possent oculi servare sequentum:* prodierunt, inquit, volando: prodierunt pedum significat gressum, volandi autem partes ad alas

3 *omnem* V *omen* ed. 4 *aliud* V *alios* ed. 7 *enim* om. ed. 12 *has* V *his* ed. 16 *diverso pagat* V. 19 *ramus opacat* V *humum op. ramus* ed. 23 *preces* ed. 29 *habituri* V corr. ed. 30 *prodiere* V *prodire* ed. et Verg. libri, sed potest Don. per synaloephen legisse ut *dii* 264 et ubique.

pertinent. si sic intellegamus, non cohaeret ut voletur pedibus aut alis ambuletur, sed non ipse est intellectus. vola enim dicitur media pars manus et plantae, quae faciebat columbas volare hoc est ambulare super volam, unde et involare dicimus, cum aliquid furtim vola manus subtrahitur, et involare rursum, cum violentae manus in aliquem diriguntur, sicuti Terentius ait (eun. 4, 3, 6) „in faciem involem venefico". ecce et hic volare posuit ambulare. ceterum ubi pinnarum volatum dicere voluit, de caelo, inquit, venere volantes; nullus enim alio adminiculo potest de caelo descendere. ac ne huius rei remaneret incertum, infra ostendit apertius quid hoc loco significet volando. cum enim tantum issent pedibus quantum observantis oculi sequi potuissent, *inde,* inquit, *ubi venere ad fauces graveolentis Averni, tollunt se celeres liquidumque per aera lapsae sedibus optatis gemina super arbore sidunt.* patefactum est de quo potuit dubitari; dicendo enim tollunt se celeres, ne gravem odorem Averni paterentur, et addendo liquidumque per aera lapsae ostendit procul dubio eas usque ad Avernum volando hoc est ambulando pervenisse et, cum eius graveolentem odorem ferre nequissent, alis quaesisse transeundi [viam], ut per aeris puritatem lapsae, ut factum est, oblatae arboris destinata contingerent. sederunt igitur columbae geminae super arborem geminam. ipsam enim significabant numero duplici quae frondem duplicem materiamque portabat. mox igitur, ut super eam sederunt, *discolor unde auri per ramos aura refulsit:* statim, inquit, ex ea quae viridis fuit aliud genus coloris effulsit et quod magno desiderio quaerebatur inventum est. ingreditur descriptionem qua illius rami

---

1 *ut* om. ed. 4 *super* V *per* ed. 7 *terrentius* V. 7—8 *in faciem* V *illi facile in oculos* ed. secundum Terentii libros. 8 *posuit* V *p. pro* ed. 9—10 *de caelo* om. ed. 10 *enim* V *e. sine* ed. 16 *geminae* ed. 19 *ostendit* — 23 *lapsae* om. ed. 22 *viam* vel simile aliquid excidit in V. 23 *oblitae* V *oblatae* ed. 24 *contingeret* ed. 25 *arbore gemina* ed. 29 *et* om. ed.

similitudinem monstret vel colorem: *quale solet silvis bru-* 205 *mali frigore viscum fronde virere nova, quod non sua seminat arbos, et croceo fetu teretis circumdare truncos, talis erat species auri frondentis opaca ilice, sic leni crepitabat brattea vento.* quemadmodum, inquit, hiemali frigore emergentibus frondibus novis solent arborum trunci visco fluente perfundi et colorem croceum demonstrare, talis erat species auri frondentis. cum admiratione positum est auri frondentis opaca ilice; miraculum enim fuit ex arbore ilicis hoc est ex ligno durissimo ramum aureum cum aureis frondibus extitisse. *corripit Aeneas extemplo:* propter re- 210 movendam narrandi prolixitatem non dixit quomodo Aeneas ad ipsam arborem videatur perrexisse, cum volantes columbae vix illo pervenissent propter Averni graveolentiam, nos tamen quod breviandae narrationis causa poeta praetermisit intellegere possumus, quaesisse Aenean aliam viam et pervenisse, ut inventum munus offerret. statim igitur Aeneas hunc ramum corripuit utpote diu desideratum. *avidusque refringit cunctantem:* et cum ramus ipse aviditatem properantis retardaret, hunc tamen Aeneas vicit. *et vatis portat sub tecta Sibyllae:* nuntiaturus conpleta omnia portavit ipsum ramum sub vatis tecta.

*Nec minus interea Misenum in litore Teucri flebant et cineri ingrato suprema ferebant:* rediit ad ea unde recesserat et conpletis in causa rami partibus ad Miseni exequias revolutus est: dum Aeneas, inquit, alia curaret nec tamen ea ipsa obstarent curantibus sepulturam, nihilo minus Troiani Misenum flebant et cineri ingrato suprema ferebant. cum nondum arsisset, sed mox esset arsurus, recte defuncti corpus cinerem dixit, quia hoc agebatur, ut

---

5 *bratea* V. 6 *fluente* V ed. *florente*? 7 *tales* V. 10 *durissimum* ed. 11 *extemplo Aeneas* ed. 14 *graveolentiam* V *gravem odorem* ed. 17 *munus* V *se m.* ed. 19 *ramum ipse* V corr. ed. 20 *retardarent* V corr. ed. 25 *miseni* V *ad M.* ed. 26 *dum — curaret* om. ed. | *nec* V *ne* ed. 30 *qua hac agebantur* V *quia haec a.* ed. *quia hoc agebatur* nos.

in cinerem mutaretur. *principio pinguem taedis et robore*
215 *secto ingentem struxere pyram:* haec primo admoverunt quae non solum pyram struerent verum etiam facilius arderent et alia quoque accendere potuissent. *cui frondibus atris intexunt latera;* sunt enim genera lignorum quae mortuorum sollemnitati conveniant. *et feralis ante cupressus constituunt;* cupressus quoque luctibus congruit. *decorantque super fulgentibus armis;* virorum enim fortium cum ipsis funeribus arma apud veteres consumebantur, nec solum haec, sed et cetera quae habuissent carissima. *pars calidos latices et aena undantia flammis expediunt:* pars aliqua hominum aquam calidam procurabant: hoc genere locutionis multis locis usus est poeta; exquisita enim gravior est quam simplex. *corpusque lavant frigentis et ungunt:* haec fuit causa caldae expediendae, ut frigens corpus hoc est frigidum aqua calida lavaretur. ungebatur
220 autem, quo celerius arderet. *fit gemitus:* gemitus fuit omnis, ut fieri solet cum ad supremum mortui pervenitur obsequium. *tum membra toro defleta reponunt:* membra, propter quae tantas effuderant lacrimas, toro cum ipsis arsuro posuerunt. torum dixit stratum quod fuit in feretro. *purpureasque super vestes, velamina nota, coniciunt:* vult ostendere pretium vestium quae propter defuncti meritum dabantur incendio. illarum vestium commemorationem facit quas ex eo amasse probatur, quia frequentius his usus est et inde notae omnibus fuerant. debuit ergo et in morte his velari quas dilectas, cum viveret, habuit. sic fecit et Dido; nam exuvias quarum tenebatur adfectu inposuit proprio rogo et has ipsa secum consumpsit ipsa-

---

1 *mutarentur* V *-etur* nos *verteretur* ed. 2 *primum* ed. 6 *cupressos* ed. 10 *sed et* V *sed* ed. 15 *caldae* V *calidae aquae* ed. 17 *gentis fuit* V *gemitus fit* ed. 18 *omnes* V corr. ed.: *omnis* = plenus vel summus ut 231 et 11, 312. 20 *toro* — 21 *posuerunt* V ed. *inposuerunt*? 25 *fecit* ed. | *quae* V ed. *quas* nos. | *amavisse* ed. | *probantur* V *-atur* ed.: an *quae* — *amatae esse probantur*? 28 *exul has* V *exuvias* ed. | *tenebat* V *-batur* ed.

que sibi ultro funereum procuravit obsequium quae salutis suae tempus abrupit. *pars ingenti subiere feretro, triste ministerium;* ferendi quippe funeris ministerium luctuosum est et eo magis in Miseni obsequio, ubi nullus erat qui non doleret; adhuc enim extrarii adhiberi non convenerunt, sed illi qui possunt requiri. *et subiectam more parentum aversi tenuere facem:* prisci enim cum ignem rogis inferrent, non sub oculis suis propter pellendum doloris augmentum, sed a tergo suo, ut dicitur, faces adponebant. *congesta cremantur turea dona, dapes, fuso crateres olivo:* 225 meritum mortui in specierum abundantia probabatur, et cum non dicitur tantum turis quantum solet, plus potest sentiri quam constabat inpensum. proinde tus, inquit, congestum hoc est copiosum traditum flammis ardebat et oleum non paulatim, sed semel cadis infusum incendia ipsa cumulabat. *postquam conlapsi cineres et flamma quievit, reliquias vino et bibulam lavere favillam:* ubi consumptis membris recessit flamma et totum in cineres versum est quod ardebat, vino ablutum est quod fuerat colligendum. *ossaque lecta,* lecta ex cineribus lignorum et carnis, *cado texit Corynaeus aeno:* in cadum aeneum Corynaeus coniecit et texit reliquias, ossa dixit quae non consumpserant flammae; haec enim sola sepulchro condi consuerunt. *idem ter socios pura circumtulit unda spargens rore levi* 230 *et ramo felicis olivae lustravitque domus dixitque novissima verba:* quoniam supra dixit „totamque incestat funere classem", hic expiationem omnium purgationemque describit, quae fit eo ritu quo Corynaeum fecisse adseruit,

---

4 *misenio* V. 5 *extrarii adhiberi convenerunt* V *non* sensu postulatum inserui, cetera mutare non ausus sum *extrarios a. convenerat* ed. 6 *illic ubi possunt repperiri* V ed. emendavi, quia absurdum. 8 *inferebant* ed. 11 *abundantia* V *flagrantia* ed. | *probatur* ed. 12 *quantum thuris quantum* V corr. ed. 15 *cades* V. 20 *carnes* V (huiusmodi errores saepe occurrunt in V). 21 *corineus* infra *coryneus* V. 23 *consueverunt* ed. 25 *domus* V *domos* ed. *viros* optimi Verg. libri, sed interpretatione affirmatur.

scilicet ut universi qui obsequiis interfuerant aqua pura hoc est munda felicis olivae frondibus spargerentur. haec fuit lustratio omnis et expiatio, hominum scilicet et domorum. *at pius Aeneas ingenti mole sepulchrum inponit suaque arma viro remumque tubamque:* quae superius dicta sunt alii conpleverant. dicit nunc quid Aeneas ipse curaverit perficiendum. pius, inquit, Aeneas: hoc loco bene posuit pium, quoniam comiti ac familiari suo condebat memoriam. ait ingenti mole inponit sepulchrum: aedificat quod ut magna mole consurgeret contemplatio faciebat Miseni meritorum quae in vita quaesiverat. ceterum mortuos supra dixit nihil sentire, cum diceret (213) „et cineri ingrato suprema ferebant", quia, cum nihil sentiunt perindeque nec vicem reddunt, recte mortui dicuntur ingrati. ergo Aeneas animo suo satis faciens constituebat ingens sepulchrum, quod faciebat, non tantum ut ossa contegeret verum etiam ut opus illud saeculis omnibus perduraret. arma autem eius et artis insignia non inmerito addebat; oportuit enim ea cum ipso constitui per quae in vita floruit et Hectori primum, dehinc Aeneae ipsi adhaerere et commendari commeruit. dixit quid fieret, dicit nunc quo loco: *monte,* inquit, *sub Aerio, qui nunc Misenus ab*
235 *illo dicitur*: sub Aerio, ait, monte: hoc nomen apud veteres fuit montis, sed quia Vergilii temporibus aliter appellabatur, brevitate mirifica et superiori tempori et praesenti respondit, ut instrueret nescientis et doceret commutationem nominis occurrisse, ut Misenus diceretur ex Miseni nomine qui dicebatur Aerius. *aeternumque tenet per saecula nomen*: tantum illius viri meritum valuit licet mortui tantumque eius auctoritas potuit qui hoc voluit servari, ut saeculis omnibus Misenus manserit et hoc nomine vocitetur a posteris. Aerium montem plerique non nomen eius fuisse

---

1 *interfuerunt* ed. 2 *hoc est munda* om. *et* substituit ed. 9 *ponit* ed. 11 *quaesierat* ed. 12 *et cineri* V *et* om. ed. 13 *qua cum* V *quia cum* nos *quia* ed. 18 *artis* V corrupit ed. 22 *aereo* ed. 27 *cucurrisse* V ed. *occurrisse* nos (cf. 10,499). 30 *qui* V *quod* ed.

arbitrantur, sed quod sit altissimus, et hoc magis tetigisse Vergilium, sed non hoc positum est; nam qui dixit qui nunc Misenus ab illo dicitur ostendit a veteribus Aerium nuncupatum. nam quae esset Miseni gloria aut unde sciretur ipsum positum, si non illi monti remoto superioris temporis vocabulo Miseni nomen esset adpositum?

*His actis propere exequitur praecepta Sibyllae:* totum propterea adseritur fecisse vel facere, quod illum aut iussio patris inpelleret aut Miseni dilectus urgeret. descriptio adicitur aditus ad inferna tendentis. *spelunca alta fuit vastoque inmanis hiatu:* spelunca fuit alta, hanc ingens hiatus terrae naturaliter profundam fecerat. *scrupea,* hoc est saxosis lateribus atque asperis; non enim illam ars procuraverat aut hominis manus. *tuta lacu nigro nemorumque tenebris:* haec quoniam semper patet, ne ad eam cuipiam sit facilis accessus, pro muro habet lacum, ex undis autem horrentibus et taetris et multarum arborum tenebris satis fuerat occulta. *quam super,* id est super quam, *haut ullae poterant inpune volantes tendere iter pinnis:* super hanc nullae volucres poterant sine poena transire; illic enim moriebantur. dicit causam: *talis sese halitus atris faucibus effundens supera ad convexa ferebat.* quantum momenti avibus fuerat necessarium, ut transire incolumes possent? sed tanta vis exhalabat ex illis faucibus, ut illic puncto temporis etiam citi volatus superarentur, nec has iuvabat, si peterent altum; ad caelum enim usque perveniebat quicquid lacus taeter et hiatus speluncae ructabat. *quattuor hic primum nigrantes terga*

5 *remoto* om. ed. 5—6 *superior ceteris* V *superiori c.* ed. *superioris temporis* nos. 7 *sybillae* V. 8 *adseretur* V corr. ed. | *vel facere* om. *id* substituit ed. | *iussio* V *visio* ed. 9 *miseni dilectus* V (cf. 4, 292. 9, 85) *Misenus inventus* ed. | *surgeret* V corr. ed. | *describtio* ut plerumque V. 18—19 *id est super aquam* V, sed *lacus* praecedit, non *aqua*, nec in sequentibus Don. halitum ad solam aquam refert, quare *super quam* scripsi cf. quod similiter adnotat 12, 177, om. ed. 21 *tales* V. 22 *alitus* V. | v. 242 non habet V interpol. ed. 24 *sed* V *si* ed.: sententia ita constat, si *quantum* quantulum intellegitur.

245 *iuvencos constituit frontique invergit vina sacerdos et summas carpens media inter cornua saetas ignibus inponit sacris, libamina prima, voce vocans Hecaten caeloque Ereboque potentem:* contra detestandos speluncae ipsius halitus vates Sibylla sacrificiorum remedia procurabat. si enim aves volantes per altitudinem caeli citae transire non poterant, quid homo efficeret per ipsas fauces et lacum taeterrimum transiturus tardo utique gressu per tenebras et loca incognita? quattuor ergo iuvencos admovit nigros; et numerum et colorem intellegere debemus ad ritum pertinuisse sacrorum. frontique invergit vina sacerdos et tollit saetas ex his quas inter cornua habebant et ignibus sacris inponit: hoc quoque intellegere debemus factum ratione sacrificandi dictante. haec erant prima libamina. *supponunt alii cultros,* hoc est boves occidunt. *tepidumque cruorem suscipiunt pateris:* ne consecratus sanguis funderetur in terram, hunc pateris suscipiebant. *ipse atri velleris*
250 *agnam Aeneas matri Eumenidum magnaeque sorori ense ferit sterilemque tibi, Proserpina, vaccam:* Aenean, quod esset deorum cultor, non latebat quid etiam ipse iuxta deos inferos deberet efficere, denique agnam mactavit nigri velleris et sterilem vaccam. totum enim nigrum deputatur inferis et sterile animal, quod dicitur ideo infecundum mactari, quod ab inferis nihil possit exoriri. atri velleris agnam: quattuor simul voluit demonstrare, colorem, genus animalis, cum primo vellere, intactum: sic in duodecimo ait (170) „intonsamque bidentem attulit admovitque pecus flagrantibus aris“, ut ostenderet tale animal sacrificiis esse necessarium quod primam lanam gestet ac per hoc numquam sit attonsum et sit a Veneris rebus inmune. *tum Stygio regi nocturnas inchoat aras et solida inponit tauro-*

---

4 *detestandus* V. | *habitus* V *halitus* nos *hiatus* ed. 8 *super* V ed. *per* nos. 10 *colorem* V *et c.* scripsi cum ed. | *ritem* V. | *pertenuisse* V. 14 *dic tanta e* V *dictante* nos (cf. 2, 151) om. ed. 16 *cru* pro *cruorem* V. 19 *tibi* om. V. | *proserpinam* V. 23 *sterili* V. 29 *hac* pro *ac* V (saepe). 30 *adtunsum* V. | *veneris* V *venereis* ed. 31 *nocturnus* V.

*rum viscera flammis [pingue superque oleum infundens ardentibus extis]:* ipsi regi inferorum nocturna sacrificia instituit exhiberi; nam etiam hoc tempus quod tenebrosum est inferis convenit. quod autem solida taurorum corpora inposuit aut obsequii pleni fuit aut moris aliqua sacrorum lege definiti. oleum vero non dubitatur idcirco infusum, ut aris inposita facilius exurerentur. omnis vero ista descriptio ostendit quo more vel quibus aut qualibus et quantis animalibus caesis inferorum numinum favor possit adquiri. *ecce autem:* ubicumque ponitur ecce autem 255 aliquid necesse est sequi quod metum adferat vel admirationem. *primi sub lumina solis:* ne incertum esset quid significaret sub lumina solis, addidit *et ortus,* ut apertam designationem horae vel temporis demonstraret. potest enim esse lumen solis etiam horis aliis quibus dicitur dies. *sub pedibus mugire solum:* mugire coeperat subiecta pedibus terra. *et iuga coepta moveri silvarum visaeque canes ululare per umbram:* haec fiebant per umbram, prope tamen sub solis exortum. existebant, inquit, miracula omnia, cum deae Triviae iam prope videretur adventus. movebantur et iuga silvarum, mugitus sub pedibus exortus hominum auris tangebat et mentem, canes per umbram ululatus dabant. per umbram ad omnia pertinet quae descripsit, licet semel sit positum. his animadversis Sibylla intellexit ipsam venire inferum principem et sic locuta est: *adventante dea procul o procul este profani conclamat vates.* quid sibi velit duplicatio dicti, evidentius demonstrat dicendo *totoque absistite luco.* quoniam adventus deae nullius profani praesentiam patitur, discedite, inquit, alieni, non paululum, sed ita ut lucum ipsum penitus deseratis. hoc

---

1 *pingue* — 2 *extis* deest in V, sed explicatur, *infundens* scripsi propter *infusum.* 6 *definiti* V *definita* ed. 8 *quo more* V *qua morte* ed. 9 *numerum favor* V *numinum f.* ed. 13 *et ortus* V *et* om. ed. 14 *designationem* V *significationem* HO ed. 19 *subolis* V *sub solis* ed. | *exortu* V *exortum* ed. 20 *iam* om. ed. 22 *canis* V. 25 *inferum* V *inferorum* ed. 30 post *deseratis* dimidius versus vacat cum rasura in V.

ait vates et hoc clara voce nuntiat. conclamat vates ex
persona poetae dictum est, reliqua ex ore Sibyllae pro-
260 cesserunt. *tuque invade viam vaginaque eripe ferrum.*
*nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo:* tu, inquit,
Aenea, viam audacius invade, educ vagina gladium, ani-
mum praepara et esto firmissimo pectore. *tantum effata*
*furens antro se inmisit aperto:* cum haec Aeneae dixisset,
antrum, quod semper patebat, ingressa est furens cum
omni properatione. *ille ducem haut timidis vadentem*
*passibus aequat:* illa prior pergebat, quae numine fuerat
plena et eundi fiduciam gerebat, Aeneas vero ipsius socie-
tate confisus ibat non minore gressu quam Sibylla.
magnam constantiam Aeneae fuisse ostendit dicendo va-
dentem passibus aequat haut timidis; nam qui confidens
praecedentem sequitur sine dubio posterior ambulat vestigia
demonstrantis observans et qui trepidus vadit fit metus
causa tardior, Aeneas autem tanta animi fiducia tenebatur,
ut Sibyllae passibus suos gressus aequaret.

*Dii quibus imperium est animarum umbraeque silentes*
265 *et Chaos et Phlegethon, loca nocte tacentia late, sit mihi*
*fas audita loqui, sit numine vestro pandere res alta terra*
*et caligine mersas:* dicturus poeta quales esse adserantur
sedes infernae et quae illic iuxta animas gerantur vel
multa descripturus incognita viventibus, ne temerarius
iudicaretur, veniam a diis inferis postulabat adserens non
se auctore, sed aliis proferentibus scripta vel dicta narra-
turus. posset enim in utroque reprehendi, quod vivus
incognita vivis pro veris adsereret, aut praeceps, si effun-
deret vera quae occulta esse debuerant nec in vulgus exire.
proinde ait veniam peto a diis quibus imperium est
animarum, ut mihi inpune liceat audita narrare.

*Ibant obscuri sola sub nocte per umbram perque domus*

---

9 *timidis* et infra V *timide* ed. 19 *silentis* V. 20 *plege-thon* V. | *tacentia* V *silentia* ed. 23 *vel* V *ut* ed. 25 *postulabat* V ed. *postulat*? 26 *auctore* V ed. *auctorem*? | *narraturus* V *narraturum* ed. 28 *praeceps si* V *si* deleri malim. 30 *diis* V *a diis* ed. 32 *domus* ut v. 231 V *domos* ed.

*Ditis vacuas et inania regna:* per umbras ire ac per solam noctem quam inpossibile est! sola enim nox est cui lux nulla succedit ac per hoc perpetua. dat tamen aliquam possibilitatem inducta similitudine: *quale,* inquit, *per in-* 270 *certam lunam,* hoc est in ipsis initiis positam aut sub nubilo constitutam, *sub luce maligna,* non clara et non plena, et quae securos invideat gressus. addit aliud: *est iter in silvis,* ut ipsam malam lucem maxima ex parte silvarum densitas rapiat. ecce quiddam luminis dixit in illis tenebris fuisse, non tamen plenum. ibant ergo per loca vacua et inania, quia nec quod videretur fuit nec cui posset occurri. *vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci Luctus et ultrices posuere cubilia Curae, pallentesque habitant Morbi tristisque Senectus et Metus* 275 *et malesuada Fames ac turpis Egestas, terribiles visu formae, Letumque Laborque tum consanguineus Leti Sopor ac mala mentis Gaudia mortiferumque adverso in limine Bellum ferreique Eumenidum thalami et Discordia demens* 280 *vipereum crinem vittis innexa cruentis:* feralem Ditis domum ecce quale observabat officium in primo vestibulo! illic enim fuerant omnia quae cruciant vivos aut defunctos adfligunt. haec specialiter enumerata sunt et aliqua cum suis epithetis posita: Luctus primo, quorum sordidus et miserabilis cultus est; Curae, quae quemcumque possederint torquent, posuere cubilia: significavit eas a vestibulo illo non divelli; pallentes Morbi: omnes enim Morbi pallorem inferunt aegris quos corripuerint; tristis Senectus, vel quod rugis contrahat eorum vultus qui vixerint diu vel quod morti proximos faciat; et Metus, quo excruciantur homines qui ex aliqua conscientia aliquam metuunt poenam; Fames malesuada: famem non solum egestatem victus debemus accipere, quae inopiae causa suggerit detestanda

---

3—4 *du tamen aliquam possibilitatū inducta similitudinē* V *idcirco aliquam possibilitatis inducit similitudinem* HO ed. 7 *et quae securos* bis scripsit V. | *gressos* V. | *addidit* ed. 9 *radiat* ed. 12 *possit* V ed. 15 *turpes* V. 20 *inprimum* V. 24 *possederent* V *possident* ed. 26 *illo* om. ed.

consilia, sed illam quoque quae unumquemque, etiam locupletem ducit ut aliena rapiat ac violenter invadat, ipso docente Vergilio, qui ait (3, 56) „quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames!“ ac turpis Egestas, quoniam defectus substantiae familiaris deformis facit macie et ipsius corporis cultu; terribiles visu formae, etiam solo aspectu terrorem incutientes, Letum et Labor: mors enim et labor odiosi sunt; neque enim adpetuntur a quoquam, sed ingeruntur invitis; tum consanguineus Leti Sopor, quoniam somnus et mors prope unius sunt generis: nam qui dormit, perinde facit ac mortuus, hoc solo distat, quod recedens somnus reddit hominem vitae, mors autem inreparabilem tenet quem forte possederit; mala mentis Gaudia: haec sunt quae in scelera homines ducunt: adulter quippe, latro, homicida et universorum criminum rei, cum lucro voluptatem de sceleribus capiunt, sic in mala gaudia perducuntur; inde autem mala sunt eiusmodi gaudia, quia, si apud superos inulta fuerint, apud inferos puniuntur: quid igitur opus est hoc gaudiorum genus mala mente sectari, si haec quolibet tempore vel loco gravissima poena consequitur? mortiferum Bellum: nullum est enim bellum quod esse sine funeribus possit; ferrei Eumenidum thalami, duri, id est inmites; et Discordia demens, quae dementis faciat quos forte commiserit: non possunt quippe esse integro statu mentis qui fuerint discordia emergente flammati; dicit eius ornatum, ut ex eo appareat vel qualis ipsa sit vel qualis efficiat: vipereum, inquit, crinem vittis innexa cruentis, ad vicem crinis serpentibus circumdatum habuit caput vittis quoque cruentis innexa.

---

4 *turpis* om. ed. 8 *odiosi* V *odiosa* ed. | *a quo quali* V corr. ed. 15 *et* — 16 *rei* om. ed. 16 *cum lucra voluptatem* V *et* interpos. ed. *lucro* nos. 18 *quasi* V ed. *quia si* ed. post. 23 *id est* V *iidem* ed. 24 *quae dementis faciat* V *dementes enim facit* ed. 25 *commiserit* V *ceperit* ed. | *quippe* V *quidem* ed. 26 *flammati* V *infl.* ed. 28 *qualis* V *qualia*? 30 *innexa* V *-xum* ed.

*In medio ramos annosaque bracchia pandit ulmus opaca, ingens:* transiit a descriptione vestibuli, venit ad interiorem partem quae non esset sub tecto. fuit illic, inquit, ulmi arbor annosa perindeque ingens ingentibus ramis effusa, opaca frondibus. bene posuit annosam et ingentem; sunt enim arbores annosae, non tamen ingentes nec opacae nec ornatae frondibus, in hac autem et antiquitas parebat et ramorum ac frondum opacitas antiquitati respondens. *quam sedem Somnia vulgo vana tenere ferunt:* hic, ait, dicuntur esse vana somnia, hic vult esse errores qui pro necessariis inaniter occurrunt dormientibus. recte dixit ferunt, quia supra ait „sit mihi fas audita loqui“ nec debuit auctor esse in incertis. *foliisque sub omnibus haerent,* ipsa scilicet Somnia. *multaque praeterea variarum monstra ferarum:* quae sint multa monstra vel quae ferarum varietas a generalitate ad speciem transiens dicit. *Centauri in foribus stabulant:* Centauros constat monstra esse; nam partem membrorum habent ab humano corpore venientem, partem ab equorum forma. stabulant dixit commanent et recte habitationem ipsorum stabulum vocitavit; vult enim eos plus cum equis quam cum hominibus membrum habere commune. *Scyllaeque biformes:* et has aiunt monstra esse, utpote quae usque ad pubem virgines pingantur et canibus marinis armatae pro pedibus. *et centumgeminus Briareus:* gemini dicuntur duo geminae formae hoc est duplicis: qualem igitur putamus fuisse Briareum, qui centumgeminus fuit! *ac belua Lernae:* Lerna unus anguis fuisse traditur habens multos serpentes in capite. *horrendum stridens:* ipsa magis quam Chimaera, quam infra nominavit: serpentibus enim plurimis stridorem emittebat. fuit ergo monstrum quae fuit ultra naturam serpentum. *flammisque armata Chimaera:* quae pro armis

---

2 *venit* V *et v.* ed. 4 *perindeque* V *perinde inquit* ed. 6 *annosae* om. ed. 7 *in hanc* V. 8 *apparebat* ed. | *frondium* ed. 10 *haec vult* V corr. ed. 18 *monstra* V *monstrosa* ed. 22 *membrum* V ed. *membrorum?* 23 *quaepoteque* V corr. edF. 27 *centumgeminis* V.

habuit flammas, a contrario, ut ipsis defenderetur quibus posset absumi. *Gorgones:* haec quoque facie fuit humana pro capillis gestans in capite serpentum turbam. *Harpyiaeque:* Harpyiae quales fuerint, quam multiplici natura conpositae tertius liber ostendit. *et forma tricorporis umbrae:* Geryonum triplicem fuisse formam memoria ve-
290 terum prodidit. *corripit hic subita trepidus formidine ferrum Aeneas strictamque aciem venientibus offert:* Aeneas visis tot malis et repentina formidine turbatus vehementer strictam aciem venientibus offerebat gladii aestimans illas omnis monstrorum formas aliquid ausuras adversi facere. *et ni docta comes tenuis sine corpore vitas admoneat volitare cava sub imagine formae, inruat et frustra ferro diverberet umbras:* nisi turbatum Sibylla docuisset inanis formas sine corporibus esse, ut res ipsa indicabat, paratus erat pugnare frustra et umbras adpetere in cassum, utpote incorporeas quas ferire non posset.

295 *Hinc via Tartarei quae fert Acherontis ad undas:* hinc via hoc est ex illo loco quem supra descripsit tenditur usque ad fluvium Acherontis. *turbidus hic caeno vastaque voragine gurges aestuat atque omnem Cocyto eructat harenam:* pro qualitate inferna fuit natura aquae turbida, caenosa, odoris pessimi, utpote quae ructaretur ex caeno. *portitor has horrendus aquas et flumina servat terribili squalore Charon:* portitores dicuntur qui portus observant idcirco, ut sine ipsorum iussu nullus transeat in alias regiones. his igitur aquis tam gravibus odore, tam horrendis aspectu praeerat sordibus par et nulla ex parte dissimilis, loco et regionibus taetris apte conveniens, visu quoque terribilis Charon. exponitur visus eius metum videntibus
300 spargens: *cui plurima mento canities inculta iacet.* barbam, inquit, habuit canam, prolixam, incultam. *stant*

---

4 *quam* V *et quam* ed. 6 *geryonum triplicem fuisse formam* V ed. *Geryonem — forma?* 11 *adversi et* V ed. *et* delevi. | *faceret ni* V. 15 *sine* V *in* ed. 17 *incorporeis* V corr. ed. 20 *usque* om. ed. 23 *ex caeno* V *a c.* ed. 26 *alias* V *alienas* edF. 31 *facit* pro *iacet* V. 32 *incultam* V *et i.* ed.

*lumina flamma:* inflexibiles oculi eius et semper stantes quasi quasdam flammas emittebant. *sordidus ex umeris nodo dependet amictus:* velamen eius tale fuerat quod plenum corpus tegere non posset, denique eius pendebat umeris sordibus taetrum nec saltem fibula, sed nodo suspensum. *ipse ratem conto subigit velisque ministrat et ferruginea subvectat corpora cumba:* non ille aliquam potestatem agendi videbatur habere, sed poenam, denique ipse subigendo agebat ratem. cum dicit subigit, non fuit sine laboris tormento quod agebat. ipse dabat vela, ipse corpora vectabat. cum multa multorumque officia solus inpleret, apparebat illum perpetuis deditum fuisse tormentis. *iam senior, sed cruda deo viridisque senectus:* iam, inquit, senior fuit, si anni eius considerarentur, si autem aspectu eius quis metiretur aetatem, poterat adhuc iuvenis aestimari. illius enim senectus, hoc est canities, viridis aliud offerebat oculis quam poterat veritas indicare. viridem canitiem non propter colorem dixit quem habent herbae vel frondes, sed quae adhuc non parum de primis temporibus retineret. cruda, inquit, et viridis, quia utrumque nondum advertebatur ad maturitatem pervenire, † dum autem humanae aetatis senectus plenus sit. *huc omnis* 305
*turba ad ripas effusa ruebat:* huc, hoc est ubi Charon observaverat, concurrebat omnis animarum turba, ut Charonis ipsius ministerio traicerentur ulterius. *matres atque viri defunctaque corpora vita magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae inpositique rogis iuvenes ante ora parentum:* in illa turba fuerunt matres et mulieres, fuerunt viri qui conpleverant vitam; vult enim alia genera mor-

---

4 *denique eius* V *ex* interpos. ed. 5 *umbris sordibus tetrum* V. 6 *contus subigit* V. 13 *seniore* V. 15 *meteretur* V. 16 *canities hoc est senectus* ed. 18 *canitiem* V *senectutem* ed. 20 *quia utrumque* V ed. *utrumque quia*? 21 *dum* — 22 *plenus sit* V *plena* ed. non minus absurde: fortasse *nondum ut humanae aetatis effectus plenus esset*? 22 *huc* in lemmate om. V, in interpr. *hic* habet. 24 *charonis* V *Charontis* ed. 28 *matres et mulieres* V *id est mulieres* Hoppius.

tuorum separare, dicit ergo quorum illic animae in praesenti haberentur, matrum, ut diximus, et virorum, magnanimorum heroum, puerorum, virginum et eorum quos viderunt parentes rogis inponi. istorum mortem cum miseratione poeta commemorat. quam durum quippe est iuvenes mori, qui sibi adhuc et suis et patriae prodesse commodis potuissent! rapi pueros et virgines inmaturae mortis interventu, quos in spem posteritatis servari convenerat et in longum tempus seniumque perduci! quam funestum parentes funeribus interesse liberorum, curare tam duras exequias et ardentis aspicere! cum animas describeret volentis fluvium transire, discrevit sexus, discrevit aetates; constat enim omnibus his mortem esse communem nec moriendi esse ordinem, sed confuse ex omnibus aetatibus mori. mittit similitudinem, ut ostendat quanta illa fuerit turba vel quomodo mortem obierit. *quam*
310 *multa in silvis autumni frigore primo lapsa cadunt folia aut ad terram gurgite ab alto quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus trans pontum fugat et terris inmittit apricis:* tam multae, ait, multorumque animae volentes fluvium transire confluxerant, ut solent innumera folia excidere arboribus, cum his anni tempus supervenit, aut ut sunt aves quae congestae, cum frigus ingruere coeperit, adunantur, ut transmisso mari ea petant loca quibus pruinas effugiant. *stabant orantes primi transmittere cursum tendebantque manus ripae ulterioris amore:* rogantes et stabant totum ad obsequium supplicum pertinet. dicit causam standi et rogandi, ut unicuique primus transitus proveniret, tantus amoris adfectus tenuerat omnis tantum-
315 que ulterioris ripae desiderium habuit. *navita sed tristis,* hoc est Charon semper dirus et adfabilis numquam, *nunc hos nunc accipit illos;* non enim poterat navicula permodica semel omnis accipere. *ast alios longe submotos arcet*

---

24 *utmis soma et petant* V *ut aprica repetant* HO ed. *ut transmisso mari ea petant* nos. 27 *pertinet* om. ed. 30 *set* V (alibi *sed*). 31 *hoc est* — 32 *illos* om. ed. 33 *semel* V *simul* ed.

*harena:* alios longe submotos ipsam harenam litoris contingere non sinebat.

*Aeneas miratus enim motusque tumultu dic, ait, o virgo, quid vult concursus ad amnem? quidve petunt animae? vel quo discrimine ripas hae linquunt, illae remis vada livida verrunt?* haec interrogatio propositionis retinet vicem, quoniam ad omnia Sibylla responsura est. haec ipsa tripertita est; quaesiit quippe cur tantus animarum concursus ad amnem fieret vel quid ipsae animae desiderarent vel quae esset inter illas distantia, ut aliae fugatae linquerent ripas, aliae navicula transmitterent eas et ad ulteriora portarentur. *olli sic breviter fata est longaeva sacerdos;* breviter quippe loqui debuit relatura superflua, ne quae fuerant necessario agenda morando differret. *Anchisa generate, deum certissima proles:* natus es ex homine, non inmerito paves, habes humani generis timiditatem, sed nihil debes metuere qui alia ex parte genus a superis ducis. post principia descendit ad ea quae interrogata est. *Cocyti stagna alta vides Stygiamque paludem, dii cuius iurare timent et fallere numen:* hoc intermittente interrogatione, sed melius fecit vates aliquid amplius referre, ut instructiorem redderet requirentem, nec cumulavit ex hoc brevitatem sermonis sui, sed brevitati consuluit; posset enim Aeneas quod in prima interrogatione praetermiserat quaerere in secunda, quod vitans Sibylla praevenit amputans moras quas potuit altera inquisitio facere. stagnum igitur illud Cocytos, inquit, habet nomen, palus vero quae ex superfusione aquae efficitur Styx appellatur, per

---

1 *habena* V. | *haberenam* V. 7 *sybilla* (ut plerumque) V. | *tripartita* ed. 9 *ipse animae* V ed. 11 *transmitterent eas* V *transmitterentur* ed. 12 *facta est* V. 13 *ne qua* V corr. ed. 14 *differre* V corr. ed. 17 *aliae* V *alia* ed. 18 *ad ea quae* V *ad eam partem quae* ed. 20 *hoc intermte interrogationem* V *hanc intermisit interrogationem* HO ed. *hoc intermittente interrogatione nos.* 21 *fecit* V *facit* HO ed. | *referre* V *referens* ed., sed cf. 2, 539. 9, 621. 26 *potuit* V *poterat* ed. 27 *cocytos* V *Cocyti* ed. 28 *istyx* V.

quam iurant dii plurimum eam metuentes, ne eius fallant numen. *haec omnis quam cernis inops inhumataque turba est:* ipsorum est turba quae procul repellitur qui sunt inhumati. *portitor ille Charon:* Charon dicitur qui portitoris sustinet curam. *hi quos vehit unda sepulti:* qui unda portantur et transeunt sepulti sunt. redit rursum insepultorum exitum dicere: *nec ripas datur horrendas et rauca fluenta transportare:* non licet inhumatis aquam istam transire. *prius quam sedibus ossa quierunt,* hoc est donec ossa ipsorum sepulchris condantur. *centum errant annos volitantque haec litora circum. tum demum admissi stagna exoptata revisunt:* tractat Vergilius inhumatorum corporum animas fluvium transire non posse, nisi prius sepulturam fuerint consecutae, et tantos illic annos errando ducere quantos sua corpora sine humationis honore iacuerint. quod idcirco praemisit poeta, quia Aenean dicturus est aliquos illic cognovisse de suis quos humare non potuit. *constitit Anchisa satus et vestigia pressit multa putans sortemque animo miseratus iniquam:* dolens eos quos iniqua haec condicio tenuisset constitit. *cernit ibi maestos et mortis honore carentis Leucaspim et Lyciae ductorem classis Orontem:* adsertioni huiusmodi non defuerunt probamenta; vidit quippe illic Leucaspim et Orontem quos noverat inhumatos. *quos simul a Troia ventosa per aequora vectos obruit auster aqua involvens navemque virosque:* hoc dictum duas tenuit causas, una est ut legentum revocaret in memoriam qui essent isti vel ubi aut quando aut qua vi interisse viderentur, altera ne esset Aeneae vitium, quod suos sepulturae non tradidisset. ipsi sunt, inquit, quos ab ipso separaverunt saeva naufragia perinde-

1 *plurimumque eam metuunt* ed. 3 *qui sunt* V *quum sint* ed. 6—7 *insepultorum exitum dicere* V *ad sepultorum exitum dicendum* sententia in contrarium deformata ed.: fortasse *rediit r. ut insep. e. diceret* (cf. 510) 14 *tantos* — 15 *quantos* V *tot* — *quot* ed. 14 *errando* V *errandos* ed. 21 *leucaspin* item in interpr. V in lemmate correxi, quia contra metrum. 26 *legentem* V *legenti* ed *legentum* nos, qua genetivi forma D. saepe utitur.

que humare non potuit quos cum ipsis navibus procella perdiderat: quod vitium purgatur nec Aenean aspergit, quia quos non habuit in praesenti sepelire non valuit, utpote quos ventorum procellae presserant et inmensi per diversa rapuerant fluctus.

*Ecce gubernator sese Palinurus agebat:* in hac causa etiam Palinurus positus apparebat, *qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat, exciderat puppi mediis ecfusus in undis:* ab huius quoque casu excusatur Aeneas, quoniam insepultum constabat esse etiam Palinurum; sic enim effusus est navi, cum esset ipse quoque Aeneas in pelago: quomodo igitur sepeliri potuit quem exceperat latitudo pelagi et in litorum ignota transvexerat? sic ergo ordinandus est sensus, ne fiat vitium, ut in undis effusus videatur (si enim ita esset, dici convenerat): ut sit exciderat puppi effusus, cum in undis esset hoc est navigaret. *hunc ubi* 340
*vix multa maestum cognovit in umbra, sic prior adloquitur:* tardius agnoscere amicum crimen est maximum, sed dedit huic excusationem magnarum tenebrarum, unde laudari potius debet, quia altis tenebris saeptum potuit agnoscere et angores eius contracti vultus consideratione metiri. non autem exprimeretur Aeneae dolor captus ex eo, si Palinurum induceret primo loquentem. *quis te, Palinure, deorum eripuit nobis medioque sub aequore mersit? dic age: namque mihi fallax haut ante repertus hoc uno responso animum delusit Apollo, qui fore te ponto incolumem* 345
*finisque canebat venturum Ausonios. en haec promissa fides est?* dic mihi, inquit, quis iste sit deus qui responsa Apollinis semper mihi fida in aliis fatis potuit superare; idem enim te Apollo Italiam mecum venturum cecinerat, ut decuit et munus. Apollo numquam de Palinuro ali-

---

4 *quostorum procellae praesserant* V. 8 *ecfusus* in lemmate *effusus* in interpr. V. 10 *sic* V *si* ed. 13 *transvexerant* V. 15 *sic* V *si* ed. | *dici convenerat* i. e. in undas, quod expectari D. putat cf. 5, 344, ubi similiter cum vitio opinato conflictatur. 19 *laudare* V. 31 *ut docuit et munus* V om. ed. *ut decuit et munus* H nos i. e. gubernatoris.

quid dixit, sed tacendo de eius adversis boni aliquid videtur promisisse. *ille autem:* ad haec ille respondens ait *neque te Phoebi cortina fefellit, dux Anchisiade, nec me:* mortis meae, inquit, casus responsis Apollinis non debet invidiae esse aut obtrectationi; neque enim te fefellerunt aut me. incipit exponere leti sui cursum: *deus,* inquit, *aequore mersit,* hoc est vis maior me oppressit et fluctibus tradidit, deus scilicet adversus. ecce respondit interrogationi qua dictum est quis te, Palinure, deorum eripuit nobis? subiungit res in suam perniciem gestas. *namque*
350 *gubernaclum multa vi forte revulsum, cui datus haerebam custos cursusque regebam, praecipitans traxi mecum:* hinc, ait, intellege quantam vim multum resistens pertulerim, quando cum ipso gubernaculo, cui tenaciter inhaerebam, praeceps datus sum et cum ipsius puppis parte. inimici sui non rettulit nomen, quia nesciit qui solum Phorbantem viderat. *maria aspera iuro non ullum pro me tantum cepisse timorem quam tua ne spoliata armis, excussa magistro deficeret tantis navis surgentibus undis:* ut dictis suis fides haberetur, iuravit per ipsa maria, aspera autem dixit, quasi ipsa causa mortis eius extitissent, cum ille fuisset qui illum praecipitem dedit, dehinc subiunxit in casibus suis nihil sibi fuisse curae nisi periculum ipsius Aeneae, ne perditis duobus subsidiis, hoc est gubernaculo
355 et gubernatore, etiam ipse periculis subderetur. *tris notus hibernas inmensa per aequora noctes vexit me violentus aqua, vix lumine quarto prospexi Italiam:* ventus, inquit, notus per longissima hibernarum noctium spatia me violentis fluctibus traxit, denique quarta die Italiam vidi. non ipse oculis suis Italiam vidit, utpote super undas, sed ipsum vidit, quo factum est ut quam cum

---

1 *beni* V. 3 *nec me* om. et ad sequens lemma transposuit ed. 7 *opraessit* V. 8 *deus scilicet adverso* V *deo scilicet adverso* ed. 11 *gubernaculum* V. 16 *numen* V corr. ed. 17 *non nullum* (contra interpr.) V corr. ed. 18 *coepisse* V. 21—22 *ille fuisset qui* V *illa fuissent quae* ed. 22 *dedit* V *dederant* ed. 23 *sibi* om. ed. 31 *vidit quo* V *vidit* om. *quod* scripsit ed.

Aenea videre cupiebat incolumis ipsa eum cerneret in fluctibus saevis exanimem. *summa sublimis ab unda paulatim adnabam terrae, iam tuta tenebam:* tunc, ait, vidi Italiam, cum me proximum terrae ferret unda sublimem et tuta tenere coepissem. *ni gens crudelis madida cum veste gravatum † prensantemque uncis manibus capita aspera montis ferro invasisset praedamque ignara putasset:* non defuerunt crudeles homines, qui arbitrati praedam se invenisse, quia vestibus et aqua gravatus fueram, uncis me manibus invaderent. uncae manus sunt quae in modum humanarum manuum ferro fabricantur aduncis velut digitis et in undas mittuntur, ut quod hominis manus non potest conprehendere ipsis teneat praedo atque ipsis adigat. capita aspera montis accipere possumus aspera saxorum, quae ex radicibus montium quasi cum quibusdam capitibus in mare producta tenduntur, iuxta quae, cum fluctibus portaretur, invasus est. *nunc me fluctus habet versantque in litore venti:* ut non plene videretur eiectus intra aquam, inquit nunc volvor, sic tamen ut terram litoris tangam. recte dixit crudelem gentem; de sepultura enim loquebatur, quam sibi dolebat non exhibitam; illi enim qui venerant, si humanitatem retinerent, non quaererent praedam de mortuo, sed sepulturam defuncto procurare debuerant. *quod te per caeli iucundum lumen et auras, per genitorem oro, [per spes surgentis Iuli]:* bene positum per caeli iucundum lumen, quoniam apud inferos loquebatur et Aeneae optabile fuit eo remeare, bene per

---

1 *videri* V corr. ed. | *ipsa eum* V *i. cura* ed. 3 *terrae* V *t. et* ed. 6 *prensantemque* V hoc Don. legisse non potest, quia Palinurum in undis perisse putat, *praesentemque* ed., sed inane est nec structurae difficultates tollit inepta Donati interpretatione excitatas, quare crucem apponere malui. 8 *arbitrati* V *-trarentur* ed. 9 *uncis* V *et u.* ed. 10 *uncae manibus* V corr. ed. 12 *dicitis* V. | *homini* V. 14 *addicat* V *adigat* ed. 17 *invasus* V *innixus* ed. | *habent* V. 22 *quaererent* V *-re* ed. 24 *per superos caeli* V *superos* del. ed. 25 *per spes — Iuli* deest in V, sed explicatur cf. 11, 22.

genitorem, cuius causa tantum laborem susceperat, per
fili spem, quem unicum habuit et propter quem quaerebat
365 Italiam. *eripe me his, invicte, malis:* multum valuit ad
inpetrandum, quod mala ipsa miserationis commendandae
causa demonstrabat. generalitas autem petitionis ipsius,
qua sibi provideri cupiebat, magnam rationem retinet:
prudenti enim loquebatur et ei qui conpetenter tractare
negotium posset et animi sui benignitatem conplere. haec
est igitur prima pars petitionis. quia in causa petendi
beneficii plurimum prodest, si postulans det viam praesta-
turo quam teneat, addidit *aut tu mihi terram inice
(namque potes),* quod ipsum ut ostenderet non esse diffi-
cile, subiecit *portusque require Velinos,* ne diceret Aeneas
nescio ubi funus tuum possit reperiri. ecce tertium ex
praesenti occasione adplicat et hoc suggerit dubitanter,
ne forte permittatur: *aut tu, si qua via est, si qua tibi
diva creatrix ostendit (neque enim credo sine numine divum
370 flumina tanta paras Stygiamque innare paludem), da dex-
tram misero et tecum me tolle per undas, sedibus ut saltem
placidis in morte quiescam.* aut tu inquit: tu quid pon-
deris habeat videamus: tu qui es meriti potioris, qui
genus ducis a superis, qui praestas ingenio et corporis
virtute cogitationes susceptas vales inplere. si qua via
est, consiliorum scilicet vel effectus. si qua tibi diva
creatrix ostendit; habes enim deam matrem, quae prae-
stitit ut tibi sit pronum quod aliis non licet. neque enim
credo sine numine divum flumina tanta paras Stygiamque
innare paludem: occasio praesentium dedit ei argumen-
tandi substantiam, quomodo tibi, inquit, dii praestiterunt

---

1 *per fili* — 2 *habuit* om. ed. 6 *magna rationem* V *magnam* ed. melius fortasse *generalitatem* — — *magna ratione r.* 8 *conpleri* V *conplecti* ed. 10 *praestituro* ed. 11 *addit* ed. 12 pro *namque potes* tria puncta V. 14 *posset* V ed. 15 *adplicit* V *adicit* ed. 16 *permittitur* V *-atur* nos *non concederetur* ed. | *si qua tibi* (item infra) V *si quam t.* ed. et Verg. libri fere omnes. 21 *sis* V *es* scripsi cum ed. 27 *astygiamque* V.

ut vivus ad inferos pergeres et hoc ipsum divino numine provenisse non potest dubitari, ita et hoc quod cupio potes inplere. dicit quid velit et quid commodi ex eo suis partibus possit accedere: da dextram misero. quid tam egregium, quid tam bono viro conveniens quam miseri hominis laborantem sublevare fortunam? et tecum me tolle per undas: nullus labor est, inquit, porrigendo remedio, bene faciendi occasio praesto est, tecum transeam, tecum ad ripas alias et loca desiderata perveniam. dicitur iam beneficii ipsius fructus et commodum: sedibus ut saltem placidis in morte quiescam, hoc est ut in morte saltem sedibus placidis quiescam qui in vita tutus esse non potui. ecce aperuit quid sit eripe me his, invicte, malis. *talia fatus erat, coepit cum talia vates:* cum talia Palinurus dixisset, vates ei hoc modo respondit. petierat enim inlicita quaeque essent contra inferorum leges, ut insepultus illam conscenderet navem quam non nisi sepultos fas erat congerere. ecce vates ei respondet, non Aeneas; ipsa enim noverat inferorum morem et Charonis iura. *unde haec, o Palinure, tibi tam dira cupido?* unde, ait, tibi exorta est istius cupido desiderii hoc est cupiditas? quotiens enim cupido feminino genere ponitur cupiditatem, non amoris deum significat. reddit ei rationem, ut sciat transitum suum infernis legibus prohiberi. *tu Stygias inhumatus aquas amnemque severum Eumenidum aspicies ripamve iniussus abibis?* unde, ait, fieri potest ut ulteriora videas loca qui te adseras inhumatum? aut qui fieri potest ut ex his locis iniussus abscedas? ne ultra speres aliquid fieri posse contra semel datas leges et sententiam deum! fata hic dixit iudicatum cuius firmitas moveri non posset: *desine fata deum flecti sperare precando:* ne ulterius speres sen-

2 *non potest dubitari* V *d. non debet* ed. 3 *dixit* V ed. 5 *homines* V. 8 *alias* — 9 *perveniam* temere mut. ed. 15 *enim hoc* V *ei h.* ed. | *quaequae* V. 17 *sepultus* V *-tos* ed. | *congere* V *conscendere* ed. 21 *cupidas* V. 22 *femine nocere* V *foemineo genere* ed. | *cupiditatis* ed. 28 *ne* V *nec* ed. 29 *sententias* ed. 30 *iudicatum cuius* V *quorum* ed.

tentiam superum semel dictam flecti aliquatenus posse. *sed cape dicta memor, duri solacia casus:* sed tene dicta mea et horum memor esto habiturus in adversis tuis solacium sempiternum. *nam tua finitimi longe lateque per*
380 *urbis prodigiis acti caelestibus ossa piabunt et statuent tumulum et tumulo sollemnia mittent aeternumque locus Palinuri nomen habebit:* melius ex persona vatis ei responsum est quae noverat universa quam ex persona Aeneae, ne quod non licebat videretur negasse voluntate .............................................. non licet quod frustra deprecaris, [sed habebis magnum] solacium quo releveris in adversis; omnes quippe eius loci homines ad quem funus tuum videtur esse delatum et multo longius positi deorum commonefacti responsis, cum exinde prodigia existere coeperint, et expiabunt ossa tua et sepulturae mandabunt ac nomine tuo locus ipse erectus in tumulum in aeternum vocabitur Palinurus. ecce solacium ac meritum Palinuri, cum diis auctoribus ossibus eius sepultura et celebritas nominis in aeternum mansura promittitur. *his dictis curae emotae pulsusque parumper corde dolor:* tantum veridicae vatis auctoritas et consolatio valuit, ut Palinurus suscepta oratione tali curam inflictam dudum relaxasset animo et dolorem quo agebatur cor remisisset. *tristi gaudet cognomine terrae:* gaudebat se tristem licet, tamen perpetuam memoriam sui nominis in illis regionibus habiturum.

*Ergo iter inceptum peragunt:* inceptum dixit destinatum atque dispositum. *fluvioque propinquant:* conpletis quae

---

3 *tuis* om. ed. 9 post *voluntate* spatium 45 fere litterarum vacat in V, quod explere non audeo, *sua* add. ed. sequitur *non licet — releveris* cum lacuna 15 fere litterarum in V, quam explevi. pro his verbis „habebis iucundissimum inquit solatium eorum quae tuleris" interpol. ed. 13 *esse* om. ed. | *dilatum* V corr. ed. 14 *communefacti* V corr. ed. 16 *rectus* V *erectus* ed. 21 *viri dicae* V *veridica* ed. 23 *agebatur* cf. v. 159 V *angebatur* ed. 23—24 *non remisisset* V *non* om. H ed. *cor r.* nos. 24 *tristi* hic habet V ad antecedens lemma falso retraxit ed.

ad solacium Palinuro sufficerent perrexerunt ad fluvium. *navita,* hoc est Charon, *quos iam inde ut Stygia prospexit* 385 *ab unda per tacitum nemus ire pedemque advertere ripae, sic prior adgreditur dictis atque increpat ultro.* quod ultro, quod adhuc venientis, quod adgressus, quod increpat dictum est, iam intellegendum est commoti futuram esse dictionem. *quisquis es armatus qui nostra ad flumina tendis, fare age quid venias, iam istinc et conprime gressum:* cum duo venirent, commotionem suam in eum direxit quem vidit armatum; noverat enim exempla violentiae quibus turbati sunt inferi. quis enim revera non moveretur, cum videret tacitos venire per occulta nemorum et propinquare iuvenem stricto mucrone? procul dubio quidem illum Charon timebat, interrogantis tamen haec vox est et magis suspecti quam iniuriosi, cum dicit fare age cur venias. sperat et iustas existere posse causas veniendi, licet eum terruerit aspectus armati. iam istinc et conprime gressum: interea, donec adventus tui causas edicas, defige gressus tuos nec progrediaris ulterius. *umbrarum hic locus est:* 390 an, inquit, ubi sis positus nescis? umbrarum quippe hic locus est. *somni noctisque soporae:* somnus hic superat et tenebrae noctis, quae sopora est hoc est abundans somno. *corpora viva nefas Stygia vectare carina:* ut autem vivos traiciam nefas est. *nec vero Alciden me sum laetatus euntem accepisse lacu nec Thesea Pirithoumque, diis quamquam geniti atque invicti viribus essent:* dat eorum exempla qui apud inferos inlicita commisissent sub ea occasione, quod deorum originem ducerent. *Tartareum ille manu custodem* 395

---

1 *Palinuri* ed. 5 *venientis* V *veniens* ed. 6 *dictionem* V *locutionem* ed. 8 *conpraeme* V. 10 *exempla* — 11 *inferi* V temere mut. ed. 12 *tacitus* V corr. ed. 13—14 *qđ* (= quod) *helimeon timebat* V *quidem illum Charon t.* nos *quidem Charon t.* ed. 14 *maius* V *magis* ed. 15 *cum* V *cur* nos *quid* ed.

17 *istinc conprime* V corr. ed. | *gressus*, sed in lemmate *gressum* V *gressus* ex sequentibus irrepsit. 18 *donec* V *dum* ed. | *edicas* V *dicas* ed. 18—19 *deficeres sus tuos* V corr. ed.

21 *superat* V *habitat* ed. 23 *vecta* V. 25 *perithoumque* V. | *divis* V *diis* (ut solet Don.) ed. 27 *commiserunt* ed.

*in vincla petivit:* una iniuria privare inferos proprio custode. *ipsius a solio regis,* hoc est ab ipsius regis sede sive penetralibus: ecce alia ipsius regis peior iniuria. *traxitque trementem:* tantum Herculi licuit, ut traheret trementem qui neminem timuit. trahebat, invitum ducebat, hoc est a limine Ditis. *hi dominam Ditis thalamo deducere adorti:* peius conati sunt isti, ut uxorem regis ex ipso cubiculo suo eripere niterentur cum iniuriae violentia. quot loca sunt in ista accusatione! vim facere uxori alienae, uxori regis et praesentis, ipsi quoque reginae, haec a persona; a loco vero: de ipso thalamo suo, quem nosse praeter maritum fas fuerat nulli; a facto: abstrahi quam honorifice etiam contingi non licuit. *quae contra breviter fata est Amphrysia vates:* idcirco breviter, quia non egent longo sermone quae iusta sunt. *nullae hic insidiae tales, absiste moveri, nec vim tela ferunt:* hoc est quod ait contra locuta est, id est contra ea quibus se ostendit Charon fuisse suspectum et contra illa quae senserat; putabat enim vim parari, quam fecerant alii. exorsa est igitur sic: nullae hic insidiae tales, scilicet qualis ille aliorum exemplis extitisse narraverat. nec vim tela ferunt: paucis securum reddidit Charonem, quod nullam portaret armatus violentiam; plerumque enim geritur ferrum, non ut inferatur, sed ut depellatur violentia. *licet ingens ianitor antro aeternum latrans exanguis terreat umbras, casta licet patrui servet Proserpina*

---

1 *una* V *magna* ed. 2 *sole orcis* pro *solio regis* V. 2—3 *se sua* V *sede sive* nos, om. HO ed. 3 *iniuria* V *natura* H ed. 5 post *invitum* sex fere litterarum spatium vacat in V *ducebat* inserui. 6 post *hoc est* sequitur *alii minā ditis* V *a limine Ditis* nos, om. HO edI, lacunae signum posuit edF. 7 *peius* V *potius* ed. 8 *cum iniuriae violentia* V *quam i. violentiam* ed. 9 *quod* V *quot* ed. 10 *praesentis* V *potentis* ed. 12 *quae nosse* V *quem n.* ed. | *fas fuerat nulli* V *nefas cuicunque fuerat* ed. 13 *contingi* V *tangi* ed. | *que contra* V *quem c.* ed. *quae c.* nos, firmatur interpretatione. 14 *facta* V. 17 *hoc est contra ea* ed. 21 *illae aliorum* V *ille illorum* ed. 22 *Charontem* ed.

*limen:* servet, inquit, Cerberus quod servat et umbras licet exanguis terreat, licet servet Proserpina matrimonium suum, ad curam nostram non pertinet. potuit iterum dici, quod superius Charon exegit, si haec non sunt, quae fuit causa veniendi? ipsa ultro ingerit quod interrogata potuit respondere. *Troius Aenéas pietate insignis et armis ad genitorem imas Erebi descendit ad umbras:* exposuit cur posuerit insignem pietate et armis: pietas fuit quod mortuum perrexit ad patrem nec umbras nec Cerberum timuit, fortitudinis autem, quia hoc ipsum inpleri sine virtutis adiumento non potuit et, si esset necesse, non deesset etiam industria dimicandi. ecce ad interrogata respondit et prosecuta est ea quae necessario Charoni fuerant intimanda. *si te nulla movet tantae pietatis imago, at ramum* 405 *hunc (aperit ramum, qui veste latebat) agnoscas:* si te non movet religiosi hominis factum, ramum istum agnosce, quem ferre non merentur nisi qui iure caelesti et divinis legibus ad inferos veniunt. ut autem citius commotum conpesceret, dum loquitur, sic ostendit et ramum, quem conditum sub vestibus habuit. *tumida ex ira tum corda residunt:* hoc facto atque his dictis sedatus Charon et omnem tumorem suae commotionis exposuit. *nec plura his:* post demonstrationem quippe rami nihil ulterius debuit. *ille admirans venerabile donum fatalis virgae longo post tempore visum caeruleam advertit puppim ripaeque* 410 *propinquat:* admiratus est, inquit, Charon et rami speciem et factum, quod infinitorum temporum fuerat desuetudine praetermissum, mox admovet ratem, ut traiceret properantis. *inde alias animas, quae per iuga longa sedebant, deturbat:* Aeneae causa ac Sibyllae omnis animas longius exclusit, ne his moram faceret qui cum tanto munere

---

9 *nec serum* V *nec inferos* ed. *nec Cerberum* nos. 10 *fortitudinis* V quare nescio an supra *pietatis* scribendum sit *fortitudo* ed. 13 *Charonti* ed. 19 *et ramum* V *et* om. ed. 20 *veste* ed. | *tumida* V *rabida* ed. 21 *adque* V. | *sedatus* V *s. est* ed. 22 *deposuit* ed. 23 *debuit* V *dixit* ed. 25 *avertit* ed. 30 *desturbat* sed infra *deturbare* V.

veniebant. deturbare est terroribus propellere ac removere. *laxatque foros:* oportunum ascensui navigium facit. *simul accipit alveo ingentem Aenean:* aut revera ingentem, quod magno esset corpore, aut ingentem propter capacitatem navis, quae fuit exigua, in tantum ut hanc non navem, sed alveum dixerit, utpote quae umbris inanibus, non vivis corporibus fuerat praeparata. denique secutum est *gemuit sub pondere cumba sutilis et multam accepit rimosa paludem.* pressa quippe insolito pondere et gemuit et per rimas recepit paludis limum. *tandem trans fluvium incolumis vatemque virumque informi limo glaucaque exponit in ulva:* tandem quod ait, aut mora fuit in transvectione, quia navis ultra solitum morem onerata tardius pervenit ad ulteriorem ripam, aut propter Aenean, qui properabat ad patrem.

*Cerberus haec ingens latratu regna trifauci personat adverso recubans inmanis in antro. cui vates horrere videns iam colla colubris melle soporatam et medicatis frugibus offam obicit:* cum latratu trium faucium omnis Cerberus inferorum regiones inpleret, latranti offam Sibylla proiecit, nec hanc simplicem, sed medicatam, hoc est diversis speciebus et arte confectam. hic poeta mel tantummodo specialiter posuit, reliqua noluit aperire, ne ad conficiendam speciem legentis instrueret. *ille fame rabida tria guttura pandens corripit obiectam atque inmania terga resolvit fusus humi totoque ingens extenditur antro:* ecce quantum potuit vis offae transvoratae ingluvie triplici, quae sic eum pressit, ut iaceret pro mortuo. *occupat Aeneas aditum custode sepulto evaditque celer ripam inremeabilis undae:* inremeabilem proprie posuit et vere; nam Aenean ipsum scripsit alio egressu luci et superis redditum. celerem dixit Aenean transisse sepulto custode,

1 *movere* ed. 2 *ascensui* V *ascensum ad* ed. 3 *accepit* V. 7 *fuerat praeparata* V *pr. esset* ed. 8 *subtilis* V. 9 *insolido* V. | *et gemuit* V *gemuit* ed. 21 *sed medicatam* V om. H edI *sed medicatis frugibus et melle* edF. 27 *vis saepe* V *vis offae* ed. 30 *inremeabilem* V *-le* ed.

vel quia occasio transeundi fuit temporalis et offae transvoratione digesta potuit Cerberus reddi statui suo vel quia festinabat ad patrem.

*Continuo auditae voces vagitus et ingens infantumque animae flentes in limine primo:* ubi celeri gressu, non inpediente Cerbero ripa transmissa est, mox ad auris Aeneae sonus lamentabilis venit et vagitus ingens et fletus infantium. *quos dulcis vitae exortis,* hoc est quos dulcis vita cito deseruit et fecit exortis id est extra sortem vivendi maiorem. *et ab ubere raptos abstulit atra dies et funere mersit acerbo:* ad augmentum miserationis addidit ab ubere raptos. quid enim durius quam extorqueri insontis matribus liberos suos et ab ipsis uberibus divelli, perire quoque inmatura morte et ante opprimi quam loqui potuissent? *hos iuxta falso damnati crimine mortis:* iuxta 430
hos fuerunt illi qui falsis criminum insimulationibus pressi sunt et traditi neci. *nec vero hae sine sorte datae, sine iudice sedes:* et tamen, inquit, haec loca sine iudice aut sorte non sunt. *quaesitor Minos urnam movet:* Minos illic et inquirendi habet potestatem et urnae agitandae licentiam, ut, si iudiciorum exitus etiam sortis arbitrium quaereret, non deesset urnae substantia. *ille silentum conciliumque vocat vitasque et crimina discit:* ille id est Minos silentum hoc est mortuorum et congregationem curat et investigat quemadmodum singuli duxerint vitam. *proxima deinde tenent maesti loca qui sibi letum insontes peperere* 435
*manu:* proxima loca hoc est a supra dictis non longe posita tenebant tristes qui, cum insontes essent, ipsi sibi intulerunt mortem, cum nullo crimine premerentur. dicitur causa facti; nihil enim fit nisi quod faciendi habeat necessitatem: *lucemque perosi proiecere animas:* ipsa fuit adpetendae mortis ratio, quia odio illis fuerat lux, laborum et aerumnarum causa. *quam vellent aethere in alto*

---

7 *inlamentabilis* V corr. ed. 8 *hoc est quod dulcis* V *h. e. quos d.* ed. 14 *quamquam* V *quam* ed. 17 *sortae date* V.
19 *minus* in lemmate, *minos* in interpr. V. 22 *desit* V *deesset* ed. | *consiliumquae* V *conciliumque* ed. favente interpr.

*nunc et pauperiem et duros perferre labores:* cum viverent et laborum taedia atque inopiae paterentur, aestimantes profuturum, si morerentur, vim sibi ipsi intulerunt, sed postea paenitebat eos facti et quaerebant lucem rursum videre, quam fuerant perosi, quam pati sedes infernas. sed *fas,* inquit, *obstat:* ne proveniret quod optabant obstabat lex quae de morte ac vita definita est. *tristique palus inamabilis unda adligat et noviens Styx interfusa coercet:* earum reditum animarum prohibebat lex, retinebat palus odiosa et claudebat Styx, quae eas omni ex parte noviens circumdederat.

440 *Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem lugentes campi, sic illos nomine dicunt:* non longe inde videbantur lugentes campi fusi in omnem partem, hoc est laevam, dexteram et quacumque oculi tendi potuissent. interea, quia poterat quaeri cur dicerentur lugentes, ultro ait sic eos appellari: non tamen nominis ipsius praestitit rationem. *hic quos durus amor crudeli tabe peredit:* hic id est in ipsis campis degebant quos vis amoris absumpserat. *secreti celant calles et myrtea circum silva tegit:* hos eosdem qui amoris violentia perierunt celabant viarum angustiae et arbores myrti. secretos calles aut in abdito constitutos aut separatos debemus accipere. *curae non ipsa in morte relinquunt:* tanta vis amoris in illis fuit, ut
445 nec in morte essent ab ipsa cura inmunes. *his Phaedram Procrinque locis maestamque Eriphylen crudelis nati monstrantem vulnera cernit, Euadnenque et Pasiphaen; his Laodamia it comes et iuvenis quondam, nunc femina Caeneus rursus et in veterem fato revoluta figuram:* in his locis fuerant istae quae iustis diversis causis et dispari
450 mortis genere perierunt. *inter quas Phoenissa recens a*

1 *duros* V *diros* ed. 2 *existimantes* ed. 5 *fuerant* V *maluerant* HO *maluissent* ed. *fuerant perosi* nos. 6 *fas inquit obstat* V *fata i. obstant* ed. 15 *quacumque* V *quoc.* ed. 16 *potuit* ed. 19 *idem* V *id est* ed. 21 *celabant* V *et c.* ed. 22 *ardito* V. 24 *relincunt* V. 26 *erypylen* V. 30 *iustes diversis causis* V *iustis* om. ed.

*vulnere Dido errabat silva in magna:* recens, quia non multo ante perierat, et aspera post recens vulnus; infra enim dicturus est poeta eam nec videre Aenean voluisse nec cum eo habere conloquium. *agnovitque per umbram obscuram:* cum dicit umbram obscuram, habuit aliquid luminis; hoc est enim obscurum quod ostendat aliquam lucem, sed et maxima parte mixtas habeat tenebras. *qualem primo qui surgere mense aut videt aut vidisse putat per nubila lunam:* sic parebat Dido in illa obscuritate quomodo incipiens luna nubilo caelo conspicitur tantum incerta, ut hanc visam non possit esse certissimum. *dimisit* 455
*lacrimas dulcique adfatus amore est:* mox ut eam vidit, dimisit lacrimas, hoc est non cogitavit flere. sed mox lacrimas fudit; ipse est enim dolor verus qui repentinos fletus non coactus excludit. institit igitur cum ea, quam vix agnoverat, loqui; hoc enim manentis in ipso adhuc amoris conpellebat adfectus. *infelix Dido, verus mihi nuntius ergo venerat extinctam ferroque extrema secutam:* dictio ista mira arte concepta est et pro personarum et causarum ratione conposita. Didonis fuit aspera propter recentem facti causam; nam non multo ante relicta est amans. huius rei si quis metiri dolores voluerit, attendat exitum mortis eius, qui non interveniret, si illa rupti amoris iniuriam tolerare potuisset. accedebat huc, quod acerbitas vulneris recens et aspectus eius qui tanti mali fuerat causa doloris ipsius saevitiam duplicabat. Aeneae vero persona depressa in omnibus, in qua tantus reatus extabat, ut ipse se agnosceret reum et de facto purgatione interposita fateretur. mutaverat enim fidem contra Di-

---

2 *multi* V corr. ed. 5 *obscuram* in lemmate bis V. 9 *parebat* V *apparebat* ed. 10 *tantum* V *tamen* ed. 11 *visam esse* ed. | *demisit* in lemmate *dimisit* in interpr. V: *dimisit* Don. legisse patet ex interpretatione, in qua *sed mox* vv. 468 et 476 spectat. 15 *institit* V *instituit* ed. 19 *mira arte* V *mire certe* ed. 20 *Didonis fuit* V *persona* interpos. ed. *Dido enim* O. 23 *si* V *nisi* ed. 27 *personam depraessa* V. 28 *de fato* superscripta *c* prima manu V.

donis meritum, quae illum vel humanitate confoverat vel amaverat ipsumque cum suis exceperat naufragos et egentis collegerat. incipit ergo sic: infelix Dido, ut ostenderet eius miserabilem casum se graviter ferre, ut lacrimis eius etiam verba congruerent, protestans oculis quantum dolorem sensibus ferret et voce indicans quod mentis interna vexabat. in hoc dicto non tantum animus dolentis expressus est verum etiam per extenuationem facti adiecta purgatio; nullus enim infelicem quemquam dicit nisi dolens nullusque infelix est nisi qui fataliter premitur. denique hoc vult adserere, illi quidem debitum fuisse genus mortis ratione et necessitate propriorum fatorum, sed hoc magis dolere, quod ipse huius leti causa putetur extitisse. verus mihi nuntius ergo venerat extinctam ferroque extrema secutam: feralis iste nuntius pervenerat, inquit, ad scientiam meam, quod doloribus tuis abscessus mei causa susceptis extremo remedio subvenisses, dolebam finem vitae tuae et genere ipso mortis vehementer agebar. *[funeris heu tibi causa fui:]* accedebat ad luctus animi mei quod sciebam tibi ob abscessum meum talem placuisse sententiam. purgationi ipsi, quae ab homine apud Didonem perfido proferebatur, miro genere adhibet firmamentum: *per sidera iuro, per superos et si qua fides tellure sub ima est:* quia testes animi sui, vel maxime apud inferos degens, habere non potuit, ad iusiurandum sese convertit, quo firmantur quae aliquibus documentis deficientibus probari non possunt. iuravit per sidera perque superos quo remeare cupiebat. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

1 *humanitatem confoderat* V corr. ed. 2 *naufragus* V *naufragis* (transpos.) ed. 14 *ergo* post *verus* transpos. H O ed. 17 *susceptus* V. 18 *agebar* V (cf. v. 382) *angebar* ed. 19 *funeris — fui* deest in V, sed explicatur. 20 *ob* om. ed. 20—21 *tale placuisse sententiam purgationis ipsi* V emendavi, temere mut. ed. 22 *miro* V *et m.* ed. 28 post *cupiebat* unius versus spatium vacat cum vestigiis scripturae et rasurae: propter *eademque loquebatur* versum 363 adscitum fuisse suspicor sic fere: a Palinuro didicerat quod sic iurare etc. cf. 697.

apud inferos posset, quoniam illic degebat eademque loquebatur. si qua fides, inquit, quoniam nesciebat quod genus iurisiurandi apud inferos haberetur, posuit generalem iurationem dicens iuro per fidem, si qua in his locis aut colitur aut timetur. *invitus, regina, tuo de litore cessi:* non te, inquit, fugi, sed potiorum iussionibus cessi. quod ait tuo de litore, hoc vult intellegi, ut relictis litoribus Carthaginis ipsa tamen Dido animis Aeneae teneretur infixa. *sed me iussa deum, quae nunc has ire per umbras, per loca senta situ cogunt noctemque profundam imperiis egere suis, nec credere quivi hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem:* quoniam poterat fides etiam iuranti non haberi, vel maxime ei qui apud superos perfidus extitisset, sumptum a loco et tempore rapuit argumentum, quo ostenderet se conpulsum deorum iussis Carthaginem reliquisse. ut scias, inquit, me maiore vi tuis terris exclusum, ex praesentibus proba; non enim ad has tenebras et loca horrenda libens aut voluntate descendi, ipsi sunt auctores laboris istius qui fuerunt dudum, cum invitus abstraherer a sedibus tuis, quod cum fieret, aestimare non potui ad haec te esse venturam abscessus mei causa. intellegitur hoc Aenean additurum fuisse: contempsissem omnia et remansissem, si praescissem hunc te habituram exitum vitae, non quia vere contemnere potuit deorum iussa, sed ut mendacio verisimili placaret eam quam sic laeserat, ut vitae suae cursum gladio praecidisset. ecce usus est arte, ut quod negare non poterat fateretur ultro et iusta defensione purgaret. quantum autem odium etiam mortua retineret ex eo non obscure, sed evidenter ostendit, cum sese proripuit tacitam nec expectavit verborum finem nec aliquid ipsa respondit. Aeneas tamen cum videret abeuntem, relicto quod dicebat, ut ostenderet se teneri desiderio eius, *siste,* inquit, *gradum teque aspectu ne subtrahe*

---

1 *decebat* V corr. ed. 2 *q̃m* (= quoniam) V *quia* ed. 16 *me maiorem vituis* V. 17 *proba* V *probamus* ed. 20 *existimare* ed. 23 *praescivissem* ed. 26 *praedisset* V corr. ed. 32 *relicto* V *reliquit* ed.

*nostro;* quid enim melius amanti provenire apud inferos potuit quam videre eam aut fabulas conferre cum ea? quas quia Dido diruperat abeundo, hac eam Aeneas voce prosecutus est: *quem,* inquit, *fugis? extremum fato; quod te adloquor hoc est.* vere, ait, extremo sum fato cui te desideratam denegas et inopinatam tui subtrahis facultatem; verba sola sunt quae tecum conserere cupio: satis erit animo meo, si vel fabulas tecum plene commisceam. *talibus Aeneas ardentem et torva tuentem lenibat dictis animum lacrimasque ciebat:* cum Aeneas miserabilia dictu effunderet, lacrimarum plurimarum augmenta non deerant; nam Didonis abscessus eas magis magisque commovebat. *illa solo fixos oculos aversa tenebat nec magis incepto vultum sermone movetur, quam si dura silex aut stet Marpesia cautes:* Aeneas quidem dolenda loquebatur et fletus uberes mittebat ex oculis, sed Dido aversa facie stabat in modum lapidis aut cautis Marpesiae, quae est saxis ceteris durior. ne autem videret flentem aut verba loquentis audiret, sic averterat faciem, ut solam respiceret terram, nec movebatur incepto, hoc est ab instituto et dispositione animi sui non divellebatur. haec fecit, antequam irata discederet, et sic fugit invisum. *tandem corripuit sese atque inimica refugit:* augmentum irae suae Aenean refugiendo testata est et ut fuerat inimica ita discessit. dicitur ad quem locum: *in nemus,* inquit, *umbriferum, coniunx ubi pristinus illi respondet curis aequatque Sychaeus amorem:* melius illi visum est relinquere eum quem odio habuit et ad Sychaeum tendere, qui unum cum ea animum gereret vel gessisset et qui amore mutuo et consimili teneretur. *nec minus Aeneas casu percussus iniquo prosequitur lacrimis longe et miseratus euntem est:* admodum dolebat Aeneas

4 lemma secundum interpret. distinxi. 7 *conserere* V *contrahere* ed. 8 *plenae* V. 9 *lenebat* V. | *anim* V. 10 *ciabat* V. 12 *eos* ed. 13 *fixo* V. | *vultus* ed. 15 *dolendo* ed. 20 *ab* om. ed. 23 *suae/////Aeneas* cum ras. quinque fere litterarum *Aeneam* ed. fortasse *contra Aenean?* 30 *lacrimis* V *-mans* ed. 31 *miseratus euntem* ÷ (i. e. *est*) V ed. *miseratur euntem* Verg. libri.

desertum se ab ipsa atque contemptum et, licet sciret eam iuste commotam, tamen recedentem prosequebatur gemitu ac verbis et quantum poterat intuebatur oculis et videret ulterius, si non eam arbores nemorum atque umbrae texissent.

*Inde datum molitur iter:* his gestis coepit ire quo dudum intenderat. *iamque arva tenebant ultima [quae bello clari secreta frequentant]:* illa dixit quae fuerant satis ulteriora, scilicet usus gradu superlativo, haec separatim fuerant deputata his qui magni inveniebantur fuisse in exercitatione bellorum. *hic illi occurrit Tydeus, hic inclitus armis Parthenopaeus et Adrasti pallentis imago:* hoc specialiter posuit addens *hic multum fleti ad superos:* pro merito scilicet virtutis suae magnum vivis reliquerant luctum, cum adversantibus fatis pro patria cecidissent. *belloque caduci Dardanidae:* a speciali enumeratione singulorum transiit ad generalitatem, ut plurimos illic Troianos esse memoraret. *quos ille omnis longo ordine cernens ingemuit, Glaucumque Medontaque Thersilochumque, tris Antenoridas Cererique sacrum Polyboeten Idaeumque etiam currus, etiam arma tenentem:* ingemuit ad omnis pertinet; non enim solum doluit Glaucum, cum omnis quorum nomina conplexus est habuisset aequalis. Cereri sacrum Polyboeten dixit, ut ostenderet numina cultores suos in causa mortis iuvare non posse; nam perierat qui Cereri fuerat consecratus. Idaeum vero talem vidit qualis fuerat in vita; is enim duo simul officia sustinens tenebat arma, regebat et currum, quorum studium apud superos habuit. *circumstant animae dextra laevaque frequentes:* ab utroque latere circumstabant animae maximi numeri. *nec vidisse semel satis est:* tanti meriti fuerunt quorum animae obtutibus

---

1 *et* — 2 *commotam* om. ed. 6 *his* — 7 *intenderat* ante *inde* transpos. ed. 7 *quae* — 8 *frequentant* deest in V, sed explicatur. 8 *illa* V *ultima* edF. 13 *hoc* V ed. *hos*? 15 *patri accidissent* V corr. ed. 16 *speciali* V *a sp.* corr. ed. 22 *solo* V *solum* nos *propter* add. ed. 26 *his* V *is* corr. ed. 27 *simul* om. ed. 28 *quorum* post *currum* inserui *quarum rerum* ed.

Aeneae offerebantur, ut eas semel vidisse non sufficeret, tantus fuit dolor, tantum videndi desiderium. *iuvat usque morari:* in infernis tenebris et squalore delectabat aliquas moras innectere. *et conferre gradum:* ex utraque parte unum desiderium fuit videndi, deambulandi et confabulandi; erat tamen aliquid amplius quod animae nosse cupiebant: *et veniendi discere causas,* ut diceret Aeneas quae eum causae ad inferna duxissent. interea quod ait hic multum fleti ad superos, de omnibus videtur dixisse quos nominatim vel sub generalitate conplexus est. *at*
490 *Danaum proceres Agamemnoniaeque phalanges, ut videre virum fulgentiaque arma per umbras, ingenti trepidare metu:* dixit plurimos Troianorum illic fuisse quos Troia perdidit in excidio suo ............... esset quippe crimen maximum victi, si de hostibus caesis poeta tacuisset. hos non tantum non praeteriit verum etiam prope omnis interisse testatus est addens dignitates et inaestimabilem significans numerum: Danaum, inquit, proceres, id est non tantum honore verum etiam exercitatione bellandi potiores, Agamemnoniaeque phalanges, exercitus quoque Agamemnonis, ut sic Graeci apud inferos viderentur, quasi omnis illo Achaia migrasset. principum Graeciae et Agamemnonii exercitus fecisse commemorationem cum laude nonnulla gloria est. hi igitur, ut viderunt virum non contemnendum et eum quem bene noverant et qui de fiducia fortitudinis ad inferos tetendisset, non mediocriter sunt territi. unde intellegebatur quod metuerent? quia, cum hominem atque eius vidissent arma ipsiusque qui tenebat fulgentia [accessum], *pars vertere terga, ceu quondam*

---

3 *internis* V corr. ed. | *squaloribus* ed. | *delectabatur* ed. 7 *et* om. V add. ed. 9 *hii* pro *hic* V. 14 post *suo* lacunam signavi, *dicit et Graecos* vel simile aliquid excidisse patet. 17 *inexistimabilem* ed. 21 *ut si* V edI *ut sic* nos *ut ipsi* edF. | *omnis* — 22 *migrasset* inepte mut. ed. 22 *achamenonii* V *Agamemnonis* ed. 23 *fecit* V ed. *fecisse* nos *quia fecit* ed. post. 27 *metueretur* edF$^{I}$. 28 *ipsius quoque* V ed. *ipsiusque qui* nos. | *tenebant* V *tenebat* nos *timebant* ed. 29 *fulgentia* V *accessum* addidi *fulgorem* ed.

*petiere rates, pars tollere vocem exiguam, inceptus clamor frustratur hiantis:* fugiebant sicut in Troia fecerunt, cum ad navis concurrerent salutis desperatione conpulsi, alii vero volebant clamorem tollere, cum non esset clamandi substantia, denique in ipso conatu deficiebant dantes non vocem, sed exiguum sonum. descriptio Graecorum non inaniter posita est, primo omnium ut ostenderetur quot milia etiam ex ipsis cecidisse viderentur, nulla quippe victoria est sine calamitate victoris; denique apparebat mansisse cum ipsis metum quem apud superos habuerunt cum expugnaretur Troia. meminerat enim poeta se dixisse (2, 399) „diffugiunt alii ad navis et litora cursu fida petunt, pars ingentem formidine turpi scandunt rursus equum et nota conduntur in alvo". ubique firmat Vergilius diis adversantibus, non virtute Graecorum superatum esse imperium Troiae, denique et hic timidos et fugacis Graecos adsignat, quibus usque adeo metus statum mentis praeripuerat, ut crederent Aenean idcirco apud inferos armatum incedere, ut Graecos etiam mortuos insequeretur. fugiebant, inquit, alii, alii mittebant exiguam vocem et, cum vellent aliquid dicere, in ipso vocis defectu patenti ore remanebant non sequente vocis officio. Troianos ergo laudavit et ostendit timidos Graecos perindeque inbellis; nullus enim hostem nisi inbellis fugit.

*Atque hic Priamiden laniatum corpore toto Deiphobum* 495
*vidit lacerum crudeliter ora, ora manusque ambas populataque tempera raptis auribus et truncas inhonesto vulnere nares. vix adeo agnovit pavitantem et dira tegentem supplicia et notis conpellat vocibus ultro:* tanta in Deiphobo detrimentorum corporis deformitas fuit, ut hunc civis notus, ad-

---

6 *rei* V (ex *set* archetypi?) *sed* corr. ed. 8 *etiam* om. ed. 12 *dii fugiunt almae* V. 14 *alio* pro *alvo* V. 17 *metus* V *timor* ed. 19 *incidere* V corr. ed. 22 *sequenti* V. | *troianis* V corr. ed. | *ergo* om. ed. 25 *priamidem* V ed., at 3, 295 in interpr. *-den.* 26 *crudeliter* — 29 *ultro* om. ed. post. 29 *inde* cum sex fere litterarum spatio V *in Deiphobo* scripsi, om. ed. 30 *afinis* V *et affinis* ed.

finis vix agnoscere potuisset, abscisis quippe auribus fuit, naribus obtruncatis. itaque ut Aenean vidit, erubuit, voluit denique foeditatem suam toto corpore sparsam tegere nec tamen potuit, quia deerant manus quae hoc procurare potuissent. intellegi tamen potest quid sit quod ait tegentem; aut enim totum se subtrahere conatus est aut totum avertere; hoc enim genere potuerunt vitia eius non videri. sed cum ante esset agnitus Aenea praevidente, paranti fraudem argumento vocis occurrit haec ingerens
500 prior: *Deiphobe armipotens, [genus alto a sanguine Teucri].* principia ista non tam interrogantis sunt, sed potius admirantis et dolentis, denique sequitur *quis tam crudelis optavit sumere poenas? cui tantum de te licuit?* cum te, inquit, in vita sciam fuisse in armis potentem et praestantem genere atque inter Troianos fortissimum, primum miror quis iste sit qui te extitit fortior tantamque exerendarum poenarum habuit potestatem. quia malorum inspectio evidens fuit, non quaesiit quid factum esset, sed facti ipsius nosse cupiit auctorem. admiratio ipsa multiformis fuit: primo cogitari potuisse tot adversa vel talia, cum vir fortis sibi potuisset adsistere, dehinc ausus inpleri, tertio usque ad totius corporis supplicia perveniri. *mihi fama suprema nocte tulit:* rettulit mihi, inquit, fama, cum suprema nox ageretur, qua Ilium concidit, *fessum vasta te caede Pelasgum procubuisse super confusae stragis acervum:* dixit laudem ipsius adserendo eum certaminis labore et caedibus fessum super acervos hostium procubuisse, non dixit occisum cecidisse, sed quasi procubuisse lassatum.

---

1 *vix* V om. ed. | *potuisset* V *non p.* ed. 1—2 *auribus fuit obtruncatis inquit ut* V *naribus* inserui *itaque* pro *inquit* scripsi, alia temptavit ed. 2 *erupuit* V. 3 *tegere* om. V add. ed. 7 *enim* V edI *in* edF. 9 *argumentum* V ed. *-to* emendavi, ne *haec ingerens prior* penderet. 10 *genus — Teucri* deest in V, sed explicatur. 11 *tam* V *iam* ed. 14 *invitam* V *in vita* ed. 16 *exerendarum* V *exhib-* ed. 20 *cogitare* V *-ri* nos, temere mut. ed. 21 *adsistere* V *res-* ed. | *ausus inpleri* V temere mut. ed. 22 *perveniri* V *provenire* ed. 26 *adserenda cum* V *-do eum* ed.

*tunc egomet tumulum Rhoeteo in litore inanem constitui [et* 505 *magna manis ter voce vocavi]:* erexi, inquit, honoris tui causa tumulum sine funere, quia confusus fuisti corporibus hostium. nec inquisitus reperiri potueras, nomen tamen tuum vocavi sollemniter. ecce amici animus: ego, inquit, per me suprema tua conplevi, non aliis facienda commisi. solent enim non rectius peragi quae curanda mandantur. *nomen et arma locum servant:* signatus est locus ipse nomine tuo et arma illic cum tui vocabuli appellatione decorata sunt, ut qui eadem viderit arbitretur tui quoque funeris illic ossa recondita. *te, amice, nequivi conspicere et patria decedens ponere terra:* feci, ait, non quod volui, sed quod potui; optavi enim te reperire et in solo patrio tuas reliquias condere, quod quia non provenit, invenit remedium dolor, ne memoria tua inhonorata remaneret. *ad quae Priamides:* intellegitur respondit. *nihil o tibi, amice, relictum, omnia Deiphobo solvisti et funeris* 510 *umbris:* hoc est plene gratias agere, ut, quod Aeneas adseruit minus factum iuxta illius exequias propterea, quia corpus eius inveniri non potuit, Deiphobus diceret satis abundare quod factum est. primo quaesiit Aeneas quis auctor fuisset deformitatis eius, dehinc rettulit se constituisse ei sepulchrum honoris causa, sed ille, cum responderet, quoniam supremae honorificentiae potior fuerat causa, huic primo respondit, ut ostenderet se gratias agere beneficii eius, deinde rediit, ut referret quis poenarum indictarum toto corpore auctor videretur extitisse vel quo

---

1 *et* — 2 *vocavi* deest in V, sed explicatur. 6 *per me* V *pro me* ed. 7 *enim* V *res* ed. | *curandam audiantur* V asterisco signavit edF$^{I}$ temere mut. ed. post. *curanda mandantur* recte Hoppius p. $10^{32}$. 10 *viderint arbitrentur* ed. 13 *repperiri* V corr. ed. 14—15 *invenire medium dolor* V *invenit remedium d.* nos *inveni r. doloris* ed. 15 *nec* V *ne* ed. 16 *atque* V *a. hic* ed. *ad quae* nos. 18 *gratiae* V corr. ed. 19 *minus* V *munus* ed. 20 *invenire* V ed. *-ri* nos. 25 *ostendere* V *ostendens* edF *ut ostenderet* nos (cf. 327). | *beneficiis* edF. 26 *reficeret* V *referret* corr. edF. 26—27 *indicia toto* V *in toto* ed. *indictarum toto* nos (cf. 8, 8).

ordine fuisset tanta perpessus. incipit ergo seriem referre gestorum: *sed me fata mea et scelus exitiale Lacaenae his mersere malis, illa haec monumenta reliquit:* duo, inquit, detestanda in unum convenerant, tempus et fatum satis adversum. his accesserat uxor pessima: quod ait Lacaenae, illic constituit omnem vituperationem. est enim et in nominibus probrosa significatio. si enim Sinonem vel Ulixen dixeris, mox mendacem hominem vel factiosum ostendes, si a gentibus vel locis vel parentibus tradere volueris nomen, mox dabis intellectum bonusne quisquam an malus videatur, a gentibus, ut est (2, 3) „infandum, regina, iubes renovare dolorem, Troianas ut opes et lamentabile regnum eruerint Danai", a locis (2, 122) „hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu", a parentibus (3, 247) „bellum etiam pro caede boum stratisque iuvencis, Laomedontiadae". haec et in laudibus observanda sunt, a regionibus, ut est (3, 1) „postquam res Asiae", a locis (7, 195) „dicite, Dardanidae", hoc est nati in Dardania, a parentibus (6, 125) „sate sanguine divum". ita est ergo et Lacaenae, quasi omnes quae inde oriuntur tales sint, ut decipiant maritos et fallant. expletis principiis, in quorum brevitate et personam expressit et causam, incipit malorum ipsorum praestare rationem. dicturus igitur quod dormiens deceptus sit praetendit excusationem, ne viro forti illo vel maxime tempore criminosum esset sic dormisse, ut suppliciis innumeris oportunum se faceret. hic ergo loci, temporis et personae ratione servata tuetur partis suas et uxoris gravat. *namque ut supremam falsa inter gaudia noctem egerimus nosti et nimium meminisse necesse est:* fecit noctis commemorationem et adiecit signa eius, ut apertius Aeneas agnosceret de qua nocte ille lo-

---

6 *etenim* V *est enim* nos *ea e.* HO ed. 7 *omnibus* V ed. *nominibus* nos. | *sinon* V corr. ed. 9 *ostendis* ed. | *velocis* V *vel locis* ed. 10 *numen* V corr. ed. 11 *ut est* V *ut* om. edF. 12 *lamentabilem* V. 13 *eruerent* V. 16 *et in* V *in* om. ed. 24 *deceptus sit* V *d. fuit* ed. 26 *ut* om. V add. ed. | *se* om. V add. ed.

queretur. supremam dixit, quia ipsa conclusit exitium
Troiae et Iliensis imperii. addidit aliud: cum gauderent,
inquit, omnes et ego cum omnibus, quo tempore inter
gaudia nihil speraretur adversi. rediit ad signa: *cum fa-* 515
*talis equus saltu super ardua venit Pergama et armatum
peditem gravis attulit alvo:* ecce significat tempus, memi-
nisti, inquit, noctis illius, quoniam mala in oblivionem
venire non possunt, tunc cum equus ille ultimum nobis
et patriae interitum ferret et nostras duceretur in portas
ac nobis nihil adversi suspicantibus inimica gratulatio esset.
*illa chorum simulans,* hoc est communem se nobiscum
gratulationem habere confingens, *euhantis orgia circum
ducebat Phrygias, flammam media ipsa tenebat ingentem
et summa Danaos ex arce vocabat:* ad pulchritudinem
mulieres Phrygias et ludum fingere . . . . . . . . . . Graecis
e summo facem quam tenebat † ardentem. nec supra
nomen eius propter odium nimium dixit neque hic eam
nominavit, ut Helenam diceret, sed dixit illa, dixit La-
caenae. *tum me confectum curis somnoque gravatum in-* 520
*felix habuit thalamus pressitque iacentem dulcis et alta
quies placidaeque simillima morti:* cum me, inquit, cura
et fatigatio corporis tempusque duxisset in somnum, age-
bam in cubiculo meo et infelix thalamus tenebat dormien-
tem. bene infelicem thalamum dixit, quo malo fato talem
induxerat uxorem vel in quo tot supplicia pertulit. haec
facta sunt, inquit, cum me alta quies tenuisset et iacerem
pro mortuo. gravius dormire cogitationibus fractos et aesti-

4 *sperabatur* ed. 7 *oblivione* V corr. ed. 8 *nobis* V *mihi* edF. 12 *euantes* ed. 13 *ingentem* V ed.: Heyne-Wagner (ex interpretatione) Donatum *ardentem* legere ait, sed vide quod infra adnotavi. 15 *mulieris* ed. | *frigias* V *Phrygias dicit* ed. | post *fingere* decem fere litterarum spatium vacat in V fortasse sic explendum: *eam dixit ut.* | *graecis* V *Graecis vocatis* ed. 16 *e summo* V *e s. arcis* ed. | *facem* V *face* ed. | *tenebat* V *ipsa t.* ed. | *ardentem* V ed. in *ostenderet* emendandum puto, sed crucem apponere malui. 18 *lacenae* V *-na* ed. 22 *agebam* V *iacebam* ed. 24 *quo* V *quum* ed. 25 *induxerat* V *duxisset* ed. 27 *dormire* V *-rem* ed. | *fractus* V ed. *-tos* nos.

bus animi fatigati etiam Sallustius dicit (Iug. 71, 2): „uti animum, inquit, aegrum solet, somnus cepit“. haec adseruit Deiphobus quae non fuerunt criminosa viro forti; quid enim metueret quo tempore publica laetitia fuit? cur non dormiret, cum nox quietem suaderet? quid formidinis gereret constitutus in cubiculo suo? excusavit ergo plenissime se et ab omni reprehensione discrevit, quod alto sopore dormierat. temporis scilicet et loci commemoratione decursa venit ecce ut ostendat prorsus nihil se metuere debuisse. *egregia interea coniunx:* nec hoc loco dixit nomen eius, sed, quod est gravius, matrimonii vocabulum posuit sanctum et religiosum et quod inviolatum deberet existere nec ademit ei quod fuerat, ut eo detestabilior teneatur, quod coniugii foedera sic dirupit ac prodidit. egregia interea coniunx: cum dicit egregiam, sequentia probant non laudis, sed vituperationis causa positum; potuit enim et laudem. *arma omnia tectis emovet et fidum capiti subduxerat ensem:* in sceleribus erudita primo, inquit, omnia mihi arma subtraxit et ipsum ensem, in quo habere potui ultionem fidam salutis meae, hoc consilio, ut, si insidias sensissem, subsidium mihi defen-
525 sionis non suppeteret. *intra tecta vocat Menelaum et limina pandit, scilicet id magnum sperans fore munus amanti et famam extingui veterum sic posse malorum:* coniunx dixit et non dixit mea perindeque multorum; fuit enim Menelai, dehinc Paridis et tunc Deiphobi, quae nec ipsum carum habuisset cui primo fuerat iuncta quaeque nesciret uxoris adfectum. hostem communem omnium et specialiter meum in exarmatum cubiculum misit velut satisfactura ei pro veteribus sceleribus suis, cui primo mutaverat fidem, et suppliciis meis pensatura quae detestanda commiserat,

---

1 *fatigati* V *-tus* ed. 2 *coepit* ed. 4 *quo tempore* V *eo t. quo* ed. 6 *cubiculo* V *cubili* ed. 14 *dirupit* V *diripuit* ed. 17 *laudem* V *l. significare* ed., sed talia Don. non raro audit. 18 *erudit* V corr. ed. 20 *potuit* V corr. ed. 24—25 *coniunx dixit inquit* V *c. inquit* ed. *c. dixit* nos. 29 *exarmatum* V *execratum* ed.

quasi violata matrimonii sanctitas emendationem ullam posset admittere. fertur enim cum consensu proprio per imaginarium raptum eam cum Paride ad Troiam pervenisse. denique fit huius rei et in primo libro (647) commemoratio hoc modo „munera praeterea Iliacis erepta ruinis ferre iubet, pallam signis auroque rigentem et circumtextum croceo velamen acantho, ornatus Argivae Helenae, quos illa Mycenis, Pergama cum peteret inconcessosque hymenaeos, extulerat, matris Ledae mirabile donum“, quae utique non ferret, nisi dispositum habuisset abscessum. quod ipsum etiam sic Vergilius monstrat: Pergama, inquit, cum peteret inconcessosque hymenaeos; peteret dixit, non ut per raptum abstractam, sed ut consensu proprio iunctam esse monstraret. peteret bis accipiendum est, licet semel positum videatur. ipso verbo Sallustius usus est, cum diceret (Cat. 25, 3) „libido accensa sic, ut saepius peteret viros quam peteretur“. hoc genere et hic intellegendum est Pergama cum peteret inconcessosque hymenaeos peteret, ut sine aliqua violentia ad Paridem vel ad Troiam venisse noscatur. hoc enim vult firmare Vergilius ex persona Deiphobi, nullam fidem illam servare tertio marito potuisse, quia nec primo eam valuit exhibere, ut probaret quod supra dixit egregia interea coniunx, quoniam consueverat maritos fallere et fallendo decipere. *quid moror? inrumpunt thalamo,* hoc est cum violentia inruunt, ceterum si vis non esset, ingrediuntur fuerat dicendum. intellegendum est etiam ipsam cum ipsis fuisse, quoniam nesciebant ubi Deiphobus requiesceret ac sola uxor poterat nosse. *comes additur una hortator scelerum Aeolides:* uxor pessima et maritus pro-

---

1 *ullam* V *illam* ed. 6 *palam* V. 11 *abscessum* V *discessum* ed. | *etiam* V *et* ed. 12 *inconcessos* V corr. ed. 22 *servaret* V *servare* ed. an *servare et*? 24 *maritos* V *-tum* ed. 25 *moror cum inrumpunt* V *cum* ex interpr. irrepsit librario ad *cum violentia inruunt* aberrante. | *talamo* sequenti lemmati praefixit V huc revocavit ed., ubi etiam interpretatione postulari videtur. 26 *inruunt* V *irrumpunt* ed.

prias iniurias gemens, Aeolides auctor malorum et hortator scelerum in unum, inquit, convenerant in perniciem meam.
530 *dii, talia Grais instaurate, pio si poenas ore reposco:* pulchram fecit apostropham et multa continentem. soli, ait, dii potestis esse huius sceleris vindices quo innocens perii, qui talia rependatis Grais qualia in meam exercuerunt perniciem, quoniam deteriora deficiunt quae in adversarios meos debeam postulare. Graecos generaliter maledicto suo collegit, non quo omnes ipsi mala intulissent, sed ut genus ipsum penitus interiret, unde talis uxor et tales inimici, tam saevi, tam crudeles viderentur exorti. invasisse in cubiculum rettulit et praetermisit quae consecuta sint, vel quia in promptu supplicia fuerant quae illis saevientibus pertulit vel quia malorum ipsorum relationes horrebat. quippe melius fuit praeterire superflua quam referre dura et quae offerebantur aspectibus. potest tamen quae poeta non conplexus est verbis videri demonstrasse Deiphobum, cum diceret dii, talia Grais instaurate, utique talia quae sibi inlata monstrabat. ecce respondit propositis, dixit quod quaesivit Aeneas, qui esset poenarum auctor, quid autem factum esset, quoniam aspectibus suberat, dictum non est. *sed te qui vivum casus age fare vicissim attulerint: pelagine venis erroribus actus an monitu divum? an quia te fortuna fatigat? ut tristis sine sole domus, loca turbida adires?* audisti, inquit, casus meos: etiam ipse vicissim refer casusne te ad inferos vivum miserint an dii conpulerint adire tenebras an fortuna hoc etiam tibi laboris inpegerit, ut loca tristia et sole carentia penetrares et quae nihil aliud praeter caligines habeant. quaesiit ista Deiphobus, sed Aeneae responsionem optimo con-

---

7 *quoniam* — 8 *postulare* om. ed. | *definiunt qua* V *deficiunt quae* nos. 9 *non quod* ed. 11 *tamque crudeles* ed. 13 *fuerant* V *-rint* ed. 18 *deifobum* V cf. 9, 195. 12, 952 recepit etiam ed. 20 *propositus* V corr. ed. 22 *non esset* V corr. ed. 23 *monitum* V. 24 *quc u* expuncta V ergo *qc* = *quia*, quod Aelius Donatus legit, confirmatur interpretatione. | *domus* ut 231 V. 29 *caliginis* V corr. ed.

silio poeta praeteriit, ne rebus propter quas ventum fuerat mora prolixior fieret vel ne repeterentur ea quae superius dicta sunt. sed nec Aenean fecit negasse responsum; intervenit enim interdictio Sibyllae, quae, cum videret diem labi, fabulas omnis et moras abscidit; tamen dat illi humanitatis partis iustas, ne amicos a conloquio prohibere sponte videretur. non enim frustra est quod posuit *hac vice sermonum roseis aurora quadrigis iam medium* 535 *aetherio cursu traiecerat axem:* dum vicissim, inquit, fabulas conserunt, iam exactus fuerat medius dies. *et fors omne datum traherent per talia tempus:* sic libenter verba miscebant, ut dies illis non sufficeret. *sed comes admonuit breviterque adfata Sibylla est:* Sibylla quae ad hoc Aeneae fuerat iuncta, ut in omnibus instrueret ignorantem, commonuit breviter fabularum prolixis tractatibus occupatum intellegens totum diem in iis posse consumi. usa est igitur brevitate sermonis, ne moras, quas removere cupiebat, ipsa plurimum loquendo nutriret. *nox ruit, Aenea, nos flendo ducimus horas:* necessitate conplendi actus cuius causa venerant .................... Deiphobus. id ne ad Aeneae vitium vel Sibyllae pertineret, defensionem sumpsit a tempore atque ita, ut hanc non longo, ut dictum est, sermone produceret: nox, ait, ruit, Aenea. ecce tempus fuit in causa, quod labi non debuit propter noctis incertum. quid enim intellegendum est in eo quod dixit nox ruit nisi quod diximus, quia sine ipsorum inpedimento nox eadem venire non poterat? nos autem flendo ducimus horas hunc potest admittere intellectum, quasi si diceret: atque utinam actibus commodis aut utilibus teneremur! numquam

---

6 *ne* — 7 *posuit* om. ed. 10 *consuerunt* V *conseruerunt* ed. | *foris* V. 13 *ad hoc* V *ideo* ed. 16 *minus* V *minimis* ed. *in iis* nos (*m* per dittogr. irrepsit). 10 inter *venerant* et *Deiphobus* lacuna viginti amplius litterarum in V sic fere explenda: *longiore sermone prohibetur* (*Aeneas non respondet Deiphobo* ed.). | post *Deiphobus* in V sequitur *id ne* (inepta interpos. ed.). 21 *vel sibi ēe* V *vel ipsius* ed. *vel Sibyllae* nos. | *pertinere* V *videretur* add. ed. *pertineret* nos. 28 *si* om. ed. | *ad quem* V ed. *atque* nos (inversus error 509).

rebus perditis lacrimae profuerunt; plangis, quid inde uti-
litatis proficiet necessario tuo? quid fletuum prolixitas
dabit, cum longum non sit quicquid fine concluditur?
quapropter fiat inpulsu temporis quod invitis nobis ipsa
540 necessitas iubet. *hic locus est partis ubi se via findit in*
*ambas:* incipit ei futurum iter demonstrare, in quo ex
una via enata altera fuit. honestissima locutione usus est
dicendo in ambas, quam si diceret in duas, et sic est
intellegendum, ut ambas vias dixerit quae essent natae
ex una. subnectit dehinc utriusque viae rationem, ne
alteram sequens alteram habere videretur incognitam:
*dextera quae Ditis magni sub moenia tendit, hac iter Ely-*
*sium nobis, at laeva malorum exercet poenas et ad inpia*
*Tartara mittit.* cum bona dexteri itineris diceret, Ditis
tantum tetigit nomen propter narrationis conpendium, de
Elysiis autem campis discretioneque iustorum putatur si-
luisse: hanc partem non omnino omisit, sed meliore occa-
sione monstravit; cum enim diceret at laeva malorum ex-
ercet poenas et ad inpia Tartara mittit, procul dubio pate-
fecit in dextera parte animas morari iustorum. ex per-
sona Sibyllae ostendit Vergilius insontium animas locis
ac regionibus esse discretas nec ..............................
sequitur partem, ut genera separet locis singulaque distin-
545 guat. *Deiphobus contra: ne saevi, magna sacerdos, disce-*
*dam, explebo numerum reddarque tenebris:* ne, inquit, mo-
dearis ulterius, optima sacerdotum, si tibi quod agimus

---

1 *plangis* V *fles* ed. 2 *proficiet* V *proveniet* ed. 7 *una* om. ed. 8 *quam si* V *quasi* ed.: *quam* post superlativum ut 11, 204. | *in duas* V *in* om. ed. 14—16 *dexteri itinere his diceret ditis tantum tetigit nomen* V *itineris* nos; locum corrupit ed. 16 *discretionemque* V corr. ed. | *putaturis fluisse* V *putatur siluisse* nos *putaturus fluxisse* ed. *putatus dicturus fuisse* ed. post. 17 *nonono misit* V *non omnino omisit* nos. | *meliorem occasione* V. 18 *adleva* V corr. ed. 20 *morare* V. 21 *insontium* V *infantium* edF. 22 post *nec* triginta fere litterarum spatium vacat in V sic explendum: *ipsas earum sedes describit sed hanc* (*inter animas impiorum collocari nunc* ed.). 25 *moveas* V *te moveas* ed.

non placet, iam recedam expleturus numerum (quem abeundo minuerat) et tenebris iterum reddar. *i decus, i, nostrum, melioribus utere fatis:* cum duobus locutus est diverso genere, placavit iratam vatem et Aeneae felicia optavit et prospera, sed magna brevitate sermonis, ne loquendo plurimis moras necteret, quas reprehenderat Sibylla.

*Respicit Aeneas subito et sub rupe sinistra moenia lata videt triplici circumdata muro, quae rapidus flammis ambit torrentibus amnis Tartareus Phlegethon torquetque sonantia saxa. porta adversa ingens solidoque adamante columnae, vis ut nulla virum, non ipsi excindere bello caelicolae valeant, stat ferrea turris ad auras, Tisiphoneque sedens palla succincta cruenta vestibulum exomnis servat noctesque diesque. hinc exaudiri gemitus et saeva sonare verbera, tum stridor ferri tractaeque catenae:* descriptio loci quaestionibus et suppliciis recte conveniens: nam triplici muro fuerat clausus, ne reis labendi atque evadendi subesset occasio; portae eius tam durae, tam fortes, ut neque humana neque deorum virtute superari possent, etiamsi belli certamen existeret; omnia fluvius clauserat rapidus, saxis et verticibus flammeis copiosus, qui transiri propter rapacitatem et saxa quae volvebat propterque incendia non posset; turris illic fuit educta in altitudinem nimiam tam fortis, ut ferreis saxis putaretur extructa; in foribus Furia fuit egressus diligenti cautela custodiens, die noctuque continue pervigil, flagellis terribilis et armata serpentibus. quid illic non cruentum, non triste esse potuisset, ubi nihil gerebatur nisi quod tormenta monstraret aut poenam? denique gemitus et sonitus verberum et tractarum catenarum stridor auditus quid intus gereretur evidentissime nuntiabat. *constitit Aeneas strepitumque exterritus hausit:* tantus in illo loco tormentorum strepitus fuit, ut Aeneas extra ipsum positus ferre nequisset quod ferie-

7 *sinextra* V. 18 *tam fortes* V *et t. f. erant* ed. 19 *virtutes* V. 20 *rapidus* om. ed. 24 *putaretur* V *videretur* ed. 29 post *poenam* sex fere litterarum spatium vacat in V: fortasse *sontium* excidit? 31 *extrepidumque* V.

560 bat auris et vulnerabat hominem pium. *quae scelerum facies, o virgo, effare, quibusve urguentur poenis? qui tantus plangor ad auras?* interrogatio cum propositione: quae sunt, inquit, scelerum genera? vel quae poenae singulis quibusque aptatae sunt? vel unde tales planctus existunt? dic mihi, o virgo.

*Tunc vates sic orsa loqui:* propositae interrogationi sic vates respondere instituit. *dux inclite Teucrum:* magna in poeta nostro loquendi copia: quotiens enim Sibyllam induxit cum Aenea loquentem, totiens principia cum eius laude variavit et cum plena honorificentia. denique posuit (51) „cessas in vota precesque Tros, ait, Aenea, cessas?" laudis enim fuit dixisse Troianum. item (125) „sate sanguine divum, Tros Anchisiade": ecce meritum Aeneae, cuius pater aequatus est superis, ut diis et ipso Anchise diceretur esse progenitus: hoc ipsius fuit speciale, Tros autem fuit commune cum ceteris. alio etiam loco (322) similiter „Anchisa generate, deum certissima proles". hoc etiam loco ait dux inclite Teucrum; nam et hic eum laudat et haec dicendo merita eius extollit. quid enim tam pulchrum quam ducem esse multorum? quid tam memorabile quam primum esse quemquam in officio suo? quidve tam egregium quam bonorum meruisse principatum? Teucrum enim laudis causa posuit, ut dignis praeesse videretur. *nulli fas casto sceleratum insistere limen:* ne diceret Aeneas eamus et ediscamus quae causa sit clamorum atque verberum, nulli, inquit, licet casto sceleratum illud limen contingere vestigiis suis perindeque nec tibi nec mihi. hoc genere profitetur se numquam vidisse quae Aeneas cupiebat audire, tamen audisse se et audita posse narrare professa est. ecce dicit ex qua audierat quae

---

11 *eum plena* V corr. ed. 15 *ut diis et* V *et diis et* ed. *et diis ut* ed. post. 19—20 *cum laudat* V corr. ed. 20—21 *enim tam pulchrum* V corrupit ed. 22 *quemquam* V edI *quemque* edF. 23 *tam* V *magis* ed. 24 *ensa* V *esse* ed. *causa* nos. | *dignus* V ed. *dignis* nos. 26 *discamus* ed. 31 *ecce* — 583, 1 *dictura est* om. ed.

dictura est: *sed me cum lucis Hecate praefecit Avernis,*
*ipsa deum poenas docuit perque omnia duxit.* dixit eorum 565
auctorem quae fuerat narratura, ut fidem verba eius
habere potuissent. ait ergo: quando me Hecate lucis
Avernis praeposuit, ipsa docuit omnia et universa mon-
stravit cuncta per ordinem referendo, instructam reddens
propter eos quibus fas esset vivis ad inferna pertendere.
incipit ergo ad interrogata respondere tam plene, ut etiam
illa coniungat quae interrogatio non tenebat; nam frustra
describeret illius loci actus et gesta, si non primo cogni-
torem criminum et poenarum iudicem demonstraret. dicit
ergo primum *Gnosius haec Rhadamanthus habet durissima*
*regna:* potestatis ipsius dehinc subiungit definitionem:
*castigatque auditque dolos subigitque fateri quae quis apud*
*superos furto laetatus inani distulit in seram commissa*
*piacula mortem.* hanc, inquit, ille habet potestatem, ut
verberibus et tormentis extorqueat et ad confessionem
usque perducat quod apud superos scelerate commissum
vindicari non potuit et dilatam poenam inanis gratulatio
consecuta est, cum arbitrarentur scelerati sese fugisse vin-
dictam nescientes suffugium furto quaesitum poenam non
delesse, sed in aliud tempus dura distulisse supplicia.
*continuo sontis ultrix accincta flagello Tisiphone quatit in-* 570
*sultans tortosque sinistra intentans anguis vocat agmina*
*saeva sororum:* adest Furia reis sontis et noxios flagello
circumsecans, intentans anguis, ut tormentorum metu for-
mido eorum magis ac magis ardesceret, vocans etiam
sororum innumerabilem modum, cum sola ferri non posset.
*tum demum horrisono stridentes cardine sacrae panduntur*
*portae:* tum, hoc est inde, horrisono cardine, cuius sonus
ad auris venit, portae sacrae panduntur. *cernis custodia*

---

1 *hector* pro *Hecate* V. 4 *me haec ate* V *me* transpos. ed. 5 *ipsa* V *i. me* ed. | *et* V *et mihi* ed. 12 *haec* om. V. 13 post *definitionem* lacunam habet V signis quibusdam expletam, quae nihil deesse indicare videntur. 25 *reis* V *reos* ed. 27 *ardescerat* V corr. ed. 29 *horrisonos* V. | *stridentes* om. V. 31 *venit* om. V.

575 *qualis vestibulo sedeat, facies quae limina servet?* qualis, inquit, et quae nec dixit definienter aliquid, ut quicquid taetrum, horrendum ac detestabile esse posset coniciens colligeret aestimatio. ergo specialitatem recte suppressit, ne sola putarentur quae forte posuisset. *quinquaginta atris inmanis hiatibus hydra saevior intus habet sedem:* nec mireris, inquit, istam quae subiecta est oculis ac sedet. quod ait sedet, officium perpetuum sedendi significat, hoc verbo et in georgicis (4, 244) usus est dicens „inmunisque sedens aliena ad pabula fucus“, ut ostenderet continuationem facti et illum sine intermissione aliqua alienis laboribus consumendis semper intentum. ergo hinc, inquit, intellege qualis sit hydra quam pars interior tenet; multo quippe est saevior et inmanior et quinquaginta atris armata serpentibus. quinquaginta posuit, ut multitudinem significaret. quinquaginta, inquit, hiatibus serpentum inmanis, ut ostenderet eos et plurimos et ad invadendum semper patulo ore paratissimos. *tum Tartarus ipse bis patet in praeceps:* necessarie addidit in praeceps patet; patere enim etiam in superna quid potest et quod per planum cingit, hoc est ante, post, laeva vel dextera: patet demersus *tantum tenditque sub umbras, quantus ad aetherium caeli suspectus Olympum,* id est quantum in superna panditur tantum ad inferos tendit habita aestimatione dupli, hoc est ut ab ipso ore Tartari quantum ad caelum est bis tantum ad inferos pateat. retinendum est secundum multorum et ipsius maxime Vergilii auctoritatem altitudinem et superiorem et demersam dici posse. hoc ut ostendatur, evidentia ponemus exempla. ecce superioris altitudinis (4, 265) „tu nunc Carthaginis altae“ et alio loco (1, 7) „atque altae moenia Romae“ et (11, 187) „conditur in tenebras altum caligine caelum“; inferioris

3—4 *coniciens colligeret aestimatio* V *conici posset* ed. 18 *patulo* V *pavido* ed. 19 *neeessarie* V *-o* ed. 23 *aetherum* V. | *olympum* V *Ol. est* ed. 25 *dupli* V *duplici* ed. 32 *tenebras* V *-bris* ed.

altitudinis est (1, 34) „in altum vela dabant laeti". *hic* 580 *genus antiquum Terrae, Titania pubes, fulmine deiecti fundo volvuntur in imo:* parum fuit dixisse tam prolixam fuisse altitudinem Tartari, in imo, inquit, fundo eius pendebant Titanes poenam, qui pro sceleribus suis icti fulmine in illum locum iuste meritoque coniecti sunt. *hic et Aloidas geminos, inmania vidi corpora:* geminos ait quos unus ediderat partus, aut simplicius intellegamus duos, sicut alio loco (2, 203) poeta ipse ait „ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta, horresco referens inmensis orbibus angues"; illic enim duo significati sunt non uno partu effusi. quantae isti Aloidae proceritatis fuerint ostendit: *qui manibus,* inquit, *magnum rescindere caelum adgressi superisque Iovem detrudere regnis.* quid non auderet temeritas cui ferebat corporis altitudo suffragium? tangebant manibus caelum, ex eo arbitrati sunt excluso Iove posse sibi eius imperium cedere. tanto autem maiore fulminis violentia pressi sunt quanto illos inimica sui corporis forma caelo proximos fecerat. ecce propter quam causam descriptus est Tartarus duplicem in praeceps habuisse mensuram vel quare in imum fundum eius coniecti sunt, ne Aloidis emergendi exinde per altitudinem corporum praeberetur occasio, ut tantum his ad superos spatium remaneret quod superare non possent. cum pronuntiamus superisque Iovem detrudere regnis, Iovis nomen debemus extollere; est enim et in nominibus magnae significatio potestatis, ut hoc loco Iovem superare se posse temere arbitrati sunt, eum scilicet qui caeli teneret im-

---

1 post *laeti* haec interpolata habet ed.: „sed hic ex affectu poeta loquutus est potius, quam quod ita vere sit, et hic melior est sensus; hoc enim simili modo in multis locis fecit, ut multa etiam vulgi opinione dixerit". nec affectus poetae nec melior sensus quid sibi velint intellego: lacunae vestigium nullum in VHO. 5 *poenam* V *ponit* ed. 6 *meritumque* V corr. ed. | *olidas* V. 7 *ait quos* V *quos ait* ed. 12 *quanta* V *quantae* ed. | *acolidae* V. | *fuerint* om. V. 13 *inquit* om. ed. 18 *inimica* V ed. *inmensa*? 22 *aolidis* V. 26 *nominibus* V *hominibus* ed.: cf. v. 511. 28 *cum* V *eum* ed. | *tenere* V *teneret* ed.

perium, qui deos, qui sidera atque homines pleno guber-
naret imperio et cetera quae intellegi possunt: ipsius
tamen fulmine strati sunt quem audendo contempserant.
585 *vidi et crudelis dantem Salmonea poenas:* hoc adhuc clau-
sum est, non apparet aut delinquentis causa aut species
evidenter expressa supplicii, subiungitur tamen utriusque
significatio; tunc enim cuiuslibet poenae iusta videbitur
processisse sententia, si admissi quoque qualitas supplicio
congrua demonstretur: *dum flammas Iovis et sonitus imi-
tatur Olympi.* ipse quoque in eo crimine sacrilegii fuit
in quo Aloidae, qui Iovem regno conati sunt trudere;
imitatus enim fuerat Salmoneus quod de caeli partibus
homines terret, ut ipse potius quam Iuppiter timeretur.
ut fieret evidentior sceleris causa, adiecit quomodo toni-
truorum et fulminis facta sit imitatio: *quattuor hic invectus
equis et lampada quassans per Graium populos mediaeque
per Elidis urbem ibat ovans divumque sibi poscebat hono-
590 rem demens, qui nimbos et non imitabile fulmen aere et
cornipedum cursu simularet equorum:* imitabatur, inquit,
Iovem et se illi per dementiam nitebatur aequare pro
fulmine praeferens facem et aeris sonitu ac strepitu equo-
rum currentium sacra tonitrua simulans. *at pater omni-
potens densa inter nubila telum contorsit, non ille faces nec
fumea taedis lumina, praecipitemque inmani turbine adegit:*
Iuppiter non faces aut fumantis taedas, quas Salmoneus
portabat, sed divina in ipsum coniecit incendia et adegit
praecipitem: ostendit eum in Tartari altitudinem missum.
595 *nec non et Tityon Terrae omniparentis alumnum cernere
erat, per tota novem cui iugera corpus porrigitur rostroque
inmanis vultur obunco inmortale iecur tondens fecundaque
600 poenis viscera rimaturque epulis habitatque sub alto pectore,
nec fibris requies datur ulla renatis.* monoptoton decli-
natur dicendo Tityon, ceterum Tityonem diceret, si per

---

3 *audiendo* V corr. ed. 6 *utrumque* V *utraque* ed. 11 *aolidae* V. 12 *salmona eius* V. 14 *tonitruorum* V *toni-trus* ed. 19 *cursu* V confirmat *currentium* in interpr. 30 *tundens* V cf. 3, 538. 32 *monotopton* V. 33 *ceterum* om. ed.

casus variari potuisset. erat cernere illum Tityon, cuius informe corpus novem iugerum spatium occupabat: huic enim pro sceleratis admissis vultur inmanis adpositus fuit grandis et saevus natura et inexplebili ventre, rostrum habens obuncum, aptum scilicet ad inferenda mala et consumendis visceribus conpetenter armatum. cui ne deessent membra quae semper inprobus peteret, carnis inmortalitas non deerat, non quo reparatio viscerum domino profutura suppeteret, sed sarciens detrimenta quae vultur intulerat, ne poena conquiesceret corporis deficiente substantia. *quid memorem Lapithas, Ixiona Pirithoumque? quos super atra silex iamiam lapsura cadentique inminet adsimilis?* genus est transitus per omissionem, quod idcirco ponitur, ne continuatio narrationis horrescat. ergo ait quid Lapithas memorem, supra quos pendens saxum ruinam promittit nec tamen cadit, ut perpetuo metu subiecta noxiorum mens iugiter concremetur. *lucent genialibus altis aurea fulcra toris epulaeque ante ora paratae regifico luxu:* et torus regifico luxu fuerat paratus et praepositio epularum, non quia his uti meruerant, sed ut ab his prohibiti cruciatibus maximis adficerentur. *Furiarum maxima iuxta accubat et manibus prohibet contingere mensas exurgitque facem attollens atque intonat ore:* denique his adposita fuerat maxima Furiarum, quae eos non tantum prohiberet ab epulis, sed ipsas quoque mensas non sineret vel manibus tangere, exurgens etiam voce magna perindeque terribili atque . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . vocis opera prohibitionem ipsam confirmaret. *hic quibus invisi fratres, dum vita manebat, pulsatusve parens et fraus in-*

3 *sceleratis amissis* V *sceleribus admissis* ed. | *fuit* V *fuerat* ed. 5 *inferendum mala* V ed. 9 *arciens* V. 10 *ne* om. V corr. ed. | *corporis et* V *et* del. ed. 11 *laphytas* V. 16 *metu* V *metui* ed. | *nexorum* ed. 17 *concremetur* V *crucietur* ed. 21 *afficeremur* V corr. ed. 22 *proibit* V. | *exsurgens* contra metrum V ex interpr. irrepsit. 27 *terribile* V. | post *atque* reliqua pars versus vacat, quam inepte explevit ed.: de face aliquid dictum fuisse putandum est. 28 *ipsam con quibus* V *firmaret hic* supplevi.

*nexa clienti:* illic fuerunt qui odio habuerunt fratres suos
et qui patres egerunt manu vel qui pauperibus conflave-
610 runt fraudem. *aut qui divitiis soli incubuere repertis nec
partem posuere suis, quae maxima turba est:* illic etiam
illi qui nancti divitias nullam suis partem facere volue-
runt, quorum multitudo fuerat maxima. *quique ob adul-
terium caesi:* et qui ob inlicitos concubitus alieni con-
iugii mactati sunt: *quique arma secuti inpia,* ut sunt qui
coniuncti necessitudine sanguinis aut adfinitatis contractas
inimicitias usque ad sanguinem ducunt. *nec veriti domi-
norum fallere dextras:* illi quoque qui deceperunt dominos
suos, possunt etiam illi intellegi qui imperatores prodide-
runt. *inclusi poenam expectant:* hoc de omnibus dictum
est quos supra conplexus est, quod clausi expectarent
poenam, expectare autem poenae incertum peius est quam
615 pati. *ne quaere doceri quam poenam aut quae forma
viros fortunave mersit:* quid enim referret Sibylla quod
nondum in illorum criminum reos fuerat definitum? ne
quaeras, inquit, discere qua poena isti adficiantur, cum sola
sit interim quod eam expectant et nec tempus quo poena
ipsa ventura sit norunt nec sciunt quae illa sit. quod
dixit hic quibus invisi fratres, dum vita manebat, dum
vita manebat omnibus potest aptari quos diversorum cri-
minum reos supra enumeravit; omnes enim, dum vita
manebat, praedicta crimina admiserant. *saxum ingens
volvunt alii,* scilicet sine fine volvendi, *radiisque rotarum
districti pendent:* et hic intellegitur alii; non saxum vol-
ventes, sed alii distracti ad rotam, ut sit stricti ad rotam
alii saxum volvebant, alii pendebant rotarum radiis districti.

---

2 *et qui* V *qui* om. ed. 3 *huupuere* pro *incubuere* V. 7 *concubitos* V. 9 *coniuncti* — 10 *inimicitias* mutando et omittendo corrupit ed. 11 *ille* V. 12 *illi* om. ed. 14 *clausi* V *inclusi* ed. 15 *poenam* V *poenas* ed. | *poene* V om. ed. 17 *referet* V *referret* ed. 19 *dicere* V *doceri* ed. *discere* nos. 21 *norunt* — *sciunt* V *norint* — *sciant* ed. 22—23 *dum vita manebat* bis V semel ed. 27 *destricti* V. | *non saxum* — 28 *ad rotam alii* om. ed. 28 *distracti ad portam* V.

*sedet aeternumque sedebit infelix Theseus:* Theseus sic damnatus ............................ *Phlegyasque miserrimus omnis admonet et magna testatur voce per umbras:* Phlegyas praepositus omnibus fuit, ipsis miserrimus, reis universis insultans voce magna: *discite iustitiam moniti et non temnere divos;* post admonitionem enim peccare crimen est maximum nec habent defensionem inprudentiae qui hoc fecerunt, temnere autem divos sacrilegium est: omnia crimina non admittuntur nisi diis primo contemptis, dum non sperantur ultores. *vendidit hic auro patriam:* execrabile criminis genus hostibus patriam vendere: patriam, inquit, primum altricem suam, quae proprio sinu nascentem vagientemque suscepit, quam supra matris adfectum amare et colere debuisset, quam praeclari cives sibi, liberis ac posteris suis optant cupiuntque esse superstitem. ecce addit causam qua inpulsus multiforme scelus admisit, propter avaritiam solam et execrandam, inquit, id est auri cupiditatem, decepit eam pro qua occumbere gloria fuit et per victoriam fida mentis obstinatione durare et hanc hostibus in exitium eius perniciem quaerentibus non dubitavit offerre. definiamus quid sit patriam vendere: decipere ipsam primo quam, ut dictum est, superstitem relinquere fuerat gloriosum, decipere insontis civis, diversas quoque aetates in diverso sexu constitutas, locupletis ex praeda hostis efficere. adde causam: sola avaritia est et sumendi auri cupiditas execranda servaturi istud sibi perditis omnibus quae carissima habere debuerat. *dominum-*

---

2 post *damnatus* reliqua pars versus vacat V. 4 *ipsis miserrimus* V cf. 3, 249. 5 *insultans* V ed. *inculcans?* 6 *temere* V. 8 *ficerent* V *facerent* ed. *fecerunt* nos. | *timere* V *non timere* HO ed. *temnere* nos propter *contemptis.* | *omnia* — 10 *ultores* om. ed. 11 *crimine* V. 14 *sibi* om. ed. 15 *optante* V. 17 *solam et* V *et* om. ed. 18 *fuit* V *fuerat* ed. 19 *fidam uentis* V corr. ed. 20 *perniciem* V *que* add. ed. 21 *dubitaret* V ed. corr. ed. post. 23 *fuerat* V *est* ed. *cuius* V ed. *civis* nos. 25 *efficere* V *-rent* ed. 26—27 *servaturus hoc cui perditis omnibus* V *servaturi* (gen. cf. *plancturi* 11, 41) *istud sibi p. o.* nos; inepte mut. ed.

*que potentem inposuit:* et servitio potentis domini suos omnis addixit; victos quippe servitium sequitur. *fixit leges pretio atque refixit:* corruptione interveniente praemiorum alias conscribi leges effecit et alias removeri. quales esse potuerunt quas ferebat inimicus! *hic thalamum invasit natae vetitosque hymenaeos:* hic, inquit, contra iura publica legemque naturae, filiae concubitus invasit. quod libidinis genus iste praetermisit qui in nefarios natae conplexus inprovidus ruit? iam specialis narratio producta per multos faceret maiorem properantibus moram: confugit ad generalitatem dicens *ausi omnes inmane nefas ausoque potiti:* omnes, inquit, isti nefariorum scelerum rei sunt et quicquid adgressi sunt perfecerunt. cum dicit omnes, et illos tetigit quos designatis criminibus posuit. omnia haec poenarum et criminum genera Vergilius non inaniter posuit; neque enim id curavit, ut ostenderet se curare actus infernos, sed ut suppliciorum metu ad bonos mores singulos quosque converteret et apertius docti rectius viverent, certi deterius puniri post mortem quae sciendo vindicaverint homines aut praetermiserint ignorando. mire tamen ad-
625 didit *non, mihi si linguae centum sint oraque centum, ferrea vox, omnis scelerum conprendere formas, omnia poenarum percurrere nomina possim:* generalitas enim necessarie adiecta est, ne poeta videretur omnia descripsisse quae apud inferos gerebantur, quoniam fuit inpossibile latitudinem tantam plene conplecti, vel ne contemptui haberentur poenae propositae ex cotidiana meditatione; amplius enim supplicia incerta metuuntur. certe etiamsi sola fuerant quae dicta sunt, accessit humanis actibus quod prodesset ex poetae mendacio. plus enim fecit timere et minus peccare metuentem, eoque res redit, ut vivatur rectius, cum infinita formido est.

---

2 *victus* V ed. *victos* nos (cf. 11, 303). 5 *inimicus* V *-is* ed. 9—10 *pro multos* V corr. ed. 10 *faceret* V *ne f.* ed. 14 *deposuit* V ed. *posuit* nos. 17—18 *singulos quoque* V *s. quosque* nos cf. 561 *omnes s.* edF. 23—24 *necessarie deiecta* V *necessario adiecta* ed. 27 *praepositae* V edI corr. edF. 32 *formido est* V om. ed.

*Haec ubi dicta dedit Phoebi longaeva sacerdos, sed iam age, carpe viam et susceptum perfice munus:* sequere, inquit, viam, ut susceptum munus possis inplere. *acceleremus, ait:* ordinatur sensus sic: haec ubi dicta dedit Phoebi longaeva sacerdos, acceleremus, ait, age, carpe viam et susceptum perfice munus. *Cyclopum educta caminis moenia conspicio, atque adverso fornice portas, haec ubi nos praecepta iubent deponere dona:* ubi, inquit, apparent camini Cyclopum et eorum habitacula, illic doni munus iubemur exponere. fornicem dixit cameram in arcum ductam. *dixerat et pariter gressi per opaca viarum corripiunt spatium medium foribusque propinquant:* haec cum Sibylla dixisset, direxerunt iter, ut spatium transmitterent quod inter ipsos et locum destinatum fuit. sed ubi ad ipsas fores ventum est, *occupat Aeneas aditum corpusque recenti spargit aqua ramumque adverso in limine figit:* lustravit se Aeneas et sic ramum fixit.

*His demum exactis, [perfecto munere divae],* omnibus scilicet transactis quae dicta sunt et conpleto officio quod deae debebat, *devenere locos laetos et amoena virecta fortunatorum nemorum sedesque beatas:* ut dixit quid mali sit male vivere atque ut noxios et noxiorum poenas exposuit, ita vult ostendere quid post vitam prosit recte vixisse; nec coepit a personis vel a beatorum felicitate, sed primum regionum bona persequitur, dehinc quod ex ipsis locis capiant commodum et quales bonis ipsis perfruantur. *largior hic campos aether et lumine vestit purpureo solemque suum, sua sidera norunt:* nihil illic deest quae superi habent: sol illic est nec desunt sidera et caelum perspicuum, campi illic, prata atque nemora beatitudinem commorantibus praestant, solum illic opus deest,

---

18 *perfecto — divae* deest in V, sed explicatur. 19—20 *quod ea* V *ea* om. ed. *q. deae* nos. 20 *vireta* ed. 24 *coepit* om. ed. 25—26 *qui ex ipsis locis qui capiant* V *quod ex i. l. capiant* ed. nos. 26 *quales* V *qualibus* ed. | *ipsis* V *ipsi* ed. 29 *quae* V *eorum q.* ed. 30 *atque* V *ac* ed. 31 *deest* V *est* ed.

quod dimittitur superis. locis ipsis nomen inditum est, ut beata et fortunata dicantur, quod ipsum vocabulum ab illis sumpserant qui merito suo beati et fortunati dici meruerunt. quo enim nomine appellari debuerunt quos probavit cursus vitae et a pessimis mors quoque ipsa discrevit? *pars in gramineis exercent membra pa-* 645 *laestris, contendunt ludo et fulva luctantur harena. nec non Threicius longa cum veste sacerdos obloquitur numeris septem discrimina vocum iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno:* usque adeo illic securi degunt qui apud superos recte vixerunt, ut his honestae et simplices voluptates etiam illic gratae sint. non illis habendi aut rapiendi iurgandique asper adfectus est, sed, quod est gratum, ludo certant ludoque contendunt. lucta certamen efficit et palaestra imaginem quandam veri certaminis fingit ac, ne quid eorum voluptatibus desit, Orpheus longa id est summissa veste conpositus mulcet omnia dissonis chordarum vocibus, dum has aut inpellit digitis aut plectro contingit. et multis exemplis et hoc loco Vergilius probat citharae artem inter honestas et praecipuas numerari virtutes; est enim musica. *hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles:* antiquos hoc loco veteres potius quam magnos debemus accipere; quod enim laudis causa dicendum fuerat dixit pulcherrima proles. denique ut ostenderet se de antiquioribus loqui, addidit *magnanimi heroes, nati melioribus annis,* ut hoc genere probaret aliis illos saeculis fuisse progenitos. cum hoc dicitur, monstratur illos non solum generis bona habuisse verum etiam sae- 650 culorum quibus nasci meruerunt. *Ilusque Assaracusque et Troiae Dardanus auctor:* ecce ubi melius aperuit quia

5 *mors quoque* V *quoque mors* H edI *quos m.* edF. 6 post *discrevit* spatium unius et dimidii versus signis expletum ut 566 V nihil desideratur. 7 v. 644 deest in V neque explicatur; interpol. ed. 10 *usque adillic* V corr. ed. | *securi* V *severi* ed. nescio an melius. 14 *gradum* V *gratum* nos *gaudium* HO ed. 17 *dissonis* V *variis* ed. 21 *musica* VHO *ars sane liberalis* add. ed.

de priscorum memoria loquebatur, cum eos nominat quos Aeneas ipse non noverat. recte veteres Troianos dixit natos annis melioribus, quoniam posterioris aevi et perdiderant cum patria imperium et multi perierunt casibus diversis et reliqui gravissimis incommodis tenebantur. *arma procul currusque virum mirantur inanis. stant terra defixae hastae passimque soluti per campum pascuntur equi:* mirabantur Sibylla et Aeneas habere mortuos quod apud superos incolumes habent. *quae gratia curruum armorumque fuit vivis, quae cura nitentis pascere equos eadem se-* 655
*quitur tellure repostos:* nitentis equos habere est semper id agere ut iugiter niteant et numquam videantur esse neglecti. talis sensus est in bucolicis (5, 44) „formosi pecoris custos, formosior ipse“. custos est enim pulchritudinis pecorum cui est cura ut semper formosa sint. quae cura nitentis equos pascere et gratia armorum aut curruum fuit vivis eadem mortuos sequitur, id est cura et gratia praecedens; quippe diligentiam gratia parit. hoc igitur mortuis studium fuit quod vivis. *conspicit ecce alios dextra laevaque per herbam vescentis laetumque choro paeana canentis,* scilicet convivium celebrantis et praeter epularum laetitiam hilaritatem suam festis etiam cantibus protestantis. *inter odoratum lauri nemus, unde superne plurimus Eridani per silvam volvitur amnis:* omnia in unum laeta convenerant, honestorum personae coetusque iustorum, apparatus adfluentes, laetitia cantus, locus herbis hilaris et iucundus odoribus lauri, nemorosus atque undarum perennium copia semper apricus. *hic ma-* 660
*nus ob patriam pugnando vulnera passi:* in maxima enim sunt gloria qui pro patria pugnantes obierunt, ut e con-

2 *veteros* V. 6 *terrae* ed. 8—9 *apud superos* V *superi* ed. 9 *curuum* V *currûm* ed. 11 *nitentis quos* V. 13—14 *furmosi p. c. formonsior* V (infra *formosa*). 14 *causa* post *enim* interpol. ed. 15 *cura uis* V *cura ut* ed. | *sint* V *sit* ed. 19 post *vivis* spatium signis expletum in V. 22 *festis* V *festivis* ed. 25 *converant* V. 28 *apricus* V ed. *inriguus* expectes, sed cf. 7, 495.

trario sunt in maximo crimine proditores. *quique sacerdotes casti, dum vita manebat:* qui colentes deos puritati splendidae castitatique operam congruam praebuerunt. *quique pii vates et Phoebo digna locuti:* qui instructi litteris poetae Phoebo carmina dignissima protulerunt. *inventas aut qui vitam excoluere per artis:* qui diverso repertarum artium genere vitam suam cultiorem facere maluerunt. *quique sui memores aliquos fecere merendo:* qui condicionis humanae memores aliquos beneficiorum largitionibus pro- 665 meruerunt. *omnibus his nivea cinguntur tempora vitta:* omnibus quos enumeravit albae vittae pendebant de capite. omnia igitur commoda iustitiae honestatisque cultores in illis locis habent et fruuntur omnibus laetis, loco, sideribus, luce, pratis, nemoribus, cibis deliciisque et studio artium diversarum, prope ut illi non exempti vita, sed ad aliud vivendi genus transisse videantur.

*Quos circumfusos sic est adfata Sibylla, Musaeum ante omnis[: medium nam plurima turba hunc habet]:* ipsius enim fuerat praeferenda persona, quem utpote potiorem circumdederant omnes. hos, inquit, adlocuta est Sibylla, sed Musaeum primo, dehinc ceteros; intellegebatur quippe quis fuisset ex omnibus potior. *atque umeris extantem suspicit altis;* inter medios enim apparere non potest nisi qui eminentior fuerit †honoris. ita tantum autem ceteris celsior fuit, ut eius umeri apparerent, cum esset multitudinis circumdatus coetu. hunc ergo et ceteros adloqui coeperat Sibylla: *dicite, felices animae tuque optime vates,* 670 *quae regio Anchisen, quis habet locus?* felices, inquit, utpote quae post depositam vitam talibus locis et deliciis uterentur. ad omnis autem cucurrit interrogatio confusa, ad Musaeum vero separata propter honorificentiam. indi-

---

7 *parcere* pro *facere* V. 8 *aliquos* V (et infra) *alios* ed. | *memores* bis accipit ut *inanes* 740. 14 *studio* V *studiis* ed. 18 *medium —habet* deest in V, sed explicatur. 22—23 *umeris existantem suscepit* V. 24 *honoris* V: hoc corruptum esse apparet *humeris* H O ed. inepte propter ea quae sequuntur; fortasse *coronis*, sed crucem ponere malui. 24—25 *tantum autem ceteris celsior* V mut. ed.

cate, inquit, vel maxime tu, vates optime, quae regio habet Anchisen, quis locus? in regionis enim diffusa latitudine inveniri quemquam quia difficile fuit, addidit quis habet locus et utrumque coniunxit, quia sicut in latitudine regionis locum invenire difficile est, ita arduum sine designatione regionis locum necessarium reperire, ergo dicenda regio fuit, cuius pars necessaria quaerebatur. quia vero potuit dicere Sibyllae quare eum quaeritis? ait prior ipsa *illius ergo venimus et magnos Erebi transnavimus amnis:* propter ipsum, inquit, venimus, propter ipsum transmittendi Erebi laborem suscepimus. *atque huic responsum paucis ita reddidit heros: nulli certa domus:* ad illam inquisitionem hoc pertinet qua dictum est quae regio Anchisen habet? *lucis,* inquit, *habitamus opacis riparumque toros et prata recentia rivis incolimus:* et hoc 675
ad responsum pertinet quaesitae regionis, potes, inquit, partem nosse quam colimus; haec est enim in qua nos vides. locum vero certum aut proprium hic habere nulli concessum est, indivisum est hoc spatium omnibusque commune, perindeque incertum est ubi quis possit inveniri, dum quaeritur. *sed vos, si fert ita corde voluntas, hoc superate iugum et facili iam tramite sistam:* sed si vos videndi eum cupiditas tenet atque in eo persistitis, iugum quo ducit iter, hoc est collem, superate facto ascensu et facili ad eum itinere me auxiliante venietis. benivola instructio; omnis enim qui pleno studio aliquid praestat debet id ipsum levare remedio. huius igitur, inquam, fuit maxima pars beneficii qua dixit ego eam vobiscum, ut de summo inspectione habita possitis inplere quod vultis. *dixit et ante tulit gressum:* praecessit ignaros, ut illis facilitatem itineris demonstraret. *camposque nitentis*

---

4 *coniungit* ed. 9 *ait prior ipsa* V *prima ipsa dixit* ed. 10 *venimus propter* V *et* interpos. ed. 18 *vero* om. ed. *nulli* V *cuiquam non* ed. 20 *posset* V. 24 *quod ducitis* V *quod videtis* ed. *quo ducit iter* nos. 27 *in quo* V ed. *inquam* nos. 28—29 *eam vobiscum* V *v. veniam* ed. 29 *possetis* V. 30 *ignarus* V *ignaris* ed.

*desuper ostentat:* monstravit illis subiectam camporum nitentium latitudinem. *dehinc summa cacumina linquunt,* hoc est deserto colle descenderunt ad plana. quomodo descripsit, sic debuit et perventum in collis cacumen ostendere, sed hoc non tantum vitium non est, sed est laudanda brevitas; nullus enim descendit nisi qui primo intellegatur ascendisse. campos nitentis dixit, ut meritum Anchisae monstraret, ne in locis sordidis positus videretur.

680 *At pater Anchises penitus convalle virenti inclusas animas:* non ad iniuriam dixit inclusas, sed ad meliorem spem separatas a ceteris et penitus viridi in valle discretas. hoc ipsum potest apparere, quando adiectum est *superumque ad lumen ituras;* non enim dimitterentur ad vitam, si ob reatum aliquem tenerentur inclusae. *lustrabat studio recolens [omnemque suorum forte recensebat numerum]:* lustrabat ad oculos pertinet, recolens ad animi intentionem. libenter, inquit, oculis ac mente considerabat Anchises suorum numerum, qui propter spem feliciorem Romanae reipublicae in lucem fuerant cum omni prosperitate venturi. numerum pro multitudine posuit; non enim revera numero poterant recenseri aut id fuerat consideranti necessarium. *carosque nepotes:* gradus omnis tetigit futurae posteritatis, qui Aeneae et Ascani tempora secuturi viderentur. *fataque fortunasque virum moresque manusque:* propositio est ista, quam in inferioribus explanaturus est demonstrans qui sint posteri vel quales futuri, vel quali fato, quibus moribus quantaque fortuna. ecce laus Anchisae, locis quippe optimis et praeclaris inventus est, agens etiam post mortem res serias et gloriosa considerans vota generis sui. laudatur et Aeneae fatum, cui provenit occasio ut etiam ipse spem suae posteritatis

---

1 *subiecta* V. 4 *debuit* — 5 *sed* temere mut. ed. 5 *et est* V *sed est* ed. 15 *omnemque* — *numerum* deest in V, sed explicatur. 19 *fuerat* V. 21 *fuerant* V. 23 *qui* V *quia* ed. 25 *in* om. ed. 27 *quibusque* ed. | *quantaque* V *et* ed. 29 *resertas* V *res altas* ed. *res serias* nos. | *gloriosae* V *gloriose* ed.

vivus edisceret. *isque ubi tendentem adversum per gramina vidit Aenean:* prior inducitur Anchises vidisse, ut hoc 685
fecerit expectantis intentio vel quia cum plurimis fuit vel quia Aeneas nesciebat quo oculos tenderet vel quia nemorum amoenitate tegebatur. ubi igitur vidit Aenean contra venientem, *alacris palmas cum voce tetendit:* ecce patris pietas plena, ante ad amplexus fili praeparavit manus quam fieret potestas retinendi. veniebat enim adhuc Aeneas, non tamen pervenerat. expressus ergo pietatis adfectus, expressus desiderantis ardor inpatiens, cum adventui fili manibus procul occurrit et voce; fecisset nihilo minus et pedibus, si aetas non obsisteret et cupientem corporis vitium non teneret. *venisti tandem:* venisti tandem secundum . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . animum dictum est, cui tardus venire potuit, etiamsi illud quod gestum est celeriter videretur effectum. potest tamen et sic: etsi tarde, tamen, quia venisti, non incusatur tarditas tua. *tuaque expectata parenti vicit iter durum pietas:* ecce tarditatem, quam intervenisse desiderans putabat, ipse excusat. possum, inquit, conicere quae causa te fecerit tardum, iter durum vivis et adeundi difficultas atque ad haec loca tendendi, sed per te fili conpertum est pietatem veram omnibus esse difficultatibus fortiorem. *datur ora tueri, nate, tua et notas audire et reddere voces:* quam, inquit, felix sum, cui licuit mortuo filium apud inferos incolumem cernere, adfari atque audire gloriosum et amplecti dulcissimum. *sic equidem ducebam animo rebarque* 690
*futurum tempora dinumerans nec me mea cura fefellit:* non inopinatus adventas; certus enim de instituto tuo fui

---

1 *sedisceret* V *aspiceret* ed. 3 *ficerit* V. 4 *quod oculos* V. 6 *cum voce* V pro *utrasque* ed. et libror. Vergil. confirmatur interpretatione: memoria Donatum ad 2, 688 abduxit. | v. 686 omissum in V add. ed., interpretatione non tangitur. 8 *fieret* V *fuerit* ed. 12 *obsteteret* V. 13—14 inter *venisti tandem* lemmatis et idem interpretationis *et notas audire* habet V per errorem, ut apparet. | post *secundum* lacuna est viginti amplius litterarum sic fere explenda: *inpatienter expectantis.* 15 *tardum venire* V *tardus v.* ed. 29 *advenis* ed.

et speravi fore quod officio plenae pietatis inplesti. dinumerare autem est tempora aestimare, quando quid possit inpleri. nec me mea cura fefellit: quia iuxta aestimationem meam venisti, gratulor nullo falsas cogitationes meas. expectata pietas est aut probata documentis aut sperata temporibus multis. *quas ego te terras et quanta per aequora vectum accipio, quantis iactatum, nate, periclis!* quas ego duo pronomina, unum pertinens ad diversitatem et quantitatem qualitatemque terrarum quas obierat Aeneas, ut perveniret ad fauces quae dabant ad inferna descensum, aliud, quia dixit ego, hoc est cogitans pater, ego cui essent omnia pro tua salute suspecta. addidit te pronomen, hoc est te quem non convenerat tantis laboribus adfligi, te filium bonum, pium, religiosum, ut illud dixisse videatur: libenter habeo quia venisti, sed quia id magno tuo labore ac periculis factum est, vehementer adfligor. et quanta per aequora vectum accipio, in quibus et labor fuit inmensus, evidens etiam periculum apertumque discrimen! *quam metui,* hoc est quantum timui, *ne quid Libyae tibi regna nocerent:* hoc non inaniter timuit; potuit enim illic Aeneas extingui ubi Iuno praecipue colebatur, atrox nimium et pertinax inimica, accedente saeva hominum natura, de qua dictum est (4, 40) „genus insuperabile bello“ et (1, 539) „quod genus hoc hominum? quaeve hunc tam
695 barbara morem permittit patria?“ *ille autem: tua me, genitor, tua tristis imago saepius occurrens haec limina tendere adegit:* piissimi fili et reverentis officia executum se in responsione prosequitur. quid, inquit, velles facerem, pater, nisi ut praeceptis tuis, duris licet, obsequerer? feci te iubente saepius et labores omnis tui causa contempsi.

---

1 *speram* V *speravi* ed. 4 *gratulor inillo* V *non fuisse* interpos. ed. negationem necessariam in *inillo* latere ratus *nullo* (= nulla re) scripsi. 10 *discensum* V. 11 *cogitans* V ed. *ego tuus?* 13 *teque* V *te quem* nos *te* om. ed. 15 *libenter habeo* V *mihi iucundissimum est* ed. 20 *posuit* V. 22 *inimica* V *inimicitia* ed. | *ac cidentes aeva* V. 25 *mortem* V. 28 *vellis* V *velis* ed.

*stant sale Tyrrheno classes:* quid iustius hac causa, si timebatur mare in quo naufragium fecerat et iterum classis sub incerto periculi diutius non esse debuit? hoc erat dicere propter eundem te navis meas in Tyrrheno mari dimisi, in quibus omnis constituta est ad Italiam perveniendi spes. quod ait Tyrrheno mari, hoc intellegi potest in portu, non in alto navis meas dimisi, saevum est Tyrrhenum mare, novit iam nostra naufragia. cavendum est, ne quid iterum moliatur cuius perfidiam sensi. *da iungere dextram, da, genitor, teque amplexu ne divide nostro:* didicerat enim in Creusae causa mortuorum esse fallaces amplexus. *sic memorans largo fletu simul ora rigabat,* vel quod talem perdiderat patrem vel quod eum fuerat maturo reditu deserturus. *ter conatus ibi collo dare* 700 *bracchia circum, ter frustra conpressa manus effugit imago par levibus ventis volucrique simillima somno:* factum est quod Aeneas ne contingeret timuit; nam cum avidus in patris iret amplexus et colla eius officiosis brachiis cingere niteretur, frustra factum est; quod enim fuerat inane teneri non potuit. denique fugit imago non sic dixit, quasi voluntate fili vota desereret, sed subtrahebatur manibus non Anchisae studio, sed naturae deficiente substantia, ac si quis velit tenere ventos aut auras manu concludere.

*Interea videt Aeneas in valle reducta seclusum nemus et virgulta sonantia silvae Lethaeumque, domus placidas* 705 *qui praenatat, amnem. hunc circum innumerae gentes populique volabant:* magna circum Lethaeum fluvium nemoraque eius et multarum gentium, inquit, agmina volitabant. *ac velut in pratis, ubi apes aestate serena floribus insidunt variis et candida circum lilia funduntur, strepit omnis*

---

1 *haec causa* V. 7 *non in loco* V *n. i. alto* nos coniecturam secuti Fabricii, qui *seu alto* adscripsit. 9 *sensimus* ed. 10 *divide* V *subtrahe* ed. et libri Vergiliani. 12 *simul fletu* V. 14 *describturus* V *deserturus* ed. 15 *conpraessa* V item 2, 793. 21—22 *non Anchisa est odio* V corr ed. 21 *defi ente* V. 24 *vidit* V. 25 *domus* V (cf. 231). 27 *letheum fluum* V.

*murmure campus:* apibus istas animas conparavit quae in
valle secreta infinitae circum virgulta silvarum volitabant
et fluminis ripas ideo, quia eaedem apes iuste et caste
floribus suam concipiunt prolem, floribus mella conficiunt
et favos honesto labore distendunt. perindeque et illae
animae, quia pro merito suo condendo Romano imperio
parabantur et conpleturae fuerant orbis et creaturae Ro-
710 manam subolem, apum coetibus noscuntur aequatae. *hor-
rescit visu subito,* hoc est cum stupore miratur, *causasque
requirit inscius Aeneas:* merito requirebat causas, quia
inscius fuerat; nullus enim quaerit nosse quod novit.
*quae sint ea flumina porro quive viri tanto conplerint
agmine ripas:* haec Aeneas cupiebat nosse, quae essent
illa flumina vel quorum virorum animae in unum essent
congregatae. per interrogantis respondentisque personam
eo poetae ducitur carmen, ut Aeneas laetus ab inferis
dimittatur et felicitas eius appareat, cui soli contigit,
antequam nascerentur, nosse posteros suos. interrogatio
igitur eius continet propositionem, qua cupiebat audire
quis vel qualis ille sit fluvius quique sint illi qui ad
eundem collecti streperent vel cur eo congregati conflue-
rent. *tum pater Anchises: animae quibus altera fato cor-
715 pora debentur Lethaei ad fluminis undam securos latices
et longa oblivia potant:* quam cito summatim duobus quae-
sitis occurrit! dixit enim qui sit fluvius et quam ob
causam animae convenissent. istae, inquit, animae sunt
primis exemptae corporibus, eius fati, ut secundae luci et
altero corpori debeant reddi: hae ad Lethaeum fluvium,
quem cernis, veniunt. eius enim natura talis est, ut quis-
quis ex eo potaverit quicquid apud superos gestorum
suorum memoriae mandaverat perdat. qua causa istae

---

3 *iuste et cas* V. 4 *mella conficiunt* V *m. concipiunt* H ed. 6 *quia* om. ed. 7 *orbis* V *urbem* HO ed.: *orbem* mallem, an sunt orbes iidem qui v. 745? 8 *noscuntur* V *nascuntur* ed. om. ed. post. 12 *qui veneri tanto conplerent* V. 24 *duobus que sitis* V corr. ed. 31 *mandaverat* V *-rit* ed.

conveniunt, ut, dum se undam simplicem haurire arbitrantur, oblivionem superioris temporis bibant; nulli enim iucundum est ad lucem iterum venire post mortem, si malorum quae in vita persenserat recordatione teneatur. hic ergo fluvius facit ut omissa primorum incommodorum memoria non vivendi atque ad superos redeundi odio, sed amore ducantur. *has equidem memorare tibi atque ostendere coram, iampridem hanc prolem cupio enumerare meorum;* maior enim oculorum quam aurium fides est, multo melior, si audita videantur. *quo magis Italia mecum laetere reperta:* quae autem istae sint animae quosque facturae debes nosse; tunc enim gratulaberis melius Italiam te repperisse quam quaeris, cuius gaudii etiam ipse particeps ero. *o pater, anne aliquas ad caelum hinc ire putandum est sublimis animas iterumque ad tarda reverti corpora? quae lucis miseris tam dira cupido?* conveniens facti istius dubitatio. qui innumera mala, dura graviaque perpessus est et in his fuerat et sperabat adhuc usque peiora, credimus, inquit, velle quemquam non tam ad lucem, sed ad vitae taedia revocari? quae tanta nascitur cupiditas miseris, ut velint esse iterum quod semel evasisse debuerant gratulari? miseros .................... ostendat non solum illos esse .... fortuna in qualibet parte ............... etiam illos qui, cum non intellegant quid suis commodis prosit, deterrima petunt et fugienda perquirunt.

*Dicam equidem nec te suspensum, nate, tenebo:* quae desideranter cupis audire dicam, nate, nec te sub incertis

---

1 *secundam* V *se undam* ed. 5 *ergo* om. ed. 10 *videatur* V. 11 *quosque* V *quidque* ed. 13 *te* om. ed. 15 *trepotandum* pro *ire putandum* V. 16 *reverti* V *remitti* ed. 17 *duraque* ed. 18 *graviaque* om. ed. 19 *tam* V *tantum* ed. 21 *vellint* ex *vellent* corr. V. 22 post *miseros* spatium viginti, post *esse* quattuor, post *parte* quindecim fere litterarum vacat in V: totum sic restituere placet: *miseros [autem dixit, ut infelices] ostendat non solum illos esse [quos] fortuna in qualibet parte [male tractavit sed] etiam illos* etc. inepta habet ed. 24 *cum* om. ed.

tractatibus diutius teneam. ut cupiditati interrogantis et properantis satisfaceret, dixit non te suspensum teneam. *suscipit Anchises atque ordine singula pandit:* adgreditur Anchises relationem et ordine suo singula persequi occepit. occasione futurae relationis altior tractatus inducitur, ut ostendat poeta ex quibus constet hominum genus vel animalium ceterorum, unde moveantur in gaudium, unde vertantur in metum, unde diversis cupiditatibus teneantur, unde adfligantur doloribus, unde animae nutrimenta suscipiant; sed prius erat dicendum quae ista sint et quemadmodum constent ex quibus universa nascuntur et valent.
725 *principio caelum ac terras camposque liquentis lucentemque globum Lunae Titaniaque astra spiritus intus alit totamque infusa per artus mens agitat molem et magno se corpore miscet:* quattuor quidem elementa esse adseruntur, caeli, terrae, maris et inferorum, sed quia apud inferos fuit qui loquebatur et agebatur de ratione superorum, idcirco trium tractatum prosequitur, caeli, terrae et maris, addidit duo alia, sed quae in parte sunt caeli, solem scilicet et lunam. his enim stare dicitur quicquid ad caelum pertinet et quicquid constat sub caelo, scilicet quicquid terra continet, quicquid mare conplectitur, nutriri spiritu quodam abstruso et recondito et latenter gubernari eundemque spiritum per omnia esse diffusum et permixtum omnibus. *inde hominum pecudumque genus vitaeque volantum et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus:* inde, inquit, vivunt volantia, inde terrestria, inde etiam quicquid mon-
730 strorum maris unda contegitur. *igneus est ollis vigor et caelestis origo seminibus, quantum non noxia corpora tardant terrenique hebetant artus moribundaque membra:* ex duorum elementorum substantia hominem memorat esse conpositum, ut spiritus e partibus caeli sumi videatur, corpus ex terra, quod de caelo sumitur esse perpetuum,

1 *ut* — 2 *teneam* om. ed. 4 *persequi occepit* V *prosequi coepit* ed. 7 *unde mov.* V *et unde m.* ed. 11 *constent* V *-ant* ed. 13 *titaneaque* V. 16—17 *qui loquebatur* V edI *ubi l.* edF. 21 *constat* — *quicquid* om. ed.

corpus autem interire, quod ex terra concipitur, spiritum mundum esse, corpus vero contagionibus plenum, sed ubi in unum consortium venerint, ut corpus spiritusque iungantur, spiritum malis corporis maculari. *hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque neque auras dispiciunt, clausae tenebris et carcere caeco:* usque adeo corpus inimicum est ei quem intra se habet, ut sit caeco carceri conparatum. denique polluitur ex eo et pollutus ad supplicium mittitur tamquam ad poenam ex carceribus rei et, quia perire non potest, purgatur poenis, donec reddatur talis qualis inter initia corpori fuerat attributus. *quin et supremo cum lumine vita reliquit, non tamen omne malum miseris nec funditus omnes corporeae excedunt pestes penitusque necesse est multa diu concreta modis inolescere miris:* tanta labes est corporis itaque spiritum polluit, ut, cum exutus membris ire ad inferos coeperit, pestis omnis secum portet ac ferat, ideoque non redit ad caelum, quia caeleste meritum perdidit hospitii sui contagione pollutus. necesse est enim penitus inhaerere vitia quae vivendo contraxit et concreta non facile purgari. concretum dicitur quod ex minutis multis in unam redditur massam. perinde multa mala et longo tempore collecta, quoniam in unum et maximum coeunt, ablui vel in suum statum revocari non possunt, nisi haec vis maior expiaverit. *ergo exercentur poenis veterumque malorum supplicia expendunt:* incipit dicere quae poenae, quae sint ipsa supplicia. *aliae panduntur inanes suspensae ad ventos:* nihil interest ventos inanis an animas dixerit, quia utrumque vel alterum rectum est; potest et sic, ut semel positum bis accipiamus, ut inanes animae inanes ad ventos suspensae penderent. *aliis sub*

---

4 *malis corporis* V *m. corporibus* ed. 5 *neque auras dispiciunt* V *nec a. respiciunt* ed. 7 *ei quem* V edI *spiritui* interpos. edF. | *comparetur* ed. 8 *pollutum* V ed. corr. ed. post. 9 *et carceribus* V *et carceres* ed. 11 *ad supprimo* V. 13 *excidunt* V. 15 *exutum* ed. 16—17 *ac ferat* om. ed. 28 *an* om. V add. ed. | *rectum* :- V ergo *est, r. esse* ed. 29 *sic ut* V *sic vel* ed.

*gurgite vasto infectum eluitur scelus aut exuritur igni:* dixit poenarum genera quibus animae mundantur. *quisque suos patimur manis:* concinne conplexus est unumquemque talis sentire manis qualis ad inferos venerit, si bonus, bonos, sin malus, malos. *exinde,* hoc est post examinationem vitae, *per amplum mittimur Elysium et pauci laeta arva tenemus:* conparationem fecit miro genere. mittimur, inquit, per amplum Elysium pauci, quasi illorum numerum breve spatium ferre non posset. non superflua latitudo paucis fuerat deputata, sed tributa pro meritis. quid enim inter sontis et innoxios distaret, si cunctos aequali specie locorum angustiae continerent? docuit poeta non paucis videri paratam latitudinem, sed pluribus, si tamen ita vivant, ut eo venire mereantur. quod quia non fit, quia bene vivendi studium non omnium, sed paucorum est, latitudinem et diffusa spatia incolunt pauci. laudatur hoc genere Anchises et eius laus proficit etiam filio, quia in talibus locis patrem invenire commeruit, ut hoc genere pro tali parente laboratum nec ipsum Aenean paeniteret.
745 *donec longa dies perfecto temporis orbe concretam exemit labem purumque reliquit aetherium sensum atque aurae simplicis ignem:* tantum inficit animam corporis labes, ut hanc vis maior et prolixum tempus vix possit abluere, scilicet ut talis fiat purgatione qualis fuit antequam in corpus perveniret. *has omnis, ubi mille rotam volvere per annos, Lethaeum ad fluvium deus evocat agmine magno,*
750 *scilicet inmemores supera ut convexa revisant rursus et incipiant in corpora velle reverti:* ubi, inquit, omnis istas animas exercitium rotae per annos mille convolverit, de-

3 *concinne* V *continue* ed. 4—5 *manis* — *bonos* — *malos* V *poenas* — *bonas* — *malas* ed. 12 *specie* V *spatio* ed. | *angustias* V corr. ed. 19 *laboratum* V (ut 679 *perventum*) *laboravisse* ed. 20 *orbem* V. 21 *aethereum* ex *aetherium* ut videtur corr. V (536 *aetherio* procul dubio). 22 *tabes* V (ut R Vergil.): sed ad tabem *abluere* parum convenire videtur, ergo *labes* scripsi secundum lemma, quod *labem* praebet, cf. praef. 24 *purgatione* V *ablutione* ed. 27 *scilicet* om. V. | *supera aut* V. 29 *exercitum* V *exercitatio* ed. *exercitium* nos. | *volverit* ed.

ducit deus ad Lethaeum fluvium, cuius talis est vis, ut quisquis ex eo biberit memoriam superioris temporis perdat, nec quid fecerit nec quid passus sit teneat perindeque inmemor redditus incipiat velle remeare ad superos et mala corporis iterum pati.

*Dixerat Anchises natumque unaque Sibyllam conventus trahit in medios turbamque sonantem et tumulum capit, unde omnis longo ordine possit adversos legere et venientum dicere vultus:* cum haec Anchises dixisset, natum ac Sibyllam ad plurimorum conventum duxit atque, ut posset nescientibus singulos demonstrare et nomina singulorum dicere, tumulum cepit; oportuit enim eum, ut instructiorem filium redderet, cunctos ex ordine numerare. *nunc age, Dardaniam prolem quae deinde sequatur gloria, qui maneant Itala de gente nepotes, inlustris animas nostrumque in nomen ituras expediam dictis et te tua fata docebo:* proposuit quae sit dicturus. nunc, inquit, dictis expediam vel qui admixti ex Italo sanguine nepotes tui regnaturi sint vel quemadmodum eos virtutis gloria secutura sit. dicam etiam fata tua, ut, quod nulli ante te contigit, tu multo ante condiscas. hoc loco, quantum ad Vergilii et Caesaris tempora pertinet, non futura sed transacta numerantur et subtiliter ostenditur quae Troianorum progenies ex ipso Aenea et Italo sanguine videatur extitisse et usque ad Caesarem cucurrisse. hic specialiter dicuntur quos generaliter in primo libro tetigit Iuppiter non eorum personas, sed tempora regnandi significans. *ille, vides, pura iuvenis qui nititur hasta proxima sorte tenet lucis loca, primus ad auras aetherias Italo commixtus sanguine surget Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles, quem tibi longaevo serum Lavinia coniunx educet silvis regem regumque parentem, unde genus Longa nostrum domina-*

---

6 *unamque* V. 8 *possit* V: in interpretatione *posset*, quia tempus verbi regentis mutatum est. 9 *dicere* pro *discere* libror. Vergil. V adsentiente interpretatione. 24 *videatur* V *iudicatur* ed. 28 *astra* pro *hasta* V. 29 *aetherius* V. 31 *edocet* V.

*bitur Alba.* vides, inquit, illum iuvenem, qui hasta nititur pura, hoc est ferro vacua, nuntia scilicet non belli, sed pacis, iam proximus est ut in lucem veniat. exponit ipsum futurum esse primum ex Aenea et Lavinia et proximum dicit non qui cito venturus esset in lucem, sed primum ex omnibus qui illic videbantur. hic, ait, nascetur ex Italo sanguine et tuo, hoc ipsum aperit, ut ostendat quomodo et quando et quo nomine esset emersurus: Silvius, inquit, dicitur, quoniam hoc nomen Albanis familiarius est; habent enim regiones vel civitates nomina quae praeter cetera familiarius frequentant. nascetur autem ex Lavinia, quam constat Italiam, sed nascetur postumus adeoque serus, ut ex te iam longaevo conceptus oriatur. noluit illum pronuntiare moriturum, sed dicendo habebis filium postumum hoc ipsum significavit (postumos enim scimus dici qui nati fuerint post patris discessum) neque adeo inde fili animum laesit, quia, cum dicit longaevo tibi et serum proventurum, ostendit eum fore longaevum. dehinc ipsius Silvii quam spem pollicetur? erit, inquit, rex et pater regum, hoc est regnabit ipse et generabit reges. *proximus ille Procas,* hoc est, qui iuxta Silvium conspicitur. *Troianae gloria gentis,* flos scilicet Troianorum. *et Capys et Numitor et qui te nomine reddet Silvius Aeneas:* omnes isti eadem laude continentur qua Procas, hoc amplius Aeneas Silvius. *pariter pietate vel*
770 *armis egregius,* ut te in omnibus similem reddat, robore scilicet virtutis et pietatis studio. optimo verbo usus est reddet, ut non secundus Aeneas nasci, sed ipse qui fuit redditus luci esse videatur. *si umquam regnandam acceperit Albam:* si aliquando regendam Albam sumpserit, si pro cum debemus accipere, ne Anchises certis dubia miscere

---

3 *proximus est* V *est* om. ed. 6 *primum* V *proximum* ed. | *nascitur* V et infra, sed inferius *nascetur*, ergo correxi. 9 *familiaris* V infra recte. 12 *autem* V *enim* ed. | *italiam* V cf. 7, 643 *Italam fuisse* ed. 16 *enim* om. ed. | *fuerint* V *sunt* ed. 18 *proventurum* transpos. ed. 19 *quam* om. ed. 23 *numine* V. | *reddat* ed. 30—31 *si pro cum* V *Procam* ed.

videatur. *qui iuvenes, quantas ostentant, aspice, viris!
atque umbrata gerunt civili tempora quercu, hi tibi Nomen-
tum et Gabios urbemque Fidenam, hi Collatinas inponent
montibus arces, Pometios Castrumque Inui Bolamque Co-* 775
*ramque:* isti, inquit, iuvenes ac, ne Aeneas inter plurimos
nesciret qui sibi ostenderentur, signum dedit ipse mon-
strator quo illi a ceteris discernebantur, ait igitur isti
iuvenes quorum tempora coronis conteguntur raptis ex
civili quercu. civilem dixit festam, pacificam, ut est laurus
et oliva. quantas ostentant, aspice, viris! qualia iam
ostendunt suae virtutis indicia vel quantas condituri sunt
civitates! atque, ut hoc ipsum plena adsertione firmaret,
dixit et nomina singulorum. *haec tum nomina erunt. nunc
sunt sine nomine terrae:* quanta gloria conditorum, quanta
ipsa terrarum felicitas, ut quae sine aliqua gloria iace-
bant incognitae inciperent urbium fatis ornari! *quin et
avo comitem sese Mavortius addet Romulus:* addet se avo
comitem Romulus, id est Iovi, ut per longam progeniem
tantum posset Romulus, ut merito fatorum ferretur in
caelum. *Assaraci quem sanguinis Ilia mater educet:* ecce
etiam matrem eius, quae esset futura, monstravit. *viden
ut geminae stant vertice cristae et pater ipse suo superum* 780
*iam signat honore?* dat etiam istius signa, ut inter alios
positus evidenter appareat. vide, inquit, quomodo duas
habeat cristas in capite et quomodo eum iam pater su-
perum id est Iuppiter honore suo et maiestate perconfundat.
*en huius, nate, auspiciis illa inclita Roma imperium terris,
animos aequabit Olympo:* favore urbis Romae, quae tem-
poribus Caesaris iam florebat, poeta mira dixit ad laudem.
ceterum Anchises apud inferos Romam non habuit quam
Aeneae demonstraret, potuit tamen, ut aliarum minorum,
nomen dicere et spem pronuntiare felicitatis eius, ut fecit
dicendo: *septemque una sibi muro circumdabit arces. felix*

---

10 *et* om. ed. | *iam* om. ed. 12 *plane* V *plena* edF nos. 17 *comite* V. 18 *hoc est* ed. 22—23 *supe iam* V. 26 *perfundat* ed. 28 *favor* V ed. *favore* nos. | *orbis* V. 31 *ut aliarum* V (respicit ad v. 773 et 775) *aliorum* ed.

785 *prole virum, qualis Berecyntia mater invehitur curru Phry-
gias turrita per urbis:* omni genere laudata est, positione
loci, potentia, virtute et felicitate subolis suae, talis ha-
bitura animos, qualis habet mater deum, cum per urbis
Phrygias fertur. *huc geminas nunc flecte acies, hanc aspice*
790 *gentem Romanosque tuos[, hic Caesar et omnis Iuli pro-
genies]:* quando ad Caesarem venit et eius nomen voluit
praeferre et confirmare quod a Troianis originem ducat,
addidit hortationem. res, inquit, magna est, quam tibi
monstraturus sum: proinde plenam aciem tuorum lumi-
num ad eam convertes. haec est gens tua, hi sunt Ro-
mani et Iuli universa progenies, in qua est et Caesar.
laudantis studio primo Caesarem specialiter posuit, dehinc
generaliter ceteros. *magnum caeli ventura sub axem:* sub
axi caeli sunt omnes qui fruuntur luce, sed hic dictum
est non tantum ituros in lucem verum etiam merito vir-
tutis usque ad ipsum caeli axem esse venturos. *hic vir,
hic est tibi quem promitti saepius audis, Augustus Caesar:*
hic est, inquit, vir cuius inter maxima spei tuae orna-
menta promittitur decus, ipse est Augustus Caesar. in-
cipit dicere quid sit quod ait vir; non enim sexum eius
significare voluit, sed facta. denique sequitur †qui *aurea
condit saecula vir divi genus vir qui rursus Latio regnata
per arva Saturno quondam, super et Garamantas et Indos*
795 *proferet imperium, iacet extra sidera tellus, extra anni
solisque vias, ubi caelifer Atlans axem umero torquet stellis
ardentibus aptum:* vir hic est qui ad similitudinem Saturni

---

1 *berechynctia* V. 2 *urbis* finis lemmatis in V versus 786 et 787 add. ed., sed non explicantur. 3 *virtunae* V *virtute* ed. | *talis* — 4 *quales* V. 6 *hic* — *progenies* deest in V, sed explicatur. 11 *eam* V *ea* ed. 15 *axe* ed. 16 *iturus* V.

22 post *sequitur* pro lemmate scripta *qui aurea condit saecula vir divi genus vir qui rursus* etc. habet V: scribendum videtur vir, *divi genus*, vir *qui aurea condit saecula rursus* etc. (transposito contra metrum *qui* ordinandi sensus causa), sed crucem apponere traditis verbis malui; *divum genus* pro *qui* praefixit *vir* — *vir* om. ed. nec *condit* mutavi, quia sic et infra V. 26 *caeli athlans* V. | *stillis* V.

regnabit, qui aurea tempora habuit regnavitque per Italiam. dum Saturni commemorationem facit, quem vult inter maiores Caesaris numerari, illud videtur adstruere, ut regnandi felicitas generi eius attributa videatur. ordinatur sensus sic: hic est Augustus Caesar, divi genus, qui rursus condit aurea saecula Saturno regnata. ............................[impe]rium proferet ac latius faciet. .................. tor non adeo laudis inplesset officium, si ea tantum quae Saturnus gesserat facturum Caesarem diceret. quid enim memorabile posset esse, si id fecisse Caesarem diceret quod alius videatur inplesse qui in sola regnavit Italia? faciet, inquit, Caesar quod Saturnus et eo amplius, domabit gentis et terram quae iacet extra sidera et extra anni vias et solis, [ubi] annus noctibus concurrit et deficitur solis et ceterorum siderum motibus. vult ergo esse ulterius aliquid poeta quod sol nesciat et mundus excludat. ubi est, inquit, Atlans baiulus caeli et axis eius, qui astris fulgentibus splendet, illo usque imperium Caesaris triumphique pervenient. ecce melior Caesar quam Saturnus; ille enim in sola, ut dictum est, regnavit Italia et meruit habere boni et felicis rectoris memoriam; quanto meliorem debet habere gloriam Caesar quam Saturnus, qui hanc excedere virtutis et felicitatis merito adseritur posse et ultra solis vias triumphos suos gloriasque perducere! *huius in adventum iam nunc et Caspia regna responsis horrent divum et Maeotia tellus*

---

5 *divi* V *divinum* ed. 6 *a Saturno* ed. | *regnat* V corr. ed. 7 sequitur lacuna triginta fere litterarum sic fortasse explenda: *et super Garamantas et Indos, impe* explevi. 8 post *faciet* duodeviginti litterarum spatium vacat, quod sic expleas: *[Vergilius enim lauda]tor*; sua temere interpol. ed. 9 *sica* V *si ea* nos *si* ed. 10 *quid* — 11 *diceret* om. ed. 14 *facet* pro *iacet* V. | *solis annus* V *ubi* interposui. | *annus* — 16 *motibus* om. ed. 15 *concurret et luce sub soles* V *concurrit et deficitur solis* nos. 16 *ergo* om. ed. 18 *splendit* V. 19 *perveniet* V corr. ed. 20 *ille* — 23 *Saturnus* om. ed. 23 *excidere* V corr. ed. 24—25 *triumfo su* V corr. ed. 25 *gloriamque* ed. | *producere* ed. 26 *Maeotica* ed.

800 *et septemgemini turbant trepida ostia Nili:* cum ille, inquit, venire ad has coeperit partis, omnia quae sunt sub oriente sole, turbabuntur, regna scilicet Caspia, Maeotidis et Nilus. *nec vero Alcides tantum telluris obivit:* post Saturni conparationem inducitur et secunda, Hercules, inquit, cuius multa praeferuntur exempla virtutum, non tantum valuit terrarum circumire regiones. *fixerit aeripedem cervam licet aut Erymanthi placarit nemora et Lernam tremefecerit arcu:* quamvis ille cervam, animal totius velocitatis, superaverit cursu aut apri infestantis nece regionem in qua fuerat liberaverit aut sagittis terruerit Lernam. huic subiungit et gesta Liberi patris: *nec qui pampineis victor iuga flectit*
805 *habenis Liber agens celso Nysae de vertice tigris.* duorum exempla proposuit qui plurima loca superarunt, Herculem [et Bacchum], quorum alter, ut dictum est, velocitate cervam, virtute aprum Erymanthium, arte Gorgonam vicit, alter Indos obtinuit, transcendit et Nysam montem et triumphans curru mitis tigrides iunxit. his exemplis usus magnis et memorandis meliorem Caesarem facit, qui Herculis accessus et Liberi transire valuit et tenere. hanc dicendi artem executus est in comoedia Terentius adsentatoris officium in eo stare significans, ut in conparatione sit ille potior qui laudatur. ait enim Thraso miles (eun. 3, 1, 1) „magnas vero agere gratias Thais mihi?“ ille si diceret magnas qui interrogabatur, non promerebatur patronum, cui placere cupiebat, sed ait „ingentis“, ut aestimationem audientis adsentatione superaret. ita ergo et hic laudavit alios poeta, in aliena laude ut potiorem Caesarem faceret. *et dubitamus adhuc virtutem extendere fatis?*

---

3 *maeotides* V *-dis* nos *Maeotica* ed. 7 *aere pedem* V. 8 *placaret* V. 9 *quantus* V ed. *quamvis* nos. | *ille* V *i. qui* ed. 14 *exemplo* V corr. ed. 15 *et Bacchum* om. V suppl. ed.: an *et Liberum*? | *cervam* post *alter* transpos. ed. 16 *virtute* om. ed. | *erymanthum* V ed. | *arte* V *arcu* ed. 17 *transcendi enysam* V corr. ed. 18 *his* V *hic* ed. 21 *terrentius* V. 28 *laudatione* ed. | *ut* ante *in* transpos. ed. 29 *viris* V, sed *fatis* explicatur, quare hoc substitui cum Hoppio, *factis* ed.

et dubitat virtus posse perveniri ad Italiam, cum virtus ipsa non desit et adiuvent fata? genus fuit hortamenti, quo inpellebat filium, ne frangeretur tarditate perveniendi. *quis procul ille autem:* ille autem qui procul est; dat etiam ipsius signum, *ramis,* inquit, *insignis olivae sacra ferens,* ille qui non longe est et olivae frondibus coronatus est. *nosco crinis incanaque menta regis Romani, primam qui legibus urbem fundabit, Curibus parvis et paupere terra missus in imperium magnum, cui deinde subibit otia qui rumpet patriae residesque movebit Tullus in arma viros et iam desueta triumphis agmina:* multa signa eius ostendit, ut in multitudine media positus potuisset agnosci. olivae, inquit, ramum gestat et sacra, cano capiti barba consimilis. dicit dehinc quae esset temporibus sui regni facturus. fundabit legibus patriam, nec magna aut locuplete substantia hominum aut familiaris rei. quanta laus modico terrarum subsidio ac per modicas viris in magnum imperium pergere! cui succedit Tullus filius perditurus glorias patris quas ex diuturnitate pacis fuerat consecutus, moturus eos in bellum quos mutaverat quies otiumque corruperat, ducens agmina quae desissent triumphare; triumphare enim non potest qui officium pugnandi deposuit. *quem iuxta sequitur iactantior Ancus:* iactat se quisquis plurimum sibi adrogat. *nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris:* populares aurae sunt favores populi, quos non quaerunt sapientes. *vis et Tarquinios reges animamque superbam ultoris Bruti?* superbiae vitium magis Tarquiniis adplicatur secundum veterum fabulas, non Bruto. *fascesque videre receptos, consulis imperium?* definivit quid sint fasces, hi sunt, inquit, per quos apparet imperium consulis. *hic primus saevasque*

---

1 *perveniri* V *-re* ed. 4 *aut* pro *autem* in lemmate V. *ille autem qui* in interpr. V *quis* substituit ed.: Don. *qui procul* legisse videtur, sed corrigere nolui. 13 *cando apiti* V. 18 *filius* om. ed. 22 *deposuit* V *non posuit* H ed. 26 *tarquineos* V. 28 *magis* om. ed. | *tarquiniis* V *-nio* ed. | *appellatur* V corr. ed. 29 *facesque* V, sed in interpr. *fasces.*

820 *secures accipiet natosque pater nova bella moventis ad poenam pulchra pro libertate vocabit:* hic, inquit, primus pro libertate patriae parricidium facturus est mactando filios suos, qui novi sceleris bella molituri sunt. *infelix, utcumque ferent ea facta minores, vincet amor patriae laudumque inmensa cupido:* apostropham quasi ad praesentem fecit, qui tractabunt, inquit, factum tuum, licet eos vincat commodum publicum, tamen infelicem te reperient, qui tam saevus in tuos liberos extitisti, ut eorum nec saluti nec sanguini pepercisse videaris. *quin Decios*
825 *Drusosque procul saevumque securi aspice Torquatum et referentem signa Camillum:* Decii et Drusi nobiles fuerunt in republica et plurimum profuerunt. saevumque securi aspice Torquatum et referentem signa Camillum: Torquatus ideo saevus, quia filium suum dicitur occidisse ob iniustam causam, Camillus autem liberasse adseritur signa quae Romani perdiderant. *illae autem paribus quas fulgere cernis in armis, concordes animae nunc et dum nocte premuntur, heu quantum inter se bellum, si lumina vitae*
830 *attigerint, quantas acies stragemque ciebunt, aggeribus socer Alpinis atque arce Monoeci descendens, gener adversis instructus eois!* vides, inquit, illas animas quae arma similia gerunt. nunc videntur esse concordes, quia hic degunt et contendere eas sedes inferna non patitur, ceterum cum ad superos venerint, quanta illi dolenda committent exercitibus ex toto orbe contractis et eo deterius, quod socer et gener haec inter se inpia funestaque gesturi sunt. *ne, pueri, ne tanta animis adsuescite bella neu patriae validas in viscera vertite viris:* personarum fecit commutationem; dum enim de aliis loquitur, convertit ad eos

---

4 *infelix* hic habet V adsentiente interpretatione; ad antecedens lemma revocavit ed., sed Don. sic videtur coniungere: *utcumque ferent* etc. *utcumque vincet* etc. 5 *minoris* V. 8 *infelicite* V. 13 *in rei publica et* V *et reipublicae* ed. 15—16 *ob iniustitia causam* V corr. ed. 20 *attingerint* V. 21 *arcem menoeci discendens* V. 23 *gerunt — quia* temere mut ed. 24 *patetur* V. 30 *convertit* V *se* add. ed.

qui futuri erant eorum posteri. nolite, inquit, pueri,
(pueros idcirco arbitror, quia unusquisque mox ut nasci-
tur puer est, licet in ipsum longaevi hominis anima
transitum faciat, et isti recte pueri, quoniam in aetatem
puerilem fuerant venturi), ait ergo nolite, pueri, male
adsuescere, non expedit ut talia bella gerere discatis,
non in sua viscera debent arma converti quae geritis, nec
ab hostibus in civis cum scelere revocari. consilium dat
ostendens quid prohibiti ab actibus inimicis facere de-
buissent, *proice*, inquit, *tela manu, sanguis meus. ille* 835
*triumphata Capitolia ad alta:* ad alta Capitolia id est
magna vel in altum ducta, triumphata dixit triumphis
ornata. *Corintho victor aget currus*, hoc est a Corintho
victor currus ducet, aut quos captivi traherent aut quibus
ipse veheretur. *caesis insignis Achivis, eruet ille Argos
Agamemnoniasque Mycenas ipsumque Aeaciden, genus ar-
mipotentis Achilli, ultus avos Troiae templa et temerata* 840
*Minervae:* quantum fili animos refecit promittendo interi-
tum Graeciae et ultionem spondendo Troiani excidii!
*quis te, magne Cato, tacitum aut te, Cosse, relinquat?
quis Gracchi genus aut geminos, duo fulmina belli, Sci-
piadas, cladem Libyae, parvoque potentem Fabricium vel
te sulco, Serrane, serentem?* omnes isti diversis artibus,
meritis quoque et virtute floruerunt, quos Vergilius ex
persona Anchisis dicit non esse praetermittendos et propter
exempla optima tradendos memoriae posterorum. *quo fes-* 845
*sum rapitis, Fabii?* voluit et Fabios demonstrare, qui
futuri essent in numero nobilium, sed longaevus taedium
patiebatur ambulandi. *tu Maximus ille es, unus qui nobis
cunctando restituis rem:* hic diu tractando et consultius
differendo male gesta correxit. *excudent alii spirantia*

---

4 *recti* V *recte* ed. | *quam* V *quoniam* ed. 6 *expetit* V. 10 *manus et sanguis* V. 13 *currus* V *currum* plerique Vergiliani. 15 *caevis* pro *caesis* V. 17 *et* post *templa* om. V. 18 *fili animos* V *filii animum* ed. 22 *clades* ed. 23 *sulcos errane* V. 24 *quoque* om. ed. 25 *Anchisae* ed. 31 *aliis* V.

*mollius aera, credo equidem, vivos ducent de marmore*
850 *vultus, orabunt causas melius caelique meatus describent radio et surgentia sidera dicent: [tu regere imperio populos, Romane, memento] (hae tibi erunt artes) pacique inponere morem, parcere subiectis et debellare superbos:* quoniam diversitas artium ornamentum est vitae humanae, ait, sequentur alii peritiam fundendi aeris, ut vultus fingant sic expressos, ut spiritum habere videantur (mollius dixit, ut in duro aere talis figurarum esset expressio, ut per mollitiem quandam movere ora istas qui vidisset existimaret), alii haec ex marmore facient tanta subtilitate, ut materia lapidis formatum animal non iam viventis similitudinem, sed vivum ostendere videatur, alii eloquentiae operam dabunt et erunt in foro meliores, alii disputabunt de astrorum motibus et cursibus diversis et rationibus orientium atque occidentium. tu regere imperio populos, Romane, memento (hae tibi erunt artes) pacique inponere morem, parcere subiectis et debellare superbos: tibi autem ars erit omnibus potior, regendi scilicet imperii, servare subiectos superbosque mactare.

*Sic pater Anchises atque haec mirantibus addit:* transitus sunt quidam, ne una et continua narratio taediosa sit; his enim generibus varietas nascitur et quasi nova initia aliarum narrationum fiunt. cum haec ergo locutus esset Anchises, alia quoque mirantibus addidit; advertit eos
855 quippe cognitiones futurarum rerum libenter audire. *aspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis ingreditur victorque viros supereminet omnis:* omnia iste victoriarum iam ferre indicia videbatur et enumerare quae esset facturus apud superos, sic autem incedebat altior ceteris, ut universos viros praecellere videretur. incipit enumerare glorias eius, si ex persona Anchisae, futuri temporis, si ex Vergilii,

---

3 *tu* — 4 *memento* deest in V, sed infra repetitur et explicatur. 14 *opera* V. 23 *his* V *hinc* ed. 26 *cogitationes* ed. | *futurum* V. 29 *denumerare* V *dinumerare* ed. *enumerare* nos *demonstrare*? 30 *autem* V *enim* H ed. | *et* V *ut* ed. 31 *excellere* ed. 32 *vergili* V, sed plerumque *-ii*.

iam factas. *hic rem Romanam magno turbante tumultu sistet eques:* hic, inquit, labantem firmabit rempublicam. *sternet Poenos Gallumque rebellem:* non unum Gallum, sed Galliam totam; variando enim numeros meliore eloquentia et Poenos ipsius virtute casuros dixit et Gallos. *tertiaque arma patri suspendet capta Quirino:* capta arma tertius ipse patri Quirino suspendet. duo quippe ante ipsum hoc fecisse intellegendi sunt, quando hic adseritur tertius. *atque hic Aeneas (una namque ire videbat egregium forma* 860 *iuvenem et fulgentibus armis, sed frons laeta parum et deiecto lumina vultu):* et hic locus interrumpendi narrationis continuationem retinet causam. interrogationes enim et responsiones non tantum taedium non habent, sed et iucundae sunt, quod genus in dialogis praestat. *quis, pater, ille virum qui sic comitatur euntem, filius anne aliquis magna de stirpe nepotum? qui strepitus circa comi-* 865 *tum? quantum instar in ipso? sed nox atra caput tristi circumvolat umbra:* cum Aeneas iuxta Marcellum vidisset iuvenem stare egregium forma atque armis insignem, fronte tamen parum laeta, hoc est tristi et proiecto vultu ad terram: quis, inquit, iste est, o pater, qui inter plurimos Marcelli comites ipsi illi familiarius iunctus est? filius est an aliquis posterorum eius vel ex eius genere? vel quid sibi vult strepitus congregatae multitudinis? placet enim mihi instar eius, hoc est corporis forma: sed cur tenebrae caput eius fuscaverint nosse cupio. *tum pater Anchises lacrimis ingressus obortis:* secundum quaesita instruit filium Anchises lacrimas fundens. *o gnate, ingentem luctum ne quaere tuorum:* nolim, fili, quae sunt lugenda perquiras nec velim scias tuorum adversa, quae

---

2 *equis* V ut R Vergilii. | *formabit* V corr. ed. 6 *patris* V. | *capita* V. | *capita* V *captaque* ed. *capta* nos. 11 *inrumpendae* V ed. *interrumpendi* nos. | *narrationi* ed. 12 *continuationis* ed. 16 *qui strepitus* V *quis str.* ed. 17 *in ipso* V *est* add. ed. 18 *iuxta* V *circa* HO ed. 22 *ipse illi familiarios* V *ipsi* nos *-rius* ed. 22—23 *est filius est* V mut. ed. 28 *lacrimis fundens* V. | *nate* ed. 30 *vellim* V.

tuum animum frangant. Aeneas de uno quaesiit, pater ei de plurimis respondit; sciebat enim latius posse porrigi interrogationem, quapropter occurrit, ne Aeneas ultra aliquid quaereret. *ostendent terris hunc tantum fata neque ultra esse sinent:* non diu erit iste in luce, sed mox ut monstratus fuerit superis rapietur. *nimium vobis Romana propago visa potens, superi, propria haec si dona fuissent:* convertit sermonem suum ad deos, credo, inquit, noluistis, superi, potentiorem fieri Romanam rempublicam. si enim propria haec fuissent dona, hoc est si hunc diuturnum concederetis, *quantos ille virum magnam Mavortis ad urbem campus aget gemitus! vel quae, Tiberine, videbis funera, cum tumulum praeterlabere recentem!* si ille, inquit, diu esset luci concessus, quantis triumphis ornaret Romam! vel quas strages de hostibus daret! quantos aggeres corporum, Tiberine, pertraheres! *nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos in tantum spe tollet avos, nec Romula quondam ullo se tantum tellus iactabit alumno:* nec erit quisquam ex aliqua terra qui Latinos spe meliore possit sublevare nec terra Italiae talem umquam poterit ferre. *heu pietas, heu prisca fides invictaque bello dextera!* quid proderit quia nascetur pius et supra eos quos antiqua loquitur fides? quid proderit quod fortis erit? totum mature fata pressura sunt. *non illi se quisquam inpune tulisset obvius armato, seu cum pedes iret in hostem, seu spumantis equi foderet calcaribus armos:* si diu iste durare posset in luce, quis illum ferret peditem, quis equitem toleraret? *heu miserande puer, si qua fata aspera rumpas, tu Marcellus eris:* si, inquit, possis rumpere fata tua,

---

1 *pariter* V *pater* nos *et is pariter* ed. 2 *porregi* V. 5 *mox quod* V *mox ut*, quod frequens est apud Donatum, scripsi cum ed. 10 *hunc* V *hoc* ed. 11 *concederetis* V *conderetis imperium* ed. 19 *ex aliqua terra* V ed. non congruit cum *Iliaca de gente*, fortasse *ex antiqua Troia*? | *posset* V *possit* ed. 22 *nascitur* V ed. correxi cf. 764. 23 *et totum* V ed. *erit t.* nos. 24 *se quisquampune* V. 25 *ire* V. 29 *erumpere* ed.

id est si possis fata adversa superare, poteris esse Marcellus. post infinita quae de eius spe locutus est et peritura flevit et gemuit posuit eius nomen, nunc de eo aliquid dixit. *manibus date lilia plenis, purpureos spargam flores:* adfectum dolentis expressit dicendo date, cum non essent praesto qui darent, et quod ait manibus plenis, hoc quoque plena officia significat. *animamque nepotis his saltem adcumulem donis;* solacium est enim eorum per quos parentalia mortuis exhibentur. *et fungar inani munere:* mire positum ex persona mortui quod inania sint quae mortuis exhibentur; hoc enim ipse certius noverat. *sic tota passim regione vagantur aeris in campis latis atque omnia lustrant:* non conplevit omnia quae apud inferos agebantur nec debuit. esset enim vitium, si totum vellet poeta carmine suo conprehendere, quod et longum et inpossibile fuit. convertit se igitur ad generalitatem, quae totum, etiam non dictum potuit significare omni mora submota. in camporum, inquit, latitudine totum illi monstravit et per singula eum duxit. †postquam singula ait; singula enim nec in unum confusa monstrare debuit qui filium benigne volebat instruere. hoc est quod ait *quae postquam Anchises natum per singula duxit incenditque animum famae venientis amore, exin bella viro memorat quae deinde gerenda Laurentisque docet populos urbemque Latini et quo quemque modo fugiatque feratque laborem:* primo laeta narravit filio, praetermisit tristia, solum unum quod esset dolendum de Marcello rettulit et hoc ipsum non voluntate, sed ut interroganti Aeneae responderet. cetera ei sub generalitate dixit ostensa nec dixit specia-

---

1 *esse Marcellus* V *tu* interpos. ed. 3 *nunc* V *nec? nunc cum* ed. 4 *aliquod* V corr. ed. 14 *esset enim* V *esse* ed. propter falsam interpunctionem. | *totum* V *tantum* ed. 15 *et longum* V *et* om. ed. 18 *in* om. ed. | *latitudinem* V ed. *-ne* nos. | *totum* V *totam* ed. | *illi* om. ed. 19 *dixit* V corr. ed. *postquam singula* V ed.: *postquam* ex sequenti lemmate irrepsisse videtur. 25 *et quoque* V. 29 *ostense* V *ostensa* nos; om. ed. *nec dixit* V *nec* ed. | *specialiter* V *sp. ostendens* ed.

liter quae. quando enim tantum camporum vel tantam multitudinem animarum sermone posset includere? dein bella subiunxit quae gesturus in Italia fuit et gentis Italas futuras e diverso monstravit, quibus fidebat virum non terreri. tamen, quo firmiorem dimitteret, docuit quomodo unumquemque laborem aut vinceret aut vitaret aut certe ferendo toleraret. ipsam sententiam poeta et in quinto libro (710) posuit sic: „superanda“, inquit, „omnis fortuna ferendo est“; quod enim vinci non potest resistendo vel ferendo superatur.

*Sunt geminae somni portae, quarum altera fertur cor-*
895 *nea, qua veris facilis datur exitus umbris, altera candenti perfecta nitens elephanto, sed falsa ad caelum mittunt insomnia manis:* duas dixit esse portas, hoc est duos exitus inferorum, portam unam corneam, aliam ex ebore: per corneam dixit veras emitti umbras, quod autem videmur nobis videre dormientes et quod nos plerumque facit non dormire per eburneam mittitur. *his ubi tum natum Anchises unaque Sibyllam prosequitur dictis portaque emittit eburna:* ubi igitur Anchises natum et Sibyllam his dictis prosecutus est, eos per portam eburneam reddidit luci. *ille,* hoc est Aeneas, *viam secat ad navis sociosque revisit:* quid enim aliud facere debuit quam suos videre post tempus? revisere est post aliquas moras iterum visere.
900 *tum se ad Caietae recto fert litore portum:* recta via dicitur, si quando nihil aliud agimus nisi iter continuum, ut nullo alio actu rumpatur quo tendimus. consideremus et Aeneae mentem, quae suorum revisendorum cupida nihil agere debuit nisi tenere litus, donec perveniret ad navis. sic igitur intellegendum est recto litore, quia rectum litus non potest inveniri, ut una intentione animi ad portum Caietae pervenerit, in quo fuerant naves.

---

2 *sermone* om. ed. 6 *aut vitaret* om. ed. 7 *postea* V ed. *poeta* nos (cf. 12, 154). 14 *dixisse* V *dixit* ed. *dixit esse* nos. 16 *mitti* ed. 22 *hoc est Aeneas* om. ed. 24 *visere* V *videre* ed. 25 *acaietae* V. 26 *nil* ed.

*ancora de prora iacitur, stant litore puppes:* hae enim illic stabant munitae ancoris, duplici scilicet ratione securae, vel quod muniebat has portus vel quod pondere tenebantur. portum Caietae ex persona poetae melius accipimus; Aeneas enim nondum loco ipsi dederat nomen.

---

1 *pupes* V. | *haec* V. 2 *duplicis licet* V. — subscriptio plena: *Tiberi Claudi Donati ad Tiberium Claudium Maximum Donatianum filium suum interpretationum Vergilianarum Aeneidos liber VI explicit incipit liber VII.*

---

## Corrigenda:

p. 8 n. 18 post *Laviniaque* insere (et infra).
p. 42 n. 10 lege *aequet* pro *aequent*.
p. 65,2 lege opus pro opes.
p. 431,8 dele , ante ex quo.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

